






T II
1
7
86











VIII
FILESAC
Select.

Ex legato D: Equitis Antonii Francisci
de Marmis

IOANNIS FILESACI THEOLOGI PARISIENSIS SELECTORUM

LIBER SECUNDUS.





PARISIIS,

Sumptibus MATHURINI DU PUIS, viâ Iacobæâ, sub signo Coronæ.

M. DC. XXXI.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBATIONE.

6



INDEX TRACTATVVM
huius ſecundi libri Selectorum.

INDEX CAPITVM, ET CVIVSQVE PARAGRAPHI HVIVS SECVNDI LIBRI SELECTORVM.

Euripus Seculi.

EVripi Euboïci variæ descriptiones. Rerum omnium & vicissitudo, & inconstantia. Nihil nouum. Mutationes aliquo pacto necessariæ. Imperiorum conuersiones. Mutationum istarum, tres causæ, vel ex ipsarum rerum natura, vel ex mundo senescente, vel ex Diuinæ Prouidentiæ ordine, & dispositione. Exempla. In ijs omnibus nil admirandum. Cap. 1.

Vitæ humanæ crebræ mutationes. Ipsa nauigationi comparata. Corpus instar nauiculæ. Penè omnis vita naufragium. Naufragio perire genus mortis scæuum & detestandum veteribus. Cap. 2.

Hominum qui tractant publica, cum Euripo comparatio. Ambitionis flatus periculosus. Descriptio ab Aquilæ exemplo. Ambitioni triplex periculum imminet, à seipsa, ab ipsis rebus & honoribus, à rebus externis. Honores non sine metu. Imperiorum & Rerumpublicarum turbandarum duæ principes causæ, Ambitio & Auariatia ex Aristotele. Peregrini, spretis ciuibus, honoribus minimè exornandi. Cap. 3.

Nonnisi idonei & digni ad honores publicos & dignitates promouendi. Inuiti vel non ambientes Magistratibus exornandi. Imperiti & flagitiosi penitus remouendi. In vnoquoque Magistratu tria requirit Aristoteles. Genere nobiles an idcirco periti & idonei. Politica doctrina tribus modis comparatur. Qui opibus abundant an idcirco peritiores, & magis idonei. Magistratus dignum non efficit. Magistratuum ingens numerus de dignitate Cap. 4.

videtur, expensus & explicatus, pro varia hominum & ætate & conditione. Quis secessus, quod otium laudandum, ex quo non ad plurimorum commodū tantum, sed etiam ad publicam rem non parum adiumenti & emolumenti peruenire posse agnoscitur.

Iurisiurandi Religio.

Iurisiurandi varia & multiplex definitio. Per quæ veteres olim iurarunt. Per meam salutem: Hebræi, Per nomen .i. Deum. Nominatio Sancti. Emendata vulgata Ecclesiastici 23. Iusiurandum vni Deo tribuendum. Donatistarum amentia, qui per suos Episcopos iurarent. Iurandi origo. Cap. 1.

Gentiles, Per Deos suos iurabant. Socrates, Per hircum, canem, anserem. Varia Socratis Iurisiurandi interpretatio apud Patres. Quid de eo Apollonius apud Philostrat. Suid. etiam Demosthen. Iusiurandum Scytharum, Burgarorum, Ægyptiorum, Persarum. Græcorum olim & aliorum, Per Caput, *etiam recentiorum. Mira eius rei historia apud Zozimum. Per Caput Regis etiam Ægyptiorum. Iudæis vsitatum,* Per Caput, Per *Cœlum,* Per *Terram,* Per *Hierosolymam,* Per *Templum,* Per *timorem Patris. Ossenorum Iusiurandum,* Per *salutem suam vel filiorum. Per sepulchra defunctorum. Per patris vel matris sanitatem.* Per *eorum beatam memoriam.* Per *cineres eorum. Muhamedis impostoris Iusiurandum. Per Genium. Per salutem Principis,* Per *Imperatorem,* Per *vitam Regis, vel filiorum.* Νὴ τὸν θεόν. *Iuratio. Per Melchom. Vnde Pœni homines immolare dicerint. Vt Gentiles ita Christiani* Per *Deum iurant. Per capillum Dei vel caput. Per Deum.* Per *Christum.* Per *Spiritum Sanctum. Per Corpus & Sanguinem Domini. Per sacro-sanctum Baptisma. Per Coronam Episcopalem. Per inseparabilem Trinitatem. Per diem Iudicij.* Cap. 2.

Iurisiurādi formulæ. Testis est Deus. Scit Deus. Inuoco Deum super animam meam. Per vestram gloriam, an sit iuratio apud Apostolum. Νὴ τὸν θεὸν *explicatur. Ita me Deus adiuuet.* Ναὶ Cap. 3.

Index Capitum & Paragraphorum.

Mysteria.

scena. Tertia, quia plurima in ijs magica. Explicatio versiculi Dauidici de Etruria, & loci Ciceroniani de disciplinæ Etruscæ origine. Descriptio Sacrorum horum magicorum. P. Nigidius Figulus Magus. Sacra mysteria magica apud Eunapium.

§. 9. *Philosophis sua non defuerunt arcana, etiam vocabula à vulgi vsu longè alia.*

§. 10. *Iudæorum mysteria. Qui panes subcineritij à Propheta imperati, & quid significent. Quis ille Propheta, apud Clementem Alexandrinum. Occultatio mysteriorum duplici velo expressa. Gentilis qui legem Iudaïcam amplecti vellet, quæ Catechesis & institutio. Septem præcepta à Deo data ante legem Mosaïcam.*

§. 11. *Christianæ religionis mysteria, ex collatione legis Mosaïcæ. Mysterium respectu personarum, duplicem sortitur notionem, explicatio loci Math. 7. Nolite dare sanctum canibus. Clementis locus ex Euangelio ignoto, fortean Nazoreorum. Gentilibus ante Constantinũ M. negatus accessus ad Ecclesias Christianas. Mysterij notio altera: Non omnes fideles mysteriorum capaces, ex Scriptura. Versio vulgata expensa, Hebr. 5. Rom. 11. Ephes. 3. Psalm. 118.*

§. 12. *Ex SS. Patribus mysteria non omnibus aperienda. Dogmata ad mysteria pertinere, quorum alia scripta, alia minimè scripto tradita. S. Scriptura obsignata Dauidis sygillo, & quæ ipsius inscriptio. Cathecumeni, Nouitioli Tertulliano. Prophanus multiplici significato, vt & Idiota.*

§. 13. *Mysteriorum Christian. occultandorum quæ ratio. Quæ veneratio & reuerentia in Sacris. Ecclesia, mysteriorum locus, in quo secreta cælestia. Explanatio loci apud S. August. epist. 43. ex Seneca & Quintiliano.*

Ceremoniæ.

§. 1. *Homo totus à Deo pendet, cui & animo, & corpore venerationem conuenientem adtribuat. Corporeus & externus cultus Ceremoniis significatur. Ordinis ratio id postulat.*

landarum apud Gentiles, exemplo ritus Iudaïci. Sal in Sacris Gentilium, vt apud Iudæos.

§. 11. *In Sacris conuersiones variæ & circuitus apud vtrosque Christianis veteribus an istud vsitatum. Tertulliani locus expensus in verbo, Ambiendi. Tacitæ obiectioni responsum. Verbis Procedendi, Pergendi, vsi veteres. Solemni pompa Sacra sua ferendi Gentilium ritus manauit à Iudæis. Iudæorum impietas in deserto, Idolo Moloch sacrificantium, & eius tabernaculum deferentium.*

§. 12. *Principibus vrbem aliquam ingredientibus, itum est obuiam à Ciuibus, Sacra sua gestantibus. Gentilium, Iudæorum, Christianorum exempla.*

§. 13. *Gentiles Christianorum ritus imitari voluisse. Formulæ Ecclesiasticæ à Gentilibus in suis Sacris vsurpatæ. Saluiani locus explicatus.*

§. 14. *De Sacrificulis Gentilium. Pontifices Maiores in quaque prouincia constitutos. Iudæorum imitatio. Formulæ Christianæ à Gentilibus vsurpatæ. Gentiles, Philosophos auctores suarum opinionum, Patres, Antistites, vocant.*

§. 15. *De signo Crucis. An aliquid persimile factitatum apud Gentiles. Tertulliani locus valde obscurus, tentatus. huic lux facta ab eodem Tertulliano, ex coniectura.*

§. 16. *An apud Iudæos Ceremonia aliqua in vsu fuerit quæ aliquam signi Crucis speciē referret. Vnctio Regia in capite in modū coronæ. Vnctio Sacerdotalis in modū literæ Græcæ X. & quæ significatio.*

§. 17. *De signo Crucis, siue vno, siue tribus digitis efformando. Historia ad eam rem insignis. Philonis Iudæi pro suis ceremoniis retinendis quæ rationes, nostris maximè congruentes. Conclusio ex S. Augustino.*

Cantus Ecclesiæ.

§. 1. *Cantandi in publicis conuentibus Christianorum mos, vel ab ipsis Apostolorum temporibus inualuit. Varroni Musica du-*

Conſcientia.

Regia Maieſtas Sacroſancta.

Varro, siue de multiplici scriptorum genere.





IOANNIS FILESACI THEOLOGI PARISIENSIS SELECTORVM

LIBER SECVNDVS.

EVRIPVS SECVLI.

CAPVT PRIMVM.

Euripi Euboici variæ deſcriptiones. Rerum omnium & viciſſitudo & inconſtantia. Nihil nouum. Mutationes aliquo pacto neceſſariæ. Imperiorum conuerſiones. Mutationum iſtarum tres cauſæ, vel ex ipſarum rerum natura, vel ex mundo ſeneſcente, vel ex diuinæ Prouidentiæ ordine & diſpoſitione. Exempla. In iis omnibus nil admirandum.



EVRIPVM Euboicum, ſiue ſepties die ac ſepties nocte, fluctibus inuicem verſis, immodicè fluentem, Strab. lib. 9. Mela. lib. 2. ſeu die ac nocte ſimul ſepties reciprocantem, Plin. hiſt. nat. lib. 2. c. 97. aut temerè in modum venti, nunc huc nunc illuc verſo mari iactatum, Liuius lib. 38. rerum omnium quæ ſub cœlo ſunt perennem perpetuámque inconſtantiam nobis velut

ante oculos constituere ac referre: nemo est tam hebetis & stupidi ingenij, qui non facile intelligat. Sanctus Cyprianus ep. 2. eleganter, *Salum iactantis seculi* dixit. Ita Lucius Seneca præf. lib. 3. quæst. natur. *Alternæ sunt vices rerum*, Non modo quia, vt ait Lucilius,

Intereunt, labuntur, eunt rursum omnia versum:

Et vt loquitur Septimius Florens, Tertullianus Apolog. c. 45. *Non quia quotidie lux interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt, sydera defuncta viuescunt, tempora vbi finiuntur, incipiunt*. Senecæ ep. 24. ista imitatio est, apud quem hæc præmissa, tum sequentia: *Nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia, fugiunt ac sequuntur, diem nox premit, dies noctem, omnia transeunt vt reuertantur. Nihil noui video, nihil noui facio.* Ista non vno loco repetit M. Antoninus Imperator, 7. & 8. libris de vita sua, apud quem sæpius legere est, οὐδὲν καινὸν πάντα καὶ συνήθη ὀλιγοχρόνια. Nihil nouum, omnia vsitata, breui tempore duratura. E sacris libris descriptum istud, Ecclesiast. 1. 3. *Nihil sub sole nouum. Quod factum, est ipsum permanet; quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit.* Quin potius ad crebras illas & quotidianas rerum humanarum mutationes illa referenda sunt. Siquidem Plinio Iuniori, lib. 4. ep. 24. *Nihil desperandum, nulli rei fidendum, cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi.* Et Tacitus Annal. 3. vtrumque complexus est. *Rebus cunctis inest quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.* Iis congruunt quæ canit Poeta princeps, 1. Georgic.

——— *sic omnia fatis*
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Arnobij 1. disputatio perbellè huic rei accommodata, dum prolixè disserit, *Noui fieri nihil, sed esse omnia vetera,*

& nulli antiquitati inaudita: quandoquidem statis temporibus rerum vicissitudines fiant, atque vt in maritimis æstibus, modo secundæ res affluant, modo rursus refluant malis reciprocantibus prospera. Præiuit Tertullianus, de Pall., suósque Carthaginenses admonet, in ipso vniuerso, perpetuas rerum vices deprehendi. *Si quid mare*, inquit, *diluit, cœlum deussit, terra subduxit, gladius detotondit, alias versura compensato redit.* Atque ista velut communi totius generis humani bono & pene necessario euenire, ille idem lib. de Anima demonstrat iis verbis. *Onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores & querelæ apud omnes, dum iam nos natura non sustinet: Re vera lues & fames & bella & voragines ciuitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura insolescentis generis humani.* Imperiorum & Rerumpublicarum conuersiones & periodos, quas Plato & Aristoteles κύκλους vocant, quid iuuat commemorare, de quibus extat grauissima Polybij 6. dissertatio. Liuij lib. 42. non est ista prætermittenda sententia. *Omnia humana tum maxima quæque & regna & imperia sub casibus multis esse. Vrbium cadauera, terrarum exposita funera*, dixit B. Ambrosius, ep. 8. *Carthago aratrum passa*, Modestino D. lib. 7. tit. 4. l. 21. Lactantius lib. 7. c. 15. definit nihil esse humanis viribus laboratum, quod non humanis æque viribus destrui possit, *quoniam mortalia sunt opera mortalium.* Symmachi 8. Ep. 27. ea vox est, *Nihil hominibus æternum est, voluunt mortalia vices crebræ, & omnium rerum fuga fit.* Ac quamquam harum mutationum causas non sit huius loci disquirere, attamen rebus ipsis, ex suiipsius natura, inditam esse instabilitatem & inconstantiam, veterum permulti existimarunt, vt ex iis quæ nunc protulimus satis apparet. Naturales esse Rerumpublicarum conuersiones ex Plato-

ne affirmat Orator princeps. Cæcilius, apud Minutium Fœl. Octauio, *Omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magísque omnia verisimilia quàm vera*: Sed Ethnico homini istud condonandum, vtpote in magna rerum istarum ignoratione versanti. Communem omnium hominum fortunam ac naturam esse dixit Aristides orat. Smyrn., sed ille eadem orat. gratulatoria Smyrn. aptissimum istud verbum addit, multa esse miracula temporis πολλὰ τὰ θαύματα τοῦ χρόνου. Mundo senescenti rerum omnium inclinationem & variationem eiusmodi, veterum non pauci adsignarunt: non aliter atque in senili corpore, in quod tam varij, tam frequentes morbi vndiquaque irruunt, & vt loquitur Satyricus Iuuen. Satyr. 10.

—— circunsilit agmine facto
Morborum omne genus.

S. Cyprianus lib. ad Demetr. admirabili orationis lepore ac venustate, hoc ita expressit. *Scire debes senuisse iam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea præualebat. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis Solis tanta flagrantia est, nec sic verna de temperie sua sata læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus auri & argenti opes suggerunt, exhausta iam metalla, & pauperes venæ breuiantur in dies singulos & decrescunt: deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* S. Ambrosius, aduersus Symm. *Mundi, sicut omnium rerum, primæua viam mutasse* dixit. Et vt loquitur B. Augustinus, ep. 3. *Mundo declinante in extrema, fessisque rebus ætatem vltimam protestante.* Quod fatetur Theodoretus 4. fab. hær. de Nestorianæ

hæreſeos origine agens. Ita Phlegon Trallianus lib. de mirabilibus dixit naturam, vigentem viribus, omnia Deorum naturæ æmula, initio educaſſe, ſucceſſu autem temporis, cùm vis illa primæua euaneſceret, naturarum quoque quantitates decreuiſſe. Clemens Alexandrinus aliquid ſimile habet Strom. 7. Nec abludit S. Hieronym. Præfat. lib. 8. Comm. in Ezechielem. Eleganti ſimilitudine hanc mundi vim vigorémque labaſcentem, explicat B. Ambroſius, ep. 42. quamquam ad ſingularem hominis naturam illam referat, *Quemadmodum magnetis lapis tantam naturæ vim habet, vt ferrum ad ſe trahat, & transfundat ſe in illius ſpeciem, ita vt, pleriſque experiri volentibus, cùm plures annulos ferreos ad eum lapidem admouerint, omnes pari teneat modo, deinde ſi ei annulo cui adhæſerit lapis, alium admoueas annulum, & rurſus per ordinem ſingulis ſubſtituas, licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehementiori conſtringit, poſteriores remiſſiore. Illud idem in mundo eueniſſe manifeſtum, cùm primæua ſui origine omnia vegeta magis ac robuſtiora, fœcundiora, perfectiora, minúſque à ſuo ſcopo aberrantia deprehendantur, ſuccedentibus ſeculis ſenſim ac paulatim rebus omnibus à florenti primario iſto ſeculo deſciſcentibus.* Quamquam vt locum hunc abſoluam, Columella præfatione operis ſui, pertinaciter mundum ſeneſcere neget. Sed à mundo tantiſper mentem cogitationémque auocemus, & potius, qui hoc vniuerſum architectatus eſt, totum hoc quicquid ſit Diuina ſapientia moderantem, ſpectemus. Stoicus Romanus Sen. præf. lib. 3. Quæſt. nat. tantum non Chriſtianè iſta pronunciauit & verè: *Regna ex infimo coorta ſupra Imperatores iacuerunt: Vetera imperia in ipſo flore cecidere: Iniri non poteſt numerus quàm multa ab aliis fracta ſunt, nunc cùm maximè Deus alia*

exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias iactat. Diuinæ prouidentiæ certissima ista sunt effecta. E cœlo siquidem ista vox apud Danielem 4. *Cognoscant viuentes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituerit super eum.* Sic vulgata: sed Sancti Pagnini versio longè clarior. *Cognoscant viuentes quod dominetur Altissimus in regno hominis, & cui quod voluerit, dabit illud, & humilem hominum constituet super illud.* Anna Samuelis Prophetæ mater eodem pacto, 1. Reg. 2. *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Valdè pertimescendum quod apud Iob 36. scriptum est, *Deus Reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur. Etsi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.* Veterum Ethnicorum sapientiores quique, fatum, quod illi crebrò enunciabant, diuinæ prouidentiæ admirabilem dispositionem intelligi voluerunt. Quo spectant illa Statij 3. Syl.

Sunt fata Deûm, sunt fata locorum.

Cuius rei vnum & alterum illustre subiiciam exemplum. Hierusalem vnà cum Templo priore euersa fuit à Nabuchodonosor, anno Sabbatico; & illa eadem, anno eodem, euersa est à Tito & Romanis, eodem die, qui incidit in decimum nonum nostri mensis Augusti, vt prodit illustriss. Scaliger, de emend. temp. 6. & in Euseb. Subiungam & istud: Terra promissionis subacta, & distributa singulis Tribubus, primum apud Iudæos summum Sacerdotem extitisse Phinees, sic Hierosolymis à Tito & Romanis dirutis, vltimum extitisse Sacerdotem summum, nomine

Phinees, vt auctor est Nicephorus Chronolog. Quinetiam Constantinopolis à Constantino Magno instaurata, amplificata, dedicata est mense Maio, feria secunda; & ipsa eadem à Mahumete secundo expugnata, mense Maio, feria secunda, vel, vt aliis placet, feria tertia, sub Constantino: Auctores Codinus, Phranses. Sed vt è diuerticulo in viam redeamus, si quis tãtas & tam crebras rerum omnium vicissitudines, iam à priscis temporibus perpetua quadam serie contigisse perpendat facile ἀθαυμασίαν Democriti, siue admirationis vacuitatem illam, de qua Strabo 1. sibi comparabit; & cum Horatio 2. ep. 6. exclamabit:

Nil admirari prope res est vna, Numici,
Soláque quæ possit facere, & seruare beatum.

Aut potius iuxta diuina oracula, Rom. 11. O *Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius.*

CAPVT SECVNDVM.

Vitæ humanæ crebræ mutationes. Ipsa nauigationi comparata. Corpus instar nauiculæ. Penè omnis vita naufragium. Naufragio perire, genus mortis scæuum, & detestandum veteribus.

TANDEM hæc omnia prætermittamus quæ latissimè patent, vnius vitæ humanæ Euripum, & in eo varios ac multiplices affluxus & refluxus speciatim expendamus. Vitam humanam aut mari, aut nauigationi, qui persimilem dixerunt, non modo varias nauigandi rationes, sed & innumera, quæ in ipso mari & nauigationis cursu occurrunt, discrimina intellexerunt. Seneca ep. 70. ad diuturnam aut breuiorem hominum vitam ista refert: *Prænaui-*

gamus vitam. Sic M. Antoninus 3. de vit. Ingressus es vitam, nauigasti, vectus es, discede. Et quamquam discessus iste, quem nos mortem vocamus, seu externa vi contingat, seu naturali solutione, de qua plebeiam illam & vulgi vocem refert Seneca ep. 69. *Bella res est mori sua morte*, attamen quidquid illum antecedat, mera nauigatio apparet, quemadmodum enim in mari, vt ait Virgilius 3. Æneid.

—— terræque vrbésque recedunt.

Seneca epist. 70. *Sic in hoc cursu rapidissimi temporis, primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quicquid est illud inter iuuenem & senem medium, in vtriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos: Nouissimè incipit ostendi publicus finis generis humani. Scopulum esse illum putamus, dementissimi, portus est, aliquando petendus, nunquam recusandus: In quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quàm qui citò nauigauit. Alium enim venti segnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant, alium pertinax flatus celerrimè perfert.* Tertullianus de Anim. non minori elegantia totum hunc Senecæ locum æmulatus est, cùm morti seu naturali seu violentæ vim inesse contendit, iis verbis: *Violentior mors quæ per aliena grassatur, quæ animam per commoda expellit, quæ tunc mori adfert cùm iucundius viuere est in exultatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est & illa nauigij cum longè à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu: intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt, non secus naufragia sunt vitæ etiam tranquillæ mortis euentus, nihilo refert integram abire corporis nauem, an dissipatam, dum animæ nauigatio euertatur.* Maximus Tyrius serm. 3. vt hoc obiter dicam, hominis dum in his terris agit corpus, nauiculæ immensum

mare

mare traiicienti, comparat. Boëtius ille, 1. de Consol. Prof. 3. seu eruditionem, seu vitæ sanctitatem spectes clarissimus, merito de humana vita istud scripsit: *In hoc vitæ salo, circundantibus agitamur procellis.* Senecæ Consol. ad Polyb. c.28. imitatio est, apud quem hæc legas, *In hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modo alleuans nos subitis incrementis, modo maioribus damnis deserens, assidueque iactans, nunquam stabili consistimus loco, pendemus & fluctuamur, & alter in alterum allidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus.* Quod ait nos *aliquando* naufragiũ facere, *sæpius* dicere debuit, siquidem Saluiano lib.3. *pene omnis vita naufragium est*, & quo pacto istud contingat sic exponit: *Intantum quippe vitiosè ab omnibus viuitur, vt prope nullus Christianorum sit, qui non iugiter naufragare videatur.* Quandoquidem in communi hominum cœtu sic versamur, vt vndiquaque à naufragio vel famæ, vel rei domesticæ, vel potius, vt cum nostris loquar, diuinæ gratiæ, periculum nobis immineat. Rectè Petronius, Satyr. *vbique naufragium est*, Si quidem vt ipse explicat, *illum bellantem arma decipiunt, illum Diis vota reddentem penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit, cibus auidum strangulauit, abstinentem frugalitas.* Veruntamen si qui interim quod ad naufragij proprium ac primarium significatum spectat, in aquis suffocari, leue hoc ipsum & minimi faciendum esse putant, ij primum apud se cogitent veteres, genus hoc mortis, videlicet naufragio perire, supra quam credi possit, vel maximè reformidasse. Tertullianus, Apol.9. Ethnicis singularem istam exprobrat immanitatem aduersus Christianos, *Crudelissimè in aqua spiritum extorquetis.* Vegetius lib.4. de prælio nauali loquens, *Inter tanta tamen mortium genera,*

qui acerbissimus casus est absumenda piscibus insepulta sunt corpora. Ouidius, 1. Trist. El. 2.

Non lethum timeo, genus est miserabile lethi,
Demite naufragium mors mihi munus erit.

Sed ad rem, quis honestatis & omnis innocentiæ amans, famæ iacturam, ipsa morte acerbiorem non putat? Quis florente ac diuite familia & gente natus ad institas redactus? fortè,

Nudus, egens, veneris naufragus in pelago,

Vt ait Porphyrius Poëta apud Fulgentium, Mythol. lib. 2. non ægrè spiritum ducat? Quis tam parum de animæ suæ salute & immortalitate cogitans æternos alterius vitæ cruciatus non perhorrescat, malitque sempiternam istam infœlicitatem, non vnius vitæ, sed multiplicis, si talem nactus esset, dispendio redimere? Quicquid illud sit nemini dubium esse potest, vt vnda impellitur vnda, sic vitam humanam variis subinde iactari casibus. S. Ambrosius Orat. funeb. Theod. quam ornatè ista, dum de hominum conditione disserit: *Effusi vtero de calidis in frigida, de humidis in arida, piscium more iactamur, quos naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluctus expuit:* Sic vitam ordiri datum est, at hanc ipsam ducere non nisi inconstantissimè, quandoquidem Apuleio florid. 4. *Nihil quidquam tam prosperum hominibus datum, quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis, vt etiam in amplissima quaque lætitia subsit quæpiam, vel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis, Vbi vber ibi tuber.*

CAPVT TERTIVM.

Hominum qui tractant publica cum Euripo comparatio. Ambitionis flatus periculosus. Descriptio ab aquilæ exemplo. Ambitioni triplex periculum imminet, à seipsa, ab ipsis rebus, & honoribus, à rebus externis. Honores non sine metu. Imperiorum & Rerumpublicarum turbandarum duæ principes causæ, Ambitio & Auaritia. Ex Aristotele. Peregrini, spretis Ciuibus, honoribus minime exornandi.

VITÆ priuatæ & publicæ, seu eorum qui tunicata quiete, vt loquitur Martialis, lib.10. Epigr.51. delectantur, aut illorum qui in medio positi sunt, iuxta Senecam ep.73. qui in Republica versantur, comparatio, satis indicat non esse tam lac lacti simile quam horum, qui honoribus præditi, rem tractant publicam, cum Euripo illo Euboico vitam maximè conuenire, & eò magis si Aulæ addicti, suas omnes fortunas, opes, fœlicitatem denique in ea collocent. Varios Euripi istius vitæ, præsertim Aulicæ, accessus & recessus singillatim inuestigemus, atque in primis à quo in pelagus istud scopulosum & infestum impellantur: Ambitionis flatus ille est, sed & fallax & periculosus. Poma per vitrum aspicientibus multò maiora sunt. Columnarum interualla, porticus longiores iungunt. Seneca epist. 66. *Speciosa & magna contrà visentibus cum ad pondus reuocata sunt fallunt.* Sic se habent ad quæ adspirat ambitio, nam ipsa cum sublimioribus collata dignitatibus, eius qui illa tam cupidè prosequitur, præpostero opinionis errore, longè ampliora quàm res

ita se habeat, existimantur. Eiusmodi comparationem cum præstantioribus quàm grauiter expressit Plinius Iunior Paneg. apud Traianum suum: *Vt corpora quamlibet ardua & excelsa, procerioribus admota decrescunt, item vt altissimæ ciuium dignitates, collatione fastigij tui* (Imperatorij) *quasi deprimuntur, quantoque propius ad magnitudinem tuam* (Imperatoriam) *ascenderint, tantum etiam à sua descendisse videantur.* Fungi planè ac pepones isti ambitiosi, qui hæc non cogitent, quin potius voti sui ac desiderij compotes facti, quasi Cœlum vertice tangant, cæteros omnes longe infra se collocatos esse arbitrantur. Quorum imaginem non aptius, non venustius, nobis repræsentari existimem, quàm Aquilæ volantis lepida descriptione, apud Madaurensem illum, Florid.1. iis verbis. *Aquila cum se nubium tenus altissimè sublimauit, euecta alis, totum istud spatium quo pluitur & ningitur, vltra quod cacumen nec fulmini nec fulgori locus est, in ipso, vt ita dixerim solo ætheris & fastigio hyemis, sese extulit, nutu elementi, læuorsum vel dextrorsum, tanta mole corporis labitur, velificatas alas quo libuit aduertens, modico caudæ gubernaculo, inde cuncta despiciens.* Sed quis euentus huius tam elati, tam excelsi, atque vno nomine ambitiosi conatus, nil nisi *flamma stipula exorta, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento, sed materia leui, caduco incendio, nullis reliquiis.* Quàm parum hæc solida sint, & nimium quantum fallacia, non vno loco posthac demonstrabimus, nunc quantum periculi ipsi ambitioni inhæreat, paulo fusius explicandum est. Atque vt certo ordine tam varia & multiplex dissertatio nostra progrediatur, imprimis illud statuendum est, non vnius generis esse periculum, de quo quæritur. Aut enim à rebus ipsis & honoribus proficisci solet, aut ambitiosi sibimet periculum

creant, vel denique vltro quamplurimis diuersisque, atque externis discriminibus peti se in dies & singula momenta sentiunt. Aliquid in ipsis honoribus pertimescendum videri tam perspicuum est, quàm quod maximè, & nos de ea re alio loco nonnihil diximus, pauca hæc nunc subiicio. Seneca de Tranq. c.3. *Cum vtilem se efficere ciuibus mortalibusque propositum habeat aliquis, simul & exerceatur & proficiat qui in mediis se officiis posuit, communia pro facultate administrans. Sed in hac tam insana hominum ambitione tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus parum tuta simplicitas est, & plane futurum si semper est quod obstet quàm quod succedat.* Philo Alexandrinus de creat. Princip. sanctissimè admonet, Principatum omnem lubricum esse, innumeris insidiatoribus obnoxium, quod si aliquando confirmetur, id fieri non sine multis acceptis & illatis calamitatibus, atque nihilo stabiliores esse honores quorum incertissima sit possessio; quæ si quando perseueret, nihil tamen verè boni contineat. Illustre huiusce rei exemplum habes in ritu illo triumphandi, apud Romanos vsitato. Istud inter cætera memorat Septimius Florens, Apol. 33. *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo: Respice te, hominem memento te: Etiam vtique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria.* Addendum & illud in eodem curru, vnà cum triumphante, extitisse seruum publicum, qui coronam illius capiti impositam sustineret: Cui additus erat & carnifex cum tintinnabulo & flagris. Secundo loco videndum est, qua ratione à seipsis non leuia qui magistratus gerunt sibi accersant & attrahant incommoda, hoc vt multo clarius elucescat, ex altero Philosophiæ parente Aristotele 5. Po-

lit. c.2. intelligendum eſt, ipſorum Imperiorum & Rerumpublicarum non tam turbandarum quàm euertendarum has eſſe cauſas, & has quidem præcipuas ac principes, ambitionem & auaritiam, reliquas vero huiuſmodi, cum, in Republica, ciuium pauci, omnes honores intercipere ſolent, cæteri maneant inglorij, aut omnem omnino parandarum diuitiarum rationem ſibi vſurpant, reliquis egeſtate laborantibus. Deinde cum magiſtratibus exornati, priuatos contumeliis afficiunt. Tum qui præſunt, vectigalia & bona publica depeculantur, & in ſuos vſus peculiares conuertunt, vel priuatorum ſeu ciuium, ſeu qui illis parent, fortunas inuadunt. Quin etiam ſi quis ſupra modum inter ſuos excellat, & recte Liuius lib. 38. iſtud admonet, *Neminem vnum ciuem tantum eminere debere, vt legibus interrogari non poſſit, nihil tam æquandæ libertatis eſſe, quàm potentiſſimum quemque dicere cauſam.* Illis eſt addendus metus, non tam quod imbecilliores aut tenuiores metuant ne iniuria à potentioribus afficiantur, aut nobiles à plebe, ſi modo penes eam eſt imperium, quin potius quod potentiſſimus ciuis quiſpiam veretur, ne propter ſcelera & maleficia à ſe perpetrata pœnas det. Sequitur contemptus, cum nulla eſt aut exigua iudicum vis & poteſtas, magiſtratuum plane iniuſtus, & indignis quidem largitionibus, habitus delectus. Denique ſi ordinum in Republica aliquis, vt pote iudicum ſeu magiſtratuum, in immenſum excreſcat. Addit inſuper vir ille nulli ſecundus, ſi qui humilis & abiectæ ſortis homines, necnon & Peregrini in ipſa Republica obtineant magiſtratus. Poſtremum hoc ad id, de quo quæritur, maximè pertinere exiſtimandum eſt. Siquidem vbi Peregrinus aliquis in honoribus

adipiſcendis, ipſis ciuibus prælatus eſt, non modò inuidiam, ſed & odium plurimorum ſibi conciliabit. Ac quamquam de ipſa Republica bene meritus, & ſuis præclarè factis ad eam peruenerit dignitatem, nihilominus tamen ciues ipſi, qui, vel ſua, vel maiorum virtute & induſtria, Rempublicam iuuiſſe dicuntur, iſtud æquo animo pati non poſſunt. At quanto iniquius ferent ſi peregrinus, penè ignotus, nulla fidei, probitatis, fortitudinis commendatione dignus, illuſtriſſima præfectura & magiſtratu exornetur. Hæc vna res in Imperiis & Rebuſpublicis non leues turbas excitauit, hæc nonnullos Imperatores & Principes peſſumdedit. Id de Macrino Imperatore prodit Xiphilinus Macrin. ex Dione, mitto cæteros quos longum eſſet percenſere. Quo loco cum Statio, protrept. ad Criſpin. liceat exclamare,

Nos certè taceamus & obruta multa
Nocte tegi, propriæ patiamur crimina gentis.

Saluiano 7. *Franci ſemper habiti ſunt hoſpitales*, & quando Galli vnà cum ipſis in vnam coaluerunt gentem, non minori affectu & ſtudio in excipiendis peregrinis propenſos ſeſe demonſtrarunt; ſed hæc benignitas tum magno conſtitiſſe nonnumquam viſa eſt, cum ipſi peregrini ad maximas dignitates, ciuibus ipſis diſſimulantibus, vel inſigni ſocordia & veterno laborantibus, ſibi aditum fecerunt: & quàm ſæpe Galliam ſuis Nouercam eſſe docet experientia. Ammianus Marcellinus lib. 25. Iulianum Imperatorem meritò carpit, quod in vrbium decuriis, quæ ſunt minores Senatus, vel peregrini ſua auctoritate aut diſſimulatione promouerentur. Eſt Peregrinorum genus aliquod, cui non minus periculi immineat quàm ſuperioribus, ſi honores & magiſtratus ambiat.

Hos intelligo qui ab auita, & permultis antea seculis in Republica recepta religione desciuerunt, quos à reliquis ciuibus legitimo sacrorum ritu, & orthodoxa fide dissidentes, dignitatibus exornare nefas esse dicendum est, si tranquillam & tandem saluam Rempublicam esse velimus. Sapienter Iustinianus Imperator apud Procop. bell. Vand. lib.2. Gilimerem, quondam Vandalorum Regem, Arrianæ hæresi renunciare recusantem, Patriciatus honore insignire renuit, inconcussum nihilominus Reipublicæ statum, vt optandum, sic retinendum velim.

CAPVT QVARTVM.

Nonnisi idonei & digni ad honores publicos & dignitates promouendi. Inuiti vel non ambientes magistratibus exornandi. Imperiti & flagitiosi penitus remouendi. In vnoquoque magistratu tria requirit Aristoteles. Genere nobiles an idcirco periti & idonei. Politica doctrina tribus modis comparatur. Qui opibus abundant an idcirco peritiores & magis idonei. Magistratus dignum non efficit. Magistratuum ingens numerus de dignitate multum detrahit, velut & si quis indignus exornetur, aut præproperè & prœmaturè.

SED pergamus & qui sibi nocere soleant, magistratus ambientes cæteros expendamus. Ac in primis, qui rerum agendarum plane imperiti, tanta tamque incredibili audacia & confidentia, quoslibet honores captare non verentur, ij nobis sunt excutiendi. Præstantissimus ille cuiusuis eruditionis præceptor Aristoteles, polit. 3. c. 7. in omnibus ferè artibus, præsertim practicis & effectricibus,

cibus, triplex hominum genus ſpectandum eſſe admonet; ſunt qui præceptis & ratione habitum alicuius artis ſibi compararunt: ſunt qui vſu tantum experientiáque artis ipſius cognitionem adepti ſunt: poſtremò ſunt & opifices, qui in politicis rebus, *Officia*, non modo apud Iuriſconſultos, ſed etiam apud probos auctores nuncupantur. Nunc omiſſo iſto genere poſtremo, cui parendi neceſſitas perpetuò impoſita eſt, de duobus prioribus agamus, qui, neque habitu & ratione, neque vſu gerendis magiſtratibus, aut dignitatibus ſuſtinendis, idonei ſunt, ac nihilo minus ad illas, omni ſtudio & conatu, contendunt, non à cuiuſuis periculi metu liberos ſe eſſe minimè exiſtiment, & eo magis ſi vel opum parandarum cupiditate, vel ambitione, ſeu cæteris pro libidine imperandi, ſtudio ducti, ipſos appetant & conſectentur honores, quos vt planè indignos, à Republica gerenda penitus remouendos eſſe, apud Platonem 1. Repub. Socrates exiſtimat. Solis itaque viris probis, & qui nulla ratione abduci ab officio poſſint, demandandos eſſe magiſtratus contendit. Et alio loco lib. 7. de Repub. Ciuiles honores, hominibus imperij minimè cupidis, concedendos eſſe concludit: quin ſi laborem adminiſtrationis detrectent, etiam mulcta impoſita, cogendos eſſe, quandoquidem ob vitæ & morum integritatem, non iam ſuæ, ſed publicæ vtilitati ipſos conſulturos eſſe, pro comperto habeatur. Sic certè ſapientiſſimi quique principes, ambitioſis illis, vt potè indignis ad quoſlibet magiſtratus capeſſendos, omnem omnino aditum intercluſum eſſe voluerunt, quos non aliter minus idoneos iis gerendis exiſtimarunt, niſi quod penitus indignos, illi, ſua ambitioſa & incredibili cupiditate ſe ſe præbuerint. De Galba Imperatore iſtud ſcripſit Tran-

quillus, Galb. 15. *Existimabatur Senatoria & Equestria officia biennij spatio determinaturus, nec daturus, nisi inuitis ac recusantibus.* Plinius, Panegyr. suum inter cætera Trajanum laudat, *quandoquidem ab eo impetratum quod postulabatur, & oblatum quod non postulabatur, quique instaret vltro, & vt probi concupiscerent admonuit:* Et paulò post, non nisi idoneis & dignis collata esse dignitatum beneficia, commemorat. O *te dignum*, inquit, *qui de magistratibus nostris semper hæc nuncies, nec pœnis malorum, sed bonorum præmiis bonos facias. Vtile est, Cæsar, & salutare præsidibus Prouinciarum hanc habere fiduciam, paratum esse sanctitati, industriæ suæ maximum præmium, iudicium Principis, suffragium Principis. Nunc si bene aliquis Prouinciam rexerit, huic quæsita virtute, dignitas offertur.* Nec multò post, *Nihil magis prodest candidato ad sequentes honores, quàm peractus optimè magistratus: magistratus magistratu, honor honore petitur.* Sic apud Pacatum, Panegyric. *Dux aliquis euehitur, exegit disciplina castrorum, præfectus attollitur, imponendum est Prouinciæ caput.* Admirandum sanè illud est, quod de Theodosio Magno narrat item Drepanius Pacatus, Panegyr. nisi quis non tam verè quàm oratoriè dictum putet: *Illud tamen*, inquit, *præ cæteris mirum, quod cum omnia faceres, vt imperare deberes, nihil tamen faciebas vt imperares: Argumento est dies ille communis boni auctor, quo tu ad suscipiendam Rempublicam vocabaris, oblatum imperium deprecatus es, nec dans speciem tantum vt cogi videreris, sed obnixè & diu & velut impetraturus egisti.* Illud idem de illustrioribus fœminis Plinius, Panegyr. apud Trajanum, dicebat, quæ *nihil tam laude & prædicatione dignum præstare possunt, quàm si verum honorem, non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant, magnísque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant.*

Quod multo rectius viris probis tribuendum esse censeo, qui nihil sibi grauius accidere posse arbitrantur, si dignitatis alicuius & publici muneris officium sustinere cogantur. Sic Alexander Seuerus, inter optimos quosque Imperatores numerandus, *inuitos non ambientes, in Rempublicam collocandos esse dictitabat.* Votum elegantissimi Symmachi, vrbis præfecti fuit, cum ad Theodosium ipsum ita scriberet lib.10. ep.30. *Melius vrbi nostræ* (Romæ) *in posterum consuletis, si eligatis inuitos:* Magistratus intelligit: quod ab eodem Imperatore factitatum esse, ille idem auctor est lib.3. ep.81. iis verbis ad Rufinum scribens: *Quid quod etiam longe intendit* (Theodosius) *oculos, & per immensum requirit venas bonorum, nullosque auidius trahit quàm nihil desiderantes.* Augustorum Gratiani, Valentiniani, Theodosij, seuerissimam illam in, turpissimo ambitu, quoslibet magistratus prensantes, legem Cod. Theod.6.tit.1. l.1. omittere non possum: *Nihil esse,* inquiunt, *tam iniuriosum in conseruandis & custodiendis gradibus dignitatis, quàm vsurpationis ambitio. Perit enim omnis prærogatiua meritorum, si absque respectu & contemplatione, vel qualitate etiam prouectionis emeritæ, custodiendi honoris locus præsumitur potius quam tenetur: vt aut potioribus eripiatur id quod est debitum, aut inferioribus prosit, quod videtur indebitum.* Et quamquam de imperitis alicuius muneris, & officij publici exequendi, sermo institutus sit, nihilominus qui tales sunt, etiam indignorum nomine comprehenduntur: quæ vox alicuius magistratus gerendi planè ignaros, ac præterea qui, politico homini necessarias, artes & disciplinas vix nouerunt, sed flagitiosis moribus præditos complectitur. De imperitis prius videndum, postremò indignos vniuersim conficiemus. Antequam speciatim de vnoquoque genere eorum qui

honoribus & dignitatibus exornantur, istud Aristotelis Polit.5. c.9. maximè obseruandum est. In iis qui summis magistratibus præsunt tria requiri, studium & amorem erga Rempublicam, tum scientiam & vsum, hoc est vt sint idonei & periti, denique probitatem & iustitiam formæ Reipublicæ congruentem, sed iam singula dispiciamus. Dignitas & magistratus omnis, vel in iis quæ belli sunt, vel pacis rebus gerendis versatur: Armatæ militiæ, honores omnes & munia publica, vnus nobilium ordo, quasi iure optimo sibi debita, etiam sibi vni vendicat. An origine & gente nobiles, idcirco his militaribus honoribus capessendis idonei habendi sint non vna ratione dubitari potest. Aristoteles Polit. lib. 3. c.5. Rempublicam suam ordinibus quatuor constare vult, proborum, nobilium, ditiorum, & infimæ plebeculæ, quærítque si honores alicui horum ordinum tribuendi, an ille nonnisi peritos horum gerendorum contineat. Nobiles præsertim & ditiores commemorat, negátque iis, ideo quia nobiles sint, vel opibus abundantes, peritiam inesse exequendi alicuius officij publici. Istud à simili declarat, si quis nobiliorum, aut locupletiorum, cùm iis qui tibia canendi artem profitentur, comparetur, an propterea melius canere dicetur, propter generis nobilitatem vel diuitias? Nihil minus, si quidem oporteat ei qui opere præstat, organorum quoque exhibere præstátiam, & nobilitas atque opes nihil omnino iuuant ad rectè & ex arte canendum. Idem planè statuendum in re nautica, arte militari, & cæteris artibus. At dicent, nobiles longè animosiores, audaciores, & ad quoduis belli discrimem subeundum, longè paratiores esse plebeiis hominibus. Non hîc agitur cum manum cum hoste conserere necessum est, cùm vt ait Virgil. lib. 10. Æn.

—— *hæret pede pes, densúsque viro vir*
Miscetur, de arte in bello imperandi quæstio est: ista non fumosa nobilitatis imagine comparatur. Istud ex Polybio lib.6. magnopere obseruandum discimus, Politicam doctrinam tribus modis comparari, lectione historiæ, opera seu disciplina magistri, & vsu, quod & in re militari valere nemo, cui mens læua non fuerit, dubitabit. Quisquis igitur nobilis militiæ nomen dederit, istud in primis curet vt se Tactico Magistro, seu Tribuno, seu Veterano Centurioni, in disciplinam tradat: sed siue hunc, siue illum nonnisi exercitatissimum, & rei bellicæ scientissimum velit. Præclarè illud adnotatum apud Platonem, Lachet. legimus: Armorum magistros ineptos, & rei militaris parum scientes, Lacedæmonem præsertim vitasse, quia in ea ciuitate nonnisi rei bellicæ peritissimi æstimabantur, & imperiti excludebantur. Nec audiendi nobiles, qui Plebeiis quouis in negotio ignobilitatem exprobrant, apud Iuuenalem Satyr.8.

Vos humiles, aiunt, vulgi pars vltima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.

Sed vicissim reponent Plebeij, ex eodem Poëta:

—— *Sed te censeri laude tuorum*
Pontice noluerim, sic vt nihil ipse futuræ
Laudis agas: Miserum est aliorum incumbere famæ.

Plinius Iunior lib.5. ep.17. Eximiè istud, *Mirè*, inquit, *cupio ne nobiles nostri nihil in domibus suis pulchrum nisi imagines habeant*. Quantum, oro, ignominiæ & infamiæ nobilibus accedit, qui planè degeneres, maiorum dūtaxat rebus præclarè gestis, & immortali laude ac prædicatione dignissimis nituntur: verè Poëtam vnumquemque id genus nobilium ita compellare credendum est. Iuuen. Satyr.8.

Nil nisi Cecropides, truncóque simillimus hermæ.
De quocumque voles proauum tibi sumito libro,
Quod si præcipitem rapit ambitus atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,
Incipit istorum contra te stare parentum
Nobilitas, clarámque facem proferre pudendis.

Sic Ausonius noster septem Sapientum ludo,

Maiorum meritis gloria non datur,
Turpis sæpe datur fama minoribus.

Elegantercertè apud Philostratum lib.1. de vit. Sophist. in Dionysio. Ad maiorum gloriam confugere eorum est, qui propriæ laudis iacturam fecerunt. Quantoperè ex isto nobilium numero reformidare quispiam debet, ne illi Poëta istud in aurem immurmuret,

Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

De suis nobilibus vtinam duntaxat Idem Poëta Saty. 6. hæc scripsisset,

Transeo suppositos & gaudia votáque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos:
——*si quis distendere vellet*
Et vexare vterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse Pater.

Sed ad rei militaris peritiam, quam exquirimus, tandem redeamus, nec solis attributam nobilibus, fatendum est: & quàm sæpius obscuro genere nati, cæteris nobilibus & virtute & fœlicitate bellica longè antecelluerunt. Nihil tam obuium in publicis historicorum monumentis. Ri-

deant quantum volent ipsi nobiles Ventidium Bassum & istud occinant. Agell. 15. c. 4.

Concurrite omnes Augures, haruspices,
Portentum inusitatum, conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

At ille primus de Parthis triumphauit, remque Romanam toto Orientis tractu nutantem firmauit, stabiliuit; Cui iure optimo symbolum huiusmodi assignauerim: *Suppleuit fortuna genus.* Adde & hoc Iuuen. sup.

Plebeiæ Deciorum animæ, Plebeia fuerunt
Nomina. Verè equidem Seneca epist. 66. *Potest ex casa vir magnus exire, potest & ex deformi humilíque corpusculo formosus animus ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare vt approbet virtutem omni loco nasci.* Sed nimis multa de armatæ militiæ scientia, nunc de togatæ peritia dicendum, & quàm dolendum sit tot imperitos, ineruditos ciuilibus istis magistratibus exornari, non vnius generis causæ existunt, ex quibus tanti mali origo profluxisse dignoscitur. Vna eaque præcipua semper viris probis visa est, quod dignitates eiusmodi venales sint, quam rem pluribus alio loco lib. 1. Select. excussimus. Sed quoniam malum istud tam altas radices egit, vt vix ac ne vix quidem, si non funditus extirpari, saltem reuelli possit. Interim videamus quam peritiam diuitiæ ipsæ, quarum beneficio magistratus illi comparantur, suppeditent B. Hieronymus Apol. 1. contr. Ruff. verè istud, *Literæ marsupium non sequuntur, sudoris comites sunt & laboris.* Tacitus Ann. 3. *Eloquentiam non discerni fortunâ* scripsit. Iuuenalis, Satyr. 8. Plebeios homines vtpotè tenuioris fortunæ, non ideo reiiciendos censet, quasi cum musis minus aptè isti consentiant:

——tamen ima plebe togatum
Facundum inuenies.

Et paulò poſt,

—— veniet de plebe togata
Qui iuris nodos & legum ænigmata ſoluat.

Sic Minutius Fœlix, Octau. *Ingenium non dari facultatibus, nec ſtudio parari, ſed cum ipſa mentis formatione generari.* Quàm grauiter iſta exprōmit Seneca. *Liberalibus me ſtudiis tradidi, quamquam paupertas alia ſuaderet, & ingenium eò duceret, vbi præſens ſtudij pretium eſt. Oſtendi in omne pectus cadere virtutem, & eluctatus natalium anguſtias, nec ſorte me, ſed animo menſus, par maximis ſteti.* Auſonij Conſulis, grat. act. ad Gratianum Imperatorem, quondam diſcipulum, oratio eſt dum ei gratias agit, & aptè ad eam rem: *Non poſſum oſtendere imagines maiorum, nec deductum ab heroïbus genus, ſed ea quæ nota ſunt dicere. Patriam non obſcuram, familiam non pœnitendam, frugalitatem ſine ſordibus, victum, veſtitum, ſuppellectilem, munda, non ſplendida.* Et quamquam non diffitear opes, & prolixam aliquam hæreditatem plurimùm adiumenti, ad animum optimis artibus & diſciplinis excolendum afferre, non tamen, ſi ſanus ſim, ſolis diuitiis eam vim ineſſe dicam, vt ipſæ poſſeſſores ſuos, idcirco cuiuſlibet dignitatis & magiſtratus ciuilis gerendi, idoneos efficiant. Quàm iſtud indignum videri debet, illis locupletioribus, nonniſi diuitiarum beneficio, ad publica iſta munia, patere aditum. Quis æquo animo ferat ſtudiorum rudes, litterarum profanos, expertes bonarum & libero homine dignarum artium, ad Reipublicæ gubernacula euolare, in clariſſima magiſtratuum ſubſellia irrumpere. Sed multo magis indignandum atque indoleſcendum flagitioſis artibus & moribus,

moribus, ad hæc ciuilia officia euehi. Rectè Seneca Præf. 1. quæst. nat. *Ambitio ad dignitatem, nisi per indigna non ducit.* Veterum ea querela est de iis quos seculi infœlicitas ad dignitates prouehit, maximâ illarum infamiâ. At quis stupor id genus hominum animos occupauit, cùm putant magistratuum, quos adepti sunt, ornamentis dignos & idoneos effici, & in virtutis contubernium admitti. Præclarè vir ille consularis & penè martyr, Seuerinus Boëtius, Consol. l. 2. pros. 6. De quo Gerbertus seu Syluester 2. meritò ista,

—— gladio bacchante Gothorum,
Libertas Romana perit, tu consul & exul,
Insignes titulos præclara morte relinquis.

Collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius & ostentat indignos. Rationem adsignat: *Si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprij boni, nunquam pessimis prouenirent, neque enim sibi solent aduersa sociari. Ita cùm pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet natura sui bona non esse quæ se pessimis hærere patiantur.* Et alio loco Consol. 3. pros. 4. *Non ea vis est Magistratibus, vt vtentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant: Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent nec possumus ob honores reuerentia dignos iudicare, quos ipsis honoribus iudicamus indignos.* Sic Saluianus 4. *Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Et antea Publius Syrus Mim.

Loco ignominiæ est apud indignum dignitas.

Non immerito itaque B. Bernardus consid. 2. c. 7. dum suum Eugenium monet, quosdam sui seculi ambitiosos, & vitæ ad rectam virtutis regulam minus compositæ perstringit, sic autem loquitur: *Non tu de illis es, qui dignitates*

virtutes putant? Istud vero prætermittere mihi religio est, clarissimas & ornatissimas quasque dignitates, non modo ab eis qui ad illas indignè irrepserint, verumetiam propter effrenem numerum eorum qui illis exornantur despectui haberi. Verè siquidem à B. Hieronymo ep.ad Pammach. dictum est, *Quamuis clarus honor vilescit in turba & apud viros bonos, indignior sit ipsa dignitas, quàm multi indigni possident. Et latent in multitudine laureæ, & triumphi interdum triumphantium sordibus polluuntur.* Hoc certè memoria dignum quod ab Aurelio Victore, Vespas. proditum est, Præfecti Prætorio dignitatem suo tempore, id est Constantini Magni æuo, viluisse, propter indignitatem eorum qui illam gessissent. Memorandum istud verè portentum quod Pistorij in Hetruria contigisse narrat Ammianus, lib. 27. ea in vrbe asinus, ipso meridie, tribunal conscendit, quod fuit augurium indignæ promotionis Pistoris cuiusdam in Correctorem prouinciæ. Alterum huic persimile, apud eundem Ammianum, lib. 28. Scopas, quibus nobilitatis curia mundabatur, florere visas, & istud non aliud portendebat quàm indignos & sordidos homines extollendos. Nullus itaque, omnis honestatis & iustitiæ amans, succensere debet Catullo Epig. 53. in Nonium Strumam stylum stringenti, his versibus.

Quid est Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet.
Per Consulatum peierat Vatinius,
Quid est Catulle, quid moraris emori?

Non aliter Boëtius, Consol.3. pros.4. Ex consule, *Tu num tandem tot periculis adduci potuisti, vt cum decorato* (homine flagitiosissimo) *gerere magistratum putares, cùm in eo mentem nequissimi scurræ delatorisque respiceres?* Sed ne cui scru-

pulus inhæreat, dum quæritur, annon qui ſunt periti nobiles, aut ditiores, idcirco digni exiſtimandi ſint? ambitio abſit, nihil eſt quod non facile probes. S. Ambroſio ep. 7. *Omne pretioſum non eſt dignum;* Illuſtrem te familiæ nobilis ac gentis ſplendor, tum opes permaximæ faciunt; ſed qui ambitioſiſſimè & arrogantiſſimè iam non minores, verum maximos quoſque magiſtratus, & ambis & conſectaris, vide ne per abrupta, confragoſa, tibique ignota loca, præcipitem te agas. Inſignem de ea re locum habes apud Tacitum, Annal. 3. *Brutidium,* inquit, *artibus honeſtis copioſum, & ſi rectum iter perageret, ad clariſſima quæque iturum, feſtinatio extimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat, quod multos etiam bonos peſſundedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, præmatura vel cum exitio properant.* Querela iſta eſt apud Liuium lib. 32. *Iam Ædilitatem Præturamque faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes nobiles homines, tendere ad Conſulatum, ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare.* Seneca lib. 7. de benef. c. 30. prudentiſſimè ſolens ſuo more, ita cenſet. *Sæpe,* inquit, *quod explicauit mora, pertinaciâ trahentis abruptum eſt.* Qui præproperè & præmaturè maximas quaſque dignitates ambiunt, hæc ſibi ob oculos obuerſari quacunque ratione optare debent. Neque vero omiſerim alterius generis homines, quos venuſtè deſcribit Phœdrus Auguſtalis Libertus, lib. 2. fab. 36.

Eſt Ardelionum Romæ quædam natio,
Trepidè concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi moleſta & aliis odioſiſſima.

Ij ſurſum deorſum, rurſus prorſus verſant omnia, vt aliquo in pretio tanquam rerum omnium periti, ac proinde

ciuilibus officiis digni, habeantur. Sed tandem de imperitis huiusmodi sermonem absoluam, præclarâ Socratis apud Platonem Alcib.1. sententiâ, dum conqueritur ad plebeias & vulgarias artes, in quibus peccasse, non tanti est, imperitos non accedere; ad Rempublicam vero, in qua gerenda nonnisi periculosissimè peccatur, imperitissimum quemque admitti.

CAPVT QVINTVM.

Qui publica tractant, ab inuidia, à calumnia, ab inconstantia Principum, à seipsis denique iactantur. Inuidiæ damnosa effecta. Admirandæ actiones non sine inuidia & calumnia. Indigni honoribus aucti meritò inuidia digni. Sibi rebus florentibus temperandum.

QVOS exagitat ambitio, siue peritos siue imperitos gerendi alicuius magistratus, explicauimus; nunc quo pacto in illo seculi Euripo iactentur, & quos accessus aut recessus patiantur, videamus. Ac illud quidem citra vllam dubitationem existit, ipsis triplicem imminere tempestatem periculosissimam, quarum vnaquæque varias ac multiplices subinde procellas immittat, inuidiam, calumniam, & inconstantiam Principum, præter ea quæ aliquo honore exornatus, sibi ipse creat pericula, de quibus singillatim modo dicendum est: ita tamen, vt veluti domesticas Syrtes postremo loco, tria vero priora illa æstuaria, priore loco describamus. Primum occurrit & commune quidem discrimen Inuidia, insita, teste Tacito, 2. histor. mortalibus natura, *Recentem videlicet aliorum fœlicitatem*

ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere quàm quos in æquo videre. Siquidem in vicino verſatur inuidia, ſimplicius longè poſita miramur, ait Seneca, de breuit. vitæ c.15. Apte Claudianus, 1. in Ruffinum,

—— dominoque parabat
Exitium, fœcundus ager, metuenda colonis
Fertilitas. Et certè S. Baſilius, ſerm. de Inuid. vniuerſim dixit, velut publico & communi totius generis humani vitio, vnumquemque gentis ſuæ hominibus & contribulibus inuidere, nec ignotis quibuſque, ſed vicinis & proximis ac familiaribus ſuis, imo vero his qui artificij eiuſdem, vel officij, vel operis exiſtant. In maximis quibuſque ciuitatibus, iſtud quotidie vſu venire certum eſt, ſed in municipiis & cæteris minoribus oppidis, Inuidiam præſertim regnum obtinere nemo eſt qui non aduertat. Siquidem, auctore Martiale, Præf. lib.12. *in his municipalium ſpectatur rubigo dentium & iudicij loco liuor, & vnus aut alter mali in puſillo loco, multi, aduerſus quos difficile eſt quotidie habere bonum ſtomachum.* Imperitos vel indignis modis ad honores prouectos iuſta premere videtur Inuidia, at dignos & rerum prudenter geſtarum conſcientia nixos, nonniſi iniuſtiſſimus liuor perſequitur, à Principe tamen, vel eo penes quem imperij ſumma conſiſtit, metuendum. Polybij 1. ſententia illa eſt, cum docet, illuſtres atque admirandas actiones, graues inuidias, atque acres calumnias, conflare ſolere. Tiberio Imperatori, *magnitudo famæ exitio erat*, auctore Tacito, Ann.3. apud quem & iſtud legas, vita Agricolæ, *Non minus periculum ex magna fama, quàm ex mala.* Salluſtio Catil. ita viſum, à quo hæc ſunt, *Regibus boni quàm mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque his aliena virtus, formidoloſa eſt.* Singularis Germanici prudentia ea fuit, Tiberio

imperante, cum cæsis Barbaris, erecto in Germania trophæo, apposito titulo, *Sui memoriam in illo non fecit, de se nihil addidit metu inuidiæ, an ratus conscientiam factis satis esse.* Tacit. Annal. 2. Verè Quintilianus Declamat. 348. *Hanc esse conditionem dixit omnium qui administrationem Reipublicæ aggrediuntur, vt ea quæ maximè pertinent ad salutem communem, cum quâdam suâ inuidiâ efficere cogantur.* Miserandum plane ad honesta recto itinere vadenti perpetuam vndique occurrere Inuidiam, qui altiori stant gradu, sua vestigia de proximo terentem, limis excipiunt oculis, æquales, illis subesse nonnisi ingratiis patiuntur, inferiores, parem sibi blandientis fortunæ aspectum non sine inuidia exoptant. Tacito Ann. 14. *Rumor populi neminem sine æmulo sinit.* Quis enim ista Senecæ Consf. Polyb. non vsurpet: *Ille me gratia forensi longè antecedit. Ille stipendiis militaribus & quæsita per hoc dignitate, ille Clientum turba, huius turbæ par esse non possum, huius gratiæ, tanti est ab aliis vinci sese persuadere.* Eò spectant ista Tibulli lib. 3.

Est quæ præterea populus miratur in illis
Inuidia est, falsò plurima vulgus amat.

Senecam, Vit. beat. c. 2. ad eam rem accommodatè, quis non istud enunciasse dixerit, *Quàm magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus est.* Et eò quidem numerosior, si indigni honoribus aucti fuerint. Lepidè Phædri, 1. Fab. 7. versus, de his hominibus, iactari possunt.

Personam tragicam fortè vulpes viderat,
O quanta species, inquit, cerebrum non habet.
Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Quibus affinè illud est Iuuenalis Saty. 3.

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

Portius latro apud Senecam Patrem Contr.1. lib.2. *Aurum & argentum, ludibria fortunæ, quæ inter iocum ipsis Dominis veniunt.* Nec est quod vnumquemque probum magis vrat, quàm si Tigillinum aliquem præmia virtutum, quia istud velocius contingat, vitiis adeptum fuisse conspiciat Tacitus hist.1. Sic se habet seculi infœlicitas,

—— donant arcana Cylindros.

Illius generis homines,

Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus & stantem inter pocula caprum.

Iuuen. Saty. 2. Vulgi magis quam Tertulliani Apolo. 12. Vocem illam esse arbitror. *Prælatio alterius, sine alterius contumelia nō potest procedere, quia nec electio sine reprobatione.* Nec enim probi viri aliquem de Republica benemeritum, summis exornari dignitatibus molestè ferre possunt, improbi formident, cæteri conticescant: Ille vero ita moderatè se gerat, vt nullum omnino Inuidiæ ictum pertimescat. Attamen istud Galli Rhetoris, apud Senecam Patrem, Controu.8. lib.1. sæpius memoria repetat, *Inuidiosum esse, vnum hominem toties optare omnes honores intercipere, nec expedire Reipublicæ, videri tantum ex vno pendere.* Illustre exemplum apud Æmilium Probum, Thrasib. *Bene*, ait, *Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, cum ei Mitylenei multa millia iugerum agri muneri darent, Nolite rogo vos*, inquit, *mihi dare quod multi inuideant, plures etiam concupiscant, quare ex istis nolo amplius quam centum iugera, quæ & meam animi æquitatem & vestram voluntatem indicent, nam parua munera diutina, locupletia non propria esse consueuerunt.* Ac certè cui omnia quæ sunt præstantissima &

ſumma, quaſi huic vni deſtinata tribuuntur, iſtud Saluiani 2. ad Eccl. Cath. dies noctesque cogitet, *Vbi hoc vnus accipit quod vniuerſi, & ſi par eſt menſura, maior inuidia eſt. Quo fit, vt licet ipſum accipiat, plus debere videatur, quia magis fit vnus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus.* Nec abludit Tacitus lib. 14. & manifeſtum diſcrimen ſatis apertè indicat, *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur.*

CAPVT SEXTVM.

Calumniæ iactatio grauiſſima. Aulæ principum vndique calumniatoribus refertæ. Exempla. Calumniatorum multiplex deſcriptio, artes variæ. Calumniatores, delatores. Amicitiæ ſimulatæ, temporariæ, infidæ.

CALVMNIAM, fluctum plane Decumanum eſſe in hoc vitæ humanæ ſalo, ſi quis neget, procul à communi hominum cœtu, in aliquam ignotam ſolitudinem, tanquam in vltimas terras, ab ortu ſuo deportatum ſe fuiſſe ſibi prius perſuadeat, quam ſi quis penitus effugerit, omnem humanæ conditionis ſortem exceſſiſſe videbitur. Quod ſi ab Inuidia nil tutum eſſe ſupra ſatis abundè demonſtrauimus, eadem omnia calumniæ obnoxia eſſe neceſſario fatendum eſt, hæc enim illam ita conſequitur, vt quibus inuideant eoſdem calumniari, ſiue apud Principem, ſiue in circulis, apud vnumquemque non dubitent. In foro id vſitatum videri ſcribit B. Cyprianus ep. 2. *Inimicus*, inquit, *inſimulat, calumniator impugnat, teſtis infamat, vtrobique graſſatur in mendacium criminum proſtitutę vocis*

venalis

venalis audacia. At nihil hoc ad Aulas Principum, quæ calumniatoribus & delatoribus nunquam caruerunt. Innumera sunt harum rerum apud scriptores, quâ Græcos, quâ Latinos, exempla, pauca subiiciam. Illustre illud est Titij Sabini equitis Romani, Tiberio Imperatore, per calumniam euersi & extincti. Latinus Latiaris, huius tragædiæ architectus, callidè Sabinum aggreditur, *fortuitos primum sermones promere,* mox ipsius constantiam laudare occipit, quod non, vt cæteri, florentis domus Germanici amicus, afflictam deseruisset, simul honorificè de ipso Germanico disseruit, *Agrippinam eius vxorem miserans:* Adhæc Sabinus (*vt sunt molles in calamitate mortalium animi*) effudit lachrymas, adiunxit questus, ac iam audentius *Seiani sæuitiam, superbiam, ambitionem incusat, nec in Tiberium conuitiis abstinuit.* Sabinus Latiarem velut fidissimum amicum ratus, in eius domum ventitare cœpit, & vltro dolores suos eius fidei concredere, habendæ de Sabino quæstioni testes deerant, *tres subornati Senatores*, non minus turpi latebra quàm detestanda fraude, tectum inter & laquearia sese abstrudunt, foraminibus & rimis aurem admouent, *Sabinus repetitis querelis*, omnem animi sui ægritudinem, non sine verborum acerbitate, apertè expromit; *hinc properata accusatio, illico occisus Sabinus*, è scalis præcipitatus, corpus in flumen proiectum: *Canis Sabini*, qui etiam in carcere semper cum hero fuerat, mortuum non deseruit, seque ad extremum, in flumen in quod proiectum heri corpus, coniecit. Quæ Tacitus Annal. 4. & Dio, Tiber. narrant. Neque verò prætermittendam, apud eundem Dionem, calumniatorum & delatorum id genus, elegantem hoc loco descriptionem arbitror. Solent calumniatores initio alteri maledicere, sed ei in cuius gratiam has struunt insi-

dias, tum illius alterius arcana quædam patefaciunt, quibus auditis, nimium creduli & simplices apud quos hæc vulgantur, plus æquò liberè de eo, de quo quæstio, animi sui sensa explicant, vt qui tutò & cum omni fiducia apud amicos, quique idem planè sentiant, se colloqui arbitrentur, hæc certissima minimè malis & suspicacibus hominibus ad exitium via, infœlicissima viuendi ratio, vbi horum, quos tu amicos existimes, congressus, colloquia, imò ignotas quidem ac notas aures vitare cogaris, & quod longe grauius est, muta atque inanima, tectum & parietes circunspectare. Eadem exaggerat Ammianus Marcel. lib. 14. de Gallo Cæsare, Antiochiæ agente, sub Constantio Imperatore. Excogitatum ab ipso Gallo, *Vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent, hi blandè & dissimulanter honoratorum circulis adsistendo, peruadendoque diuites domos, egentium habitu, quicquid noscere poterant vel audire, latenter intromissi per posticum in Regiam nunciabant, sed ita vt obseruantes, conspiratione concordi, aut fingerent quædam, aut cognita duplicarent in peius. Quin eo tempore etiam ipsi parietes arcanorum soli conscij timebantur.* Præclare Seneca de Tranq. c. 12. *Teterrimum vitium auscultatio, & publicorum secretorumque inquisitio, & multarum rerum scientia, quæ nec tutò narrantur, nec tutò audiuntur.* Istud Taciti Ann. 4. quasi ex oraculo dictum puta: *Delatores genus hominum publicò exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum, per præmia, sub malo Principe, eliciuntur. Contrà verò sub optimo nihil gratius nihil eo seculo dignius contingit, quàm desuper intueri delatorum supina ora, retortasque ceruices,* vt loquitur iunior Plinius Paneg. *Hoc agnoscunt & fruuntur boni omnes, cùm velut piaculares publicæ sollicitudinis vi-*

ctimæ supra sanguinem noxiorum, ad lenta supplicia grauioresque pœnas ducuntur. Sed de iisdem tanquam aqua & igni interdicendis, & velut in orbem alterum deportandis, quàm elegantia sunt quæ apud eundem sequuntur: *Congesti sunt* (delatores) *in nauigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti, abirent fugerentque vastatas delationibus terras, ac si quem fluctus & procellæ scopulis reseruassent, hîc nuda saxa & inhospitale littus excoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictaque post tergum totius generis humani securitate mæreret.* Neque vero vlla ratione ab iis aduersis fluctibus calumniæ & delationis sese possunt præstare securos, qui, quantumuis digni, à Principe honoribus aucti sunt, quandoquidem vt ambitione, ita simulatione nulla vnquam Principis cuiuslibet Aula carere visa est. Præter illa quæ commentario nostro de idololatria politica exposuimus, ista subiungere placet. Narrat Phile, Græcus Poëta non postremi nominis, Tharandum, Schytiæ feram, in colores mille, pilos suos conuertere. Istud præstat Aulicus qui rem suam facere cupit, siquidem Iuuenale teste Satyr.3.

—— melior qui semper & omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum.

Sic apud Claudianum, 1. in Ruff.

Edidicit simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, & blando frontem prætexere risu.

Simulationis elegantem descriptionem vide apud Themistium orat.3. At dissimulatio hæc quàm periculosa sit nemo est qui non aduertat, quandoquidem in Aulis Principum vt plurimùm perfidiam comitem habeat. Nec enim simplex quædam & veluti taciturna simulatio censenda est, sed tecta & subdola amicitiæ significatio, quam vt funestissimum scopulum quilibet sapiens potissimùm

cauere debet. Plinius, Paneg. de sui Trajani aureo seculo, ex collatione superiorum temporum, ita disserit: *Iam etiam & in priuatorum animis exoleuerat priscum mortalium bonum, amicitia, cuius in locum migrauerant assentationes, blanditiæ, & peior odio amoris simulatio: Etenim in Principum domo nomen tantum amicitiæ inane irrisumque manebat.* Non aliter hæc postrema expressit Symmachus 1. ep. 26. *Comitatus* (Principis) *frontes hominum aperit, mentes tegit.* Eæ sunt amicitiæ Aulicæ, quas vulgus, referente Seneca ep. 9. *Temporarias* appellat. *Ita enim vtilitatis gratia comparatæ sunt, vt florentes amicorum turba circunsedeat, circa euersos ingens solitudo sit, & inde amici fugiunt, vbi probantur. Hac re tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium.* Qui fortunam sibi vndiquaque propitiam in Aula expertus est, monentem audiat Senecam ep. 3. *Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis suis obsessus, quàm quod amicos sibi putat, quibus ipse non est.* Ecquem enim ille beatulus amare conspicitur, nisi cuius fidei sua quantumuis iniqua, iniusta, in alicuius perniciem composita, consilia crediderit: vnde immeritò de alterius perfidia conqueri videbitur. Siquidem Seneca epist. consultore, *Sic viue, vt nihil committas siue enuncies, nisi quod committere etiam inimico possis.* Apud Tacitum, Ann. 11. Silius, *Fides integra,* inquit, *non manet vbi magnitudo questuum spectatur.* Vbi enim conscius ille secretorum maiora emolumenta lautioremque fortunam aliunde consecuturum se arbitrabitur, facilè cum priori amicitia diuortium faciet, nouo fidei sacramento sese alteri obstringet. Quidni, vt anteà,

—— crebris periuria nectit
Blanditiis, sociat perituro fœdere dextras.

Vt habet Claudianus, 1. in Ruff. *Gratia malorum tam infida est quam ipsi*, auctore Plinio Nepote, 1. ep. 5. Iam non Phalaridem ep. 34. sed ex Tripode Apollinem ista verè pronunciasse puta. Fidem neque apud alios vllos, neque in amicis firmam deprehendi. Quamobrem omnibus perspectis, desertissimam in Lybia solitudinem præ hominum conuictu eligendam censerem, tutiusque cum truculentissimis Nomadibus, imo cum leonibus, versari malim, quàm cum huius seculi hominibus. Vrbanè Phœdrus præf. 4.

Non semper ea sunt quæ videntur, decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit
Quod inferiore condidit cura vngulo.

At si quis ita apud se cogitet, hæc si omnino vera sint, omnem hominum inter se societatem dirimi, & funditus sublato amicitiæ sanctissimo vinculo, tolli videri, Theophrasti consilium accipiat apud Senecam, ep. 3. quod est huiusmodi, *Ante amicitiam iudicandum esse, post amicitiam credendum. Vnde enim tot infidelitatis argumenta, nisi quod plurimi præposterè officia permiscent, siquidem cùm amauerint iudicant, & non amant cùm iudicauerint. Et quoniam in humanis negotiis interueniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes esse miscendas. Imprudenter qui, quæ tantum amicis committenda sunt, obuiis narrant, & in quaslibet aures, quicquid illos vrit, exonerant, male qui charissimorum conscientiam reformidant. Cautum te velim, suspicacem nolim: nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis ius peccandi suspicando fecerunt*, apud eundem Senecam, eodem loco.

CAPVT SEPTIMVM.

Auaritiæ cum ambitione coniunctæ flatus noxius. Auarus satiari nequit. Ambitiosus simul & auarus triplici ratione non expletur. Ambitiosi ob fortunam secundam insolescunt, cæteris valde graues. Potentia nimia nunquam satis fida. Quo amplior, eo grauior eiusdem lapsus, nec sibi satisfacit.

SED antequam nostri Euripi, seu accessum seu recessum voces, Principum gratiam & fauorem expendamus, varios ambitionis & metuendos flatus turbinesque disquirere operæ pretium est. Non leue in primis periculum est, si cum ambitione coniuncta sit auaritia. Et quamquam de ea re nonnihil disseruerimus in Ecloga nostra de dignitate venali, nihilominus tamen cùm præsens dissertatio ita postulet, istud cursim attingam. Nemo est tam parum in historiæ scriptorum lectione versatus, aut tantillam rerum humanarum experientiam vsumque habens, qui non mecum recognoscat eos omnes quos supra cæteros fortuna euexit extulitque, multa quidem Principibus debere, & multa imputare, vt cum Seneca loquar, *Quibus nunquam tam plenè occurrere nulla liberalitas potest, vt cupiditates illorum, quæ crescunt dum implentur, exsatiet.* Illud ita demonstrabat Attalus, referente Seneca ep. 72. *Vidisti aliquando canem, missa à Domino frustra panis aut carnis, aperto ore captantem? quicquid excepit protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat: Ita fortunati illi, quicquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittunt, statim ad rapinam alterius erecti & attenti.* Non aliter

Eumenius Rhetor, Panegyr. ad Constantinum Augustum, de hac re verba fecit. *Nullis, vt res est, muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat, atque ita eos fœlicitas ingrata subterfluit, vt semper pleni spei, vacui commodorum, præsentibus careant, dum futura prospectant.* Communis illa vox est, etiam vulgi, apud Senecam 1. de Clem. *Facit auidos nimia fœlicitas, nec tam temperatæ cupiditates sunt vnquam, vt in eo quod contigit, desinant.* Sic censet beatus ille Veronensium Episcopus Zeno, serm. de Auaritia: *Auaritia non suo, non alieno, non ipso orbe contenta, totum possidet, & de inopia queritur semper.* Iam Stoicum agit Seneca, ep. 118. Et à populari discedit sententia, cùm hæc scribit; *Non est, vt existimant homines auida fœlicitas, sed pusilla, quandoquidem neminem satiat. At quemadmodum in hydropicis fieri amat, quamquam illorum sitis vix aut nulla ratione restingui possit; ea tamen vis morbi imperantis est, ac planè tyrannis, vt perpetuo bibendi desiderio crucientur.* Sed quoniam incredibilis ista cupiditas, vix vllis iusti & honesti terminis circunscribi potest, quid causæ sit, cur isti ambitiosi tam auidè opes vndiquaque corradere soleant, inquiramus. Triplicem huius rei rationem adsignari posse semper existimaui. Prima est, quod isti beatuli ex modico censu & tenui familia profecti, dignitates & honores suos magnificè tueri volunt, ac proinde maximis opibus familiam fundare, & sustentare cogitant. Secunda, quoniam plurimorum operâ & auxilio ad sui conseruationem indigent, illos non tantùm liberalitate, sed aliquando etiam profusione sibi demereri studeant, necessum est; Itaque *viscatis hamatisque* muneribus, vt cum Plinio Iuniore 9. ep. 30. loquar, non tantùm sua promere, sed & aliena corripere cogantur. Mortalium infœlicissimi, *quorum liberalitatem*

conductitij, vt habet Tertullianus, lib. de pœnit. *Laterones, seruitutem faciunt*. Tertia & postrema, quoniam luxui & delitiis eorum satisfieri oporteat, præter alios sumptus extrarios. Quibus omnibus cùm domesticæ facultates, licet principali beneficentia cumulatæ, non suppetant, in bonorum & innocentum fortunas inuolare coguntur sæpius. Quis enim parandis istis voluptatibus, sumptui modus adhiberi potest? Nam delicati illi ac fluentes, parum se lautos putant, *Nisi luxuria verterit annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatent, nisi æstiuam in gemmis capacibus glaciem falerna frangant, quorum gulę angustus sit noster orbis, qui appositas dapes non sapore, sed sumptu iudicent*, quales describit Pacatus noster Paneg. Itaque Principis Ærarium sollicitandum, quod alioquin sub bono Principe silens & quietum, hoc est, minimè auctum bonis subditorum fisco addictis, neque damnatorum, forsan ex delatione & calumnia, spoliatione, nunc, vt eorum auaritiæ fiat satis, *iam spoliarium ciuium, cruentarumque prędarum sęuum receptaculum efficiatur*, quemadmodum Plinius Iunior Paneg. eleganter describit. At quo pacto id fiat, paulò post ille idem demonstrat iis verbis: *Nunquam Principibus defuerunt, qui fronte graui & tristi supercilio, vtilitatibus fisci contumaciter adessent, qui eo miseros subditos adigunt vt nouis iisque grauissimis indictionibus oppressi, veteres se persoluere posse desperent, & ad vetera tributa deficiant*, vt habet Plinius Paneg. Atque eam ob rem resculas vt & habitatiunculas familiasque aliò transferre cogantur. Quod nos ex Saluiano fusius alibi explicauimus. Nec ista curant Commodiani isti, qui illud purius splendidiusque credunt aurum, *quod dederint dolentes, quod hominum lachrymę non omnium aquę abluerint*, vt ait Pacatus Paneg. Cætera persequamur,

ſequamur, ac videamus ambitioni non vnicam auaritiam adtribui comitem, illa nonniſi pompa & comitatu maximo apparet: *Regina procacium vitiorum auaritia eſt*, aiebat Senator Caſſiod. 12. ep. 1. Ego rectius ambitionem dixerim, quæ nullius rei, quàm in ſua poteſtate ambitioſus habeat, diſpendium pati recuſet, modò emineat. Hinc arroganter & elatè hunc eundem ſeſe gerere nemo miretur. Ita Pacatus noſter Paneg. *Indiſcreta fœlicium pediſſequa ſuperbia eſt, ac vix cuiquam contigit & abundare fortuna & indigere arrogantia.* Saluianus ep. 2. ita locum hunc æmulatus eſt, *Pediſſequa plerumque noui honoris eſt ſuperbia.* Sic enim comparatum eſt, vt quemadmodum Galba Imperator apud Tacitum, 1. hiſtor. diſſerit, *Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorent, quia miſeriæ tolerantur, fœlicitate corrumpimur.* Siquidem, eodem Saluiano 7. auctore, *Quotus quiſque ſapientum eſt, quem ſecunda non mutent, cui non creſcat cum proſperitate vitioſitas: non vna certè nec vnius generis: & fœlix ille ambitionis ſucceſſus, cæteros ſic aſpernatur, vt ſibi vni totum hoc fortunæ beneficium deberi, & in omnium oculos incurrere oportere, reliquis omnibus abdicatis, exiſtimet. Illud eſt,* ait Arnobius 1. *liuoris & auaritiæ genus & obtrectatio quædam ſordens, ſuas eminere tantummodo velle fortunas, aliorum res premi, & in contemptu humilitatis calcari.* Non eſt igitur quod miremur ambitioſos iſtos, adepti honoris proſpero euentu elatos, adeò inſolenter ſe gerere erga cæteros. Apud Senecam Patrem 2. Contr. 2. verè dixit Rufus Vibius Rhetor: *Nihil eſſe inſolentius nouitio diuite.* Ac Tertulliano quidem de habit. mulieb. *ſemper abundantia contumelioſa in ſeipſa eſt*, vt proſpera fortuna magna peccandi illecebra eſt. Venuſtè Iuuenalis Satyr. 3. de fortunatis illis & locupletibus,

——— *Feriunt pariter vadimonia, deinde*
Irati faciunt, libertas pauperis hæc est;
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Quàm lepidè Marcellus Palingenius.

Heu mundus totus quædam est natiua tyrannis,
Debilibus robusta nocent & grandia paruis.

Varronem Margop. imitatus est, apud quem hæc legas,

Naturâ humanis omnia sunt paria,
Qui pote plus vrget, piscis vt sæpe minutos
Magnus comest, vt aues enecat accipiter.

Sic B. Ambrosius Hexam. 5. c. 5. *Auaritiæ potentiorum subiecti vbique inferiores sunt. Quo quisque infirmior, eo prædæ patet, minor apud illos esca maioris est.* Sed hæc satis, nam nimis multa de hac sententia apud veteres, quâ Græcos, quâ Latinos. *Cothurnata ista scelera*, vt vocat Lactantius 6. c. 20. quid tandem infortunij suis portendant auctoribus accuratius inuestigemus. Illud in primis statuendum est, fœlices istos, & ambitione & rebus ex animi sententia fluentibus planè excæcatos multa moliri & aggredi, quæ si tantillum diiudicarent & expenderent, ab iis agendis pertinacissimè abstinerent: *Nullam potentiam nimiam vnquam satis fidam fuisse* sibi ante omnia persuaderēt, vel vno Tacito teste 2. hist. Pacatus Paneg. rectè admonet iis verbis, *Fugitiua successuum repentinorum voluptas, vt accipit, sic relinquit.* Seneca Pater 2. Contr. 1. *Fati maligna perpetuáque in rebus omnibus lex est, vt ad summum perducta, rursus ad infimum velocius quidem quàm ascenderint, relabantur.* Sic Portius Latro apud eundem, *Omnis fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor, & sine causa sæpe fluit, & sine ratione destituit.* Ea communis est rerum humanarum inconstan-

tia, aduersus quam armandus est animus vniuscuiusque eorum quos fortuna mirum in modum extulit. Quisquis ille sit, perpetuò in memoriam reuocet istud Pauli Æmilij Consulis Romani apud Liuium lib. 45. ad suos post Perseum Macedoniæ Regem deuictum, sapienter dictum, *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationis rerum humanarum, vobis hoc præcipuè dico Iuuenes, ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat, incertum sit.* Seneca breuit. vit. 4. semper sui similis propè diuinè, *Potentissimis & in altum sublatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis præferant, cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tutò liceat, descendere. Nam vt nihil extra lacessat aut quatiat, in seipsa fortuna ruit.* Sic censet Albinouanus mort. Druf.

(Fortuna) iniustum ius sibi vbique facit.

Porro quodcunque otium illi percupere videantur, merum figmentum esse credendum est, nam ambitionis, velut Circes poculo aureo, adeo sunt dementati, vt hoc vnum seriò cogitent, qua ratione in isto Aulico neruo & robore ætatem agant. Illi persimiles mihi videntur iis qui apud Persas suspendio necandi, prius vestibus Regiis induti, in sella Regia collocantur, cum potestate aliquandiu lautè & delicatè viuendi, deinde his vestibus exuti, flagris cæsi, in crucem tolluntur, vt prodit Dio Chrysostomus orat. 4. Ita Seneca ep. 18. *Liberaliora sunt alimenta carceris, sepositos ad capitale supplicium non tam angustè qui occisurus est, pascit.* Minutij fœlicis Octau. istud nimis quàm verum est, *Miseri in hoc altius tolluntur, vt altius decidant.* Claudianus eodem pacto,

—— *tolluntur in altum,*

Vt lapſu grauiore ruant.
Lactantij 7. c.15. iſta ſunt, *Plus habent ponderis ad ruinam, quæ ſunt cæteris altiora.* Quidni, cum auctore Pacato Paneg. *Victoria non alia ratione pennata fingatur, niſi quia indicet, quod hominum cum fortuna euntium, non curſus ſit, ſed volatus;* Ita ſummæ potentiæ, auctoritatis & dignitatis alis ſubnixi, in cœlum nullo negotio euolare ſe poſſe & Ioui ipſi aſſidere credunt, hoc ſibi iure optimo debitum eſſe prædicant, nec interea à ſuo Ioue terreno, fulmen ſuis capitibus imminere, in animum ſuum inducere queunt, quin neſcio quo veterno & ſtupore laborantes, nihil tam excelſum eſſe credunt, tam eximium, quod non concupiſcant, quin ſi quid ex ſummis in eos collatis beneficiis, tantillum Princeps delibare & diminuere cogitet, omnem omnino publicæ rei ſollicitudinem abiicere ſe minitentur. Quintilianus Declamat. aptiſſimè, *Iniquiſſima magnorum meritorum conditio eſt, ſi quicquid non fuerit adiectum de prioribus perit, & peſſimo exemplo gratiam præteritis auferunt, reliqua ceſſantia.* Neſcio an id velit Manlius Seuerinus conſol.2. proſ.4. *Fœliciſſimi cuiuſque delicatiſſimus ſenſus eſt.* Nec mirum, quandoquidem illi cum ſeipſo non ſemper bene conueniat, *Quis enim eſt,* aiebat idem Boëtius, *tam compoſitæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur,* cur non multo magis cum cæteris? Quæ ſatis apertè admonent, hominem id genus quatenus & à ſeipſo, & ab omnibus vel adeo infimis ſibi metuendum eſſe intelligat.

CAPVT OCTAVVM.

Principum inconſtantiæ periculoſiſſimus flatus. Aula Principum altera nouerca. Nouercæ nomen tragicum. Aula leuis & dubia. Cauſæ duæ cur Principes ſibi non ſemper pro affectu conſtent. Ariſtotelis quæſtio, quid in Republica de eo agendum videatur qui ſupra cæteros emineat. In regno, quid. Fortunæ delineatio. Moderatio cogitanda.

SIc tandem in ancipitem & lubricum locum iſtum deuenimus de Principum inconſtantia, qui in Euripi noſtri ſalo omnium maximè pertimeſcendus eſt. Atque antequam hoc ipſum explicemus, velim Aulicos omnes quos fortuna bearit, (nam ſolidæ virtuti & probitati hoc loco vix vllum præmium vel magmentum adſignare poſſis) ex M. Antonino Philoſopho Imperatore potiſſimum iſtud ediſcere lib. 6. vit. ſuæ. Aulam Principum veluti Nouercam exiſtere. Cur illam Aulicus, quiſquis ſit, non reformidet ſatis cauſæ eſſe non video. Ceſtius Pius apud Senecam Patrem 7. Controu. 1. illud profert: *Nouercæ nunquam ſatis priuignus occiditur.* Maria tandem aliquando conquieſcunt. Prædones iam miſerantur. Hoſtes quantumuis armati & victores, ex miſeratione iram ponunt. Iudices aduerſarij acerbitate & indignitate moti, reum aliquando abſoluunt; Nouerca vltra inſepultam ſepulturam deſæuire ſolet. Nemo iſtud miretur, *Nouerca nomen tragicum eſt*, aiebat Ennodius Ticinenſis cont. 2. inſuper ille idem Auguſtus, Aulam ſcenæ perſimilem eſſe dixit. Noti ſunt Petronij Arbitri verſus.

Grex agit in ſcena mimum, Pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Sic omnia illic magnam partem ficta, & ſimulata pro conditione Aulæ, ſi Clementi Alexandrino credimus, de quo aliàs, nam eo loci fides fluxa & ſubleſta, amicitia vacillans & dubia, cõcordia fucata & tecta, omnes Pertinaci Imperatori perſimiles, apud Aurelium Vict. blandi ſummoperè, quorum verba non alia ſunt, quàm quæ à ſummis labris profecta. Nec in Aula ſoccum duntaxat ſpectes, ſæpius Cothurnum, ita vt qui Imperatoris ſeu Regis perſonam ſuſtinuerit, depoſito Cothurno vbi ad ſtaturam redierit ſuam, vix cum Caluo Salaputio Catulli comparandus apparebit, quodque longè grauius eſt, beatus illico, extemplo miſer: *Quaſi ſolſtitialis herba* paulisper fuit. Repente exortus eſt, repentino occidit. Inconſtantia illa Principum nunc eſt examinanda. Illius duas potiſſimum cauſas animaduerto. Prior eſt, quod Princeps vnius ſummè aucti, ſuo lateri perpetuò adhærentis, tædio afficiatur, ſuæque beneficentiæ modum, non ad vnum tantummodo, ſed ad plures peruenire debere exiſtimet, nihilque ſupremæ dignitati ſuæ magis conuenire arbitretur, quàm ſi varietate & diuerſitate eorum qui illum obſideant, delectetur. Tacitus Ann.3. ita cenſet iis verbis: *Fato potentia* (Aulici cuiuſque ſummi) *raro ſempiterna, an ſatias capit, aut illos* (Principes) *cùm omnia tribuerint, aut hos* (ſummates) *cùm iam nihil reliquum eſt quod cupiant.* Sic Criſpus Salluſtij ex ſorore nepos Tiberij, Mœcenas Auguſti gratiâ excidit, quamquam vtrique ſecreta Imperatorum inniterentur. Vterque etiam ſub finem, ſpeciem magis in amicitia

vel Augusti, vel Tiberij quam vim tenuit, Plinius Iunior Paneg. in gratiam sui Trajani, cuius bonitas in prouerbium abiit, ista protulit, *Quod tam infidum mare, quàm blanditiæ Principum illorum, quibus tanta leuitas, tanta fraus, vt facilius esset iratos quàm propitios habere.* Alexander Magnus, apud Curt. lib. 6. Philotam ex familiaribus & præcipuis amicis vnum, arcano Regis consilio capitis damnatum, pridiè regia excepit cæna, & familiari colloquio, magna beneuolentiæ simulatione. Ausonio Edyll. 3. satis audacter istud excidit,

Et semper fictæ Principum amicitiæ.

Posterior illa causa est, quod si quem Princeps in immensum supra cæteros extulerit, quasi imperij consortem sibi adsciuisse, seu inuidorum tacitis cohortationibus, siue suoptè ingenio sibi persuadeat. Aquila Trochilum seu Regaliolum nullo modo ferre potest, perpetuas cum ipso inimicitias gerit, teste Plinio 1. c. 74. Aquila consensu omnium Regina auium audit, Regaliolus, etiam Aristoteli 9. hist. animal. Rex vocatur. Aquila auium nullam non modo in imperij, ac ne nominis quidem societatem vult admittere. Dio 54. narrat Mœcenatem Augusto dixisse, Agrippa aut gener tuus fiat, aut occidatur, necesse est. Siquidem ad supremum potentiæ fastigium ab ipso Augusto euectus erat Agrippa. Quæstionem mouet Aristoteles 3. Polit. c. 9. quid de eo statuendum sit qui in aliqua Republica præ reliquis, virtute, dignitate, opibus emineat. Respondet in vitiosis Rebuspublicis, Tyrannide, Oligarchia, Democratia, cùm ciuium æquitas seu æqualitas omnium maximè retinenda sit, alienum minimè videri eiusmodi hominem Republica eiiciendum. Nec propterea omnino damnat apud Athenienses Ostracismi

(quod erat exilij genus) legem, qua præstantiores nonnulli ciues in exilium acti sunt; exemplo & ratione id firmat. Apud Herodotum lib.1. Thrasybulus qui Mileti tyrannidem vsurparat Periandrum, inter Græciæ sapientes numeratum, consulit, qua ratione Miletum in tranquillissimo statu seruare posset. Nihil ad hæc Periander, sed spicis eminentioribus & extantibus sublatis ac resectis, segetem æquasse visus est, quod vbi resciuit Thrasybulus, satis intellexit potentiores quosque de medio tollendos esse. Rationem affert eiusmodi, etsi alicuius animantis pars aliqua reliquis membris pulchrior appareat, pictor qui in toto pingendo versatur non idcirco ipsam maiorem contra legitimæ proportionis regulam depinget; neque qui nauem fabricat, puppim, quæ supra cæteras partes commendatur, ideo plus iusto ampliorem construet, quemadmodum neque ipsius nauis clauum, cuius beneficio illius cursus dirigitur: Nam vt habet Apuleius Apolog. *Ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt quàm regunt.* Idem in Rebuspublicis obseruandum, vt si quis opibus, agnatis, cognatis, clientelis abundet, & supra cæteros emineat, lege in illum agendum esse videri, & in exilium pellendum scribit, etiam si alioquin vir optimus, & virtutis iustique amantissimus habeatur: Vt metu rerum nouandarum Rempublicam liberet. Et quamquam aliàs lex ista relegationis suapte natura & per se iniusta sit & tyrannica, attamen aliquo pacto iusta censeri debet, cum non alia fine quam ad sui & publicæ tranquillitatis conseruationem, eiusmodi lege vtatur Respublica. Hæc disserit Aristoteles ex aliorum sententia, nam vbi quid ipse sentiat, expromit, tandem concludit ciuem virtute præstantem, nullo pacto ciuitate pellendum, quod certè optimis legibus & institu-
tis

tis temperatam ac stabilitam Rempublicam deceat, & eius scopo, hoc est, communi & publico bono conuenientissimum existat: sed in Regno vbi ex vnius arbitrio & nutu omnes subditi pendent, res non parum difficultatis habet; Quoties enim reperti sunt, qui Regum vel ætate vel facilitate abusi sunt? Innumera sunt huius rei in veterum monimentis exempla, sed illustrius nullum est eo quod narrat Polybius lib. 5. Philippo Macedoniæ Regi, Persei vltimi Regis patri, præcipui erant in Regno administrando, Apelles velut tutor, Leontius Cetratorum Præfectus, Megaleas primus inter Regios Scribas; Apelles eam cum duobus istis societatem iniit vt illi Regis nomine omnia administrarent, & in Aula, & in Macedonico Regno. Publicæ rerum gerendarum sollicitudinis curam ipsi soli sibi vendicabant. Si quid Rex alterius consilio de bello mouendo cogitaret, ac reipsa vrbem aliquam hostium oppugnaret, vel ab eiusmodi consilio Regem auertebant, aut si Rex in proposito pertinax esset, nihil non moliebantur, seu secretis cum hoste consiliis, aut nonnullis ducum ac militum corruptis, variisque exercitu incommodis afflicto, vt Rex magno dedecore, necnon suorum cæde, satis aperta proditione obsidionem soluere cogeretur, exhausto prius ærario Regio: ita vt Rex à fœderatis & pecuniam & commeatum mutuari cogeretur. Qui Philippum veluti puerum & regnandi imperitum arbitrabantur, & reapse aspernati fuerant, tandem suo magno malo intellexerunt illud Claudiani 3. cons. honor. verum esse, quod de Honorio Imperatore vix pubere enuntiauit,

——— *Sic ætas animo cessit.*

Illud idem de cæteris Regibus pronunciare licet. Infœli-

cissimus horum trium interitus Polybium impulit, vt grauissimè & prudentissimè de tota re ita censeret. Omnes in vniuersum mortales paruis momentis & sublimes euehi, & rursum deiici, quod in iis, qui Regum Aulas colunt præcipuè locum habet; illi etenim planè similes sunt calculis quos præ manibus habent nummularij, nam eiusmodi calculi pro arbitrio numerarij, modò obolum modò assem valent, modò nummum aureum: Ita etiam Aulici ad Regis nutum vel beati, vel miseri repente existunt. Istud nullo pacto prætermittendum, Apellem horum trium præcipuum, sui infortunij & imminentis ac ruentis fortunæ argumentum inde sumpsisse, cùm ipse magno ducum & militum, præter amicos & clientes non paucos, comitatu, ad Regiam profectus esset, & ad interius Regis cubiculum pro sua veteri consuetudine, recta perrexisset, Admissionalis siue lictor, cui id negotij demandatum fuerat, iubet illum expectare, neque tum Regi vacare. Apelles rei nouitate perturbatus & perculsus, pedem referre cœpit, mox à ducibus, militibus, & honoratis desertus, cum paucis familiaribus in hospitium se recepit. Idem Ferdinando Toletano, Duci Albano, qui fax & terror Belgij, apud Philippum secundum Hispaniæ Regem, contigit: Apellis & reliquorum secutus infœlix exitus. Exclamare libet cum Claudiano lib.2.in Ruffinum,

Heu, quàm breuibus pereunt ingentia causis.

Fortunæ apud veteres varia erat delineatio, Dione Chrysostomo orat. 63. referente, illa nouaculam sub pedibus habens pingebatur, vel globo insistens, clauum manu gestans, vel Amaltheæ cornu. Nouacula fœlicitatis præcisionem denotabat, globus facilem illius mutationem. Quiuis beatus teste Ammiano 26. *Versa rota fortunæ an-*

te vesperum potest esse miserrimus,

Desinat elatis quisquam confidere rebus.

Vt rectè monet Claudianus 2. in Ruff. Clauus nihil aliud sibi vult, quàm fortunam, hominum vitam regere: Amaltheæ cornu, bonorum omnium copiam & cumulum indicat. Addere licet ingentes honorum & gloriæ titulos, sed beatis istis aurem vellit Tiberius apud Tacitum lib. 1. aureo planè dicto, *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus* (ipse Imperator) *adeptus foret tanto se magis in lubrico esse.* Et hoc verissimum esse Quintiliani Declam. 271. istud indicat, *Solet fatigari fortuna, solet posteaquam nimium indulsit, in fine deficere:* Nec absimile illud Calpurnij Declam. 8. *Nesciunt stare successus, & quotiens prodire fœlicitas non potest, redit.* Quis rerum vsu & experientia tam parum valere existimandus est, qui Taciti Ann. 14. dictum istud verum esse non affirmet: *Ex mediocritate fortunæ pauciora esse pericula?* Qui plus possit apud Principem, hanc sibi apud omnes laudem & commendationem comparet, vti publico Elogio & testimonio dicatur,

Nec nocuisse vlli, & fortunam habuisse nocendi.

Quod de suo Druso affirmat Albinouanus de obit. Mœc. *Modestiæ fama summis mortalium minimè spernenda est*, Tacito Ann. 15. auctore. Nec Regum duntaxat ea propria censeri debet, qui principes in Cæsarum amicitia agunt, suntque omnia, in eam præsertim curam & cogitationem incumbere debent: & quam in Rege suo moderationem & comitatem omnes conspiciunt, in se præ cæteris deriuandam esse iudicent, nec periclitantium & ad misericordiam Principis mitissimi peruenire cupientium, querelas superbè repudiari non patiantur. Sed quoniam hæc ad facilem Principis aditum pertinent, de quo nos de Idolola-

tria politica Commentario pluribus egimus. Idcirco cætera nostri instituti capita videnda sunt. Apud Latinos venustè totum hoc fortunæ ludibrium expressit Pacuuius, Poëta vetus, iis versibus,

Fortunam insanam esse & cæcam & brutam perhibent Philosophi,
Saxoque eam instare globoso prædicant volubilem,
Ideo quo saxum foret impulerit, cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse memorant; quia nihil cernat quo sese applicet.
Insanam autem illam aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit;
Brutam autem, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

CAPVT NONVM.

Quibus in publicis rebus omnia ad votum. Diuinam prouidentiam perpetuò vigilantem, ac singularum rerum, quæ hîc aguntur, curam gerere cogitent. Supra cæteros qui erecti, postea de statu deiecti sunt, quàm benignè cum ipsis Deus agat, serio meditentur, periissent nisi periissent. Exempla. Moderatæ fortunæ secura conditio. Facere de necessitate virtutem.

NAVTÆ & vectores, qui in ea, qua Ionas. 1. vehebatur, naui tantam tamque periculosam exortam tempestatem aduertentes, sibi inuicem dixerunt: *Venite & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis.* Idem si quæsierint apud se qui in isto seculi Euripo iactantur, vnde tam vario & multiplici fluxu & refluxu agi-

tentur, non seipsos modò circunspiciant, sed & oculos attollant, atque Diuinam prouidentiam rebus humanis, necnon vitæ nostræ singulis momentis & actionibus præesse intelligant. Profanis & Ethnicis, qui recta senserunt, non alia mens fuit. Afer ille Madaurensis 9. Miles. quàm eleganter: *Nec consilio prudentis, vel remedio sagacis, Diuinæ prouidentiæ fatalis dispositio subuerti vel reformari potest. Eludant licet*, vt ait Curtius, lib. 5. *quibus forte & temerè humana negotia volui agique persuasum est, equidem æterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium & multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.* Non aliter Aurelius Victor, Numerian. *Arduum fatalia deuertere, eoque futuri notionem superfluam.* Illud Taciti lib. 17. *Quæ fato manent, quamuis significata, non vitantur.* Vtinam istud nũquam experta fuisset Gallia nostra. Nunc ad nostros beatulos sermonem conuertamus, & hæc discant, qui ad maximas dignitates, malis artibus, peruenerunt, & in iis flagitiosè, arroganter, auarè, crudeliter se gesserunt, iustitiæ Diuinæ pœnas se daturos certo sciant. Appianus bell. punic. admonet magnoperè timendam fœlicibus Nemesim. Claudianus 1. Ruff. aliquantum stomachosè,

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum res hominum tanta caligine volui
Adspicerem: lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras

Fortuna non arte regi.

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum.

Certè dum isto rerum prospero successu, votisque vsque ad inuidiam fœlicibus fruuntur homines id genus, sibi plaudunt, blandiuntur, minusque aut nihil de exitu cogitant, ipsique fortunæ legem dixisse arbitrantur. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, Doctor Theologus Parisiensis, dicere solebat, Ioanne Sarisberiensi ep.202. referente, se nihil magis habere suspectum, quàm quod eum Deus, in tota vita, nulla corripuisset aduersitate. Eorum vero qui dignitatibus & honoribus maximis aucti sunt, & in iis moderatè ac summa æquitate sese gesserunt, si aduersam, æmulorum & aduersariorum factione, fortunam experiantur, longè alia ratio est: nam clementissimus Deus, in eorum salutem hanc illis calamitatem euenire permisit. Sallustio 1.hist. *Secundæ res mirè sunt vitiis obtentui.* Aristides, orat. de pace, fœlices scribit non omnes satis sapere videri, quin per fortunam plerique eorum deteriores reddantur. Et vt argutè Phœdrus 3.Fab. 44.

Successus ad perniciem multos deuocat.

Optimus ille mundi rector & moderator, probos illos in tanta rerum omnium copia & fœlicitate *diurnare*, vt cum Quadrigario loquar, non sinit, ne perpetuo isto luxu & assentatorum laude ac prædicatione, opum etiam atque bonorum quotidiano affluxu enerues & elanguidi, vix de immortalitate cogitent. Fœlix istarum rerum iactura, quæ illos de animæ salute cogitare, sibique in æternum consulendum esse admonuit. Qui rebus florentibus, de vita æterna quasi per somnium aliquid inaudiisse videbantur, de summo illo fœlicitatis gradu deiecti & deturbati, nihil his in terris perpetuum, nihil sibi constans, stabile, man-

ſurum, tandem aliquando vel ſerio animaduertunt. Iam ſublatis in cœlum oculis, incredibilem erga ſe Dei præpotentis benignitatem ac clementiam profitentur: liceat illorum vnicuique cum Zenone Cittieo exclamare apud Laërt. Suid. Iam bene nauigaui, cùm naufragium feci. Exempla ad eam rem maximè accommodata & memoratu digna, hîc percenſere operæ pretium duxi. Calliſtratus apud Codin. lib. Origin. Conſtant. ſub Conſtantino Magno Conſul creatus & primus quidem apud Conſtantinopolim eo loci renuntiatus, quem Senatum tunc temporis appellarunt, cùm populus Bizantinus nouum Conſulem fauſtis acclamationibus excepiſſet, & ea quidem potiſſimum ſententia, Calliſtratus fortuna fauente, ad aliud prouehetur. Conſtãtinus inde neſcio quid mali ſuſpicatus, Calliſtratum inuitum ſacro Preſbyterij ordine inſigniri præcepit, qui poſtmodum Epiſcopus creatus, vita ſanctiſſimè acta, & Epiſcopi munere præclarè functus, perierat niſi periiſſet. Apud Suid. Antiochus cubiculi præpoſitus (honos à Conſtantini ſeculo maximus) apud Theodoſium Iuniorem delatus, honore quo fungebatur priuatus eſt, & publicatis ipſius bonis in ſacerdotum ordinem cooptatus eſt. Non aliter apud eundem Cyrus ab eodem Theodoſio Iuniore per inuidiam bonis ſpoliatus, ex Pagano Chriſtianus & Epiſcopus factus religiosè vixit, & hinc piè migrauit, apud Niceph. 14. c. 46. Quidni vterque cum Seneca, ep. 118. generoſe ac fortiter exclamare potuit, *Nihil nobis tecum fortuna, non facimus noſtri tibi copiam.* Apud Zonaram Eudoxiam Theodoſij Iunioris vxorem res aduerſæ non leuiter afflixerant. Sed vt ſcribit Seneca ep. 91. *Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria.* Ipſa namque Athenienſis Philoſophi filia, à fratribus pa-

terna domo eiecta, dum Constantinopoli ab Imperatore in integrum restitui se, omni ope, & studio contendit, ad ipsius Theodosij Augusti matrimonium peruenit: mitto quid ipsa pertulerit à marito, Aula expulsa, & quãtum animæ suæ bene cõsultum fuerit, sua peregrinatione Hierosolimitana: Perierat nisi periisset: Alexius Protostrator apud Nicet. 4. hist. sub Emmanuele Commeno Imperatore Bizantino, fortunis & honoribus florentissimus, Monasticem profiteri coactus, pietate & sanctitate vitam insignem duxit, ac perierat nisi periisset. Psaltes Regius 15. secundum vulgatam nostram, quæ ex Septuaginta, qui dicuntur, manauit, verissimè istud profatur. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Quamquam S. Hieronymi, Santis Pagnini, & aliorum ex Hebræo versio, de Idolis & Idolorum cultoribus, locum explicet. Nec certè à re, de qua agitur, istud alienum videri debet, nam fœlices isti dum omnia illis prosperè succedunt, quot vitiis indulgent, tot Idola sibi construunt. Veteri & nouo testamento vulgare, vitia Idola nuncupari. Quicquid illud sit, non dubium est aduersos istos casus, certissimam, ad Dei misericordiam procurandam, viam sternere. Tum enim de Dei & Diuina iustitia serio cogitare illi incipiunt. Lactantio 2. c. 1. *Ex rerum prosperitate luxuria, & luxuria vero vt vitia omnia, sic impietas aduersus Deum nascitur, Et calamitas virtutis occasio est*, ait Seneca quar. vir. c. 4. Quem ita imitatus Minutius fœlix, Octau. *Calamitas disciplina virtutis. Quid enim in beatis illis*, quibus omnia ad votum succedunt, spectare licet, nisi eneruatam fœlicitatem, qua animi permadescunt, nisi aliquid interueniat quod humanæ sortis & metus ac cultus diuini numinis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti? *Quos*

specularia

specularia semper à flatu vindicarunt, quorum pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, quorum cœnationes subditus & parietibus circunfusus calor temperauit: *Ac ne quis intepescat cibus*, ne quid palato iam calloso parum ferueat, cœnam culina prosequitur. Sic illos dum tam venustè describit Seneca, epist. 78. Istud, si Christianus fuisset, addere potuisset, imo debuisset, non magis ver & æstatem hyemi, diem nocti, quàm vitam alteram huic caducæ & mortali succedere. Quàm vereor horum fœlicium plerosque, conscientia meritorum. In nihilum abire post mortem magis optare quàm credere; malunt enim extingui penitus, quàm ad supplicia reparari. Quis apud illos in suo florentissimo statu de æternis cruciatibus disserere audeat; & si audeat, quis persuadeat, in futura vita impiis, iniustis, facinorosis, & vno nomine profligatæ vitæ hominibus, ignem sapientem repositum esse, qui, vt loquitur Minutius Fœlix Octau. *Membra vrit & reficit, carpit & nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt; sicut ignes Æthnæ & vesuuij, & ardentium vbique terrarum flagrant nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* Hæc quamuis à pio & diserto oratore Christiano pronunciata, non pluris faciunt quàm

—— quod pauendum rancidæ
Edentularum cantilenæ suaserint.

Vt ait Prudent. in Romano. At vbi in ordinem redacti sunt, & veterno illo, quo tandiu laborauerant, soluti ac liberati, tandem discussa illa caligine mentis oculis obducta, omnia quæ in hac mortali vita censentur bona, fluxa & caduca esse perspiciunt, ac Circensi pompæ persimilia, quorum momentanea sit ostentatio, in quibus nihil diu-

turnum, nihil constans firmumque reperiri possit, non aliter quam in fructibus illis, quos fugaces appellant, quos alieno tempore frustra requiras. Infœlices eos vocant qui longè sibi dissimiles, vtpotè cum non aliam fœlicitatem ipsi putant quàm opibus, gloria, honoribus, vulgi admiratione & prædicatione abundare, & iis carere non aliud esse credunt quàm ærumnosam & calamitosam vitam agere. Sed hi qui censentur ærumnosi futurorum memores, ac de huius vitæ commeatu reapse cogitantes, sensim frugalitati, temperantiæ, continentiæ, honestati, modestiæ, assuefacti, luxum omnem atque intemperantiam, fastum denique facilè & nullo negotio dediscunt. Iam assuescunt à se remouere pompam, & vsu rerum ornamenta metiri. Non potest, vt liberè fatear, cum Seneca Tranq. c. 8. tanta varietas & iniquitas casuum ita depelli, *Vt non multum procellarum irruat, magna nostræ nauis armamenta pandentibus, cogendæ in arctum res sunt, vt tela in vanum cadant. Sed quoniam non est tantum roboris nobis, angustandæ certè sunt res domesticæ, vt minus ad iniurias fortunæ simus expositi. Habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma sua contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur, & vndique magnitudo sua vulneribus obiecit.* Ac denique quicunque nos casus exceperit, multo leuiorem minusque grauem ac pertimescendum vsus efficiet quotidianus, vitaque tum ad omnem virtutem composita, *Nihil miserum est quod in naturam consuetudo perduxit*, aiebat Seneca Tranq. Paulatim enim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt. Sed ista demissa nimium, & velut humi repens oratio videri potest. In cœlum attollendi sunt oculi, & ab eo inuictum animum, & ad hæc aduersa fortiter toleranda, succinctum, paratumque, quacunque precum efflagitatione expectemus,

qui dixit, *Ego percutiam & ego sanabo.* Deuter. 32. *Tanta enim est summi Patris pietas, vt etiam ira eius ex misericordia sit, & ideo castiget vt parcat. Is est qui de malorum nostrorum seminibus, causas bonorum cœlestium prouideat.* Vt præclarè disserit S. Paulinus epist. 10. *Arripe occasionem*, viduæ scribens, ait B. Hieronymus epist. ad furiam, *& fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Non aliter Petrus ille Rauennas, Latinorum Ecclesiæ scriptorum disertissimus, Serm. 40. *Christianus faciat de necessitate virtutem; moriatur innocens, qui totus vixit in crimine.* Sed ne quis beatis illis fortunæ suæ fastigio præcipitatis, scrupulum iniiciat, quod illa vitæ morumque conuersio præpotenti Deo, idcirco minus grata, minusque accepta sit, quod ipsi nonnisi aliena vi, de vita in melius commutanda, & procurãda animæ salute, cogitare cogantur. Dicant cum B. Augustino, ep. 45. *Fœlix necessitas, quæ in meliora compellit.* Plinio Iuniori Panegyr. ita visum *Incipit esse beneficiũ, quod necessitas fuerat.* Memoria sæpius repetant istud Prophetæ Hierem. Thren. 3. *Misericordia Domini quia non sumus consumpti.* Annon primarij & omnium præstantissimi beneficij loco habendum est, tot vitiorum seruum ac mancipium, tot cupiditatum, curarum, anxietatum, molestiarum alienarum, quasi catenarium aliquem Atriensem vinculis illigatum, Dei benignitate manu missum, tot calumniis, tacitis odiis, & simultatibus obnoxium, alterius arbitrio non suo viuentem, in libertatem à Deo miserante assertum. Nec iam cogitet, quibus nunc rebus illi carendum sit, *Ad viuendum velut ad natandum is melior qui onere liberior, quandoquidem sunt in ista vitæ humanæ tempestate, leuia sustenta-*

tui, grauia demersui, aiebat Madaurensis ille Platonicus Apolog. Sed tu Cœlum suspice.

CAPVT DECIMVM.

Vitæ priuatæ laus. Ab aulica vita metus non leuis. Collatio vitæ publicæ & priuatæ. Bona vita, bene viuere ganeonum. An planè à tractandis publicis negotiis abstinendum. Ignauum otium fugiendum. Tertulliani locus aduersus vitam priuatam, vt videtur, expensus & explicatus, pro varia hominũ & ætate & conditione. Quis secessus, quod otium laudandum, ex quo non ad plurimorum tantùm, sed etiam ad publicam rem non parum adiumenti & emolumenti peruenire posse agnoscitur.

SCitissimè & verissimè Lucretius 2.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem;
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

Beatos certè illos non possum non prædicare, qui è portu vel fidissima statione, Euripi nostri metuendos illos accessus & recessus, & eorum qui in illo deprehenduntur grauissimas & periculosissimas iactationes conspiciunt. Nec vllam vel tutiorem ac securiorem stationem existimauerim quàm vitam illam priuatam, cui qui se addixerint, deuouerint, si modo suo non abutantur otio, fœlicitatis, quantam homo iis in terris capere potest, non minimam portionem ad se peruenisse in dies experiuntur. Cernunt aliorum catenam auream, & laxam, aliorum arctam & sordidam. Multos vident quibus necessariò hærendum sit in

fastigio suo, ex quo non possunt nisi cadendo descendere, qui abundè testantur maximum onus suum, quod aliis graues esse cogantur, ne subleuatos se, sed suffixos, qui fortunæ blandimentis occœcati, iustitia, mansuetudine, humana lege, & benigna manu, vix norunt præparare multa ad sequentes casus præsidia, quorum spe securius pendeant, quorum cupiditates non finitæ sunt, sed in immensum incertumque productæ, cùm aliquem incrementis terminum isti figere nequeant: Et quamquam à publicarum rerum tractatione abstineas, quandoquidem in turbam te dederis, vide quo in discrimine verseris. Stoici Romani hæc sunt epsti.103. *Tempestas minatur antequam surgat*, crepant ædificia antequam corruant, prænuntiat fumus incendium, subita est ex homine pernicies, & eò diligentius tegitur, quò propius accedit. *Erras si istorum* tibi qui occurrunt vultibus credis, hominum effigies habent, animos ferarum. Quid si à populo, ab obuiis quibusque hominibus tantum periculi est, quid non multo magis ab aula, à sacrariis illis quibus inclusi sunt Ioues isti terreni. Ingeniosum Poëtam Ouidium 3. Trist. Eleg. 4. harum rerum scientem audi,

Vsibus edocto si quidquam credis amico
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumque potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit:
Nam quamquam soli possunt prodesse Potentes,
Non prosunt, potius plurimùm obesse solent.

Et alius quisquis siet veterum in Catalectis.

Viue, & amicitias Regum fuge, pauca monebas,
Maximus hìc scopulus non tamen vnus erat:
Viue, & amicitias nimio splendore nitentes,

Et quicquid colitur perſpicuum fugito.
Ingentes dominos & famę nomina clarę,
Illuſtrique graues nobilitate domos
Deuita. Ex alto magna ruina venit.

Mitto cætera eiuſdem ſuauiſſimi guſtus: Et cum Ouidio ſup. abſoluo, Eleg. 4. lib. 3. Triſt.

Crede mihi, bene qui latuit bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Horatium 1. ep. 17. comitem addo.

Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.

Cui affinè eſt iſtud Suidæ ex ignoto auctore, Ita viue, vt nemo vixiſſe te ſciat. *Quos in immenſum* fortuna extulit, quam longè abſunt ab iſta priuatæ vitæ tranquillitate, tam miſeri ab huiuſmodi vitæ cultoribus iudicantur, quandoquidem ipſi ſibi renuntiare non poſſunt, perſona illis impoſita tuenda eſt. Circunſtant illos quærentium, poſtulantium, ambitioſorum negotioſorum turbæ, in animum eorum inquirunt, obſeruantur oculi; *liberiora omnia* ſunt iis quorum affectus tegi poſſunt, illis nullum ſecretum liberum eſt, in multa luce fortuna eos poſuit, quos nihil plebeium decet, nihil humile; multùm ab illis homines exigunt, multùm expectant: nec ſomnum quidem extendere in partem diei licet, aut à tumultu rerum in otium ruris, gratia quietis, confugere, aut aſſiduâ laborioſi officij ſtatione fatigatum corpus voluntaria peregrinatione recreare, aut ex ſuo arbitrio diem diſponere. Non longè aliter ſenſiſſe viſus eſt auctor Dialogi de oratorib. *Pulchrum id quidem indulgentiam Principis ingenio mereri, quanto tamen pulchrius, ſi ita res familiaris exigat, ſeipſum colere, ſuum genium propitiare, ſuam exercere libertatem.* Neque tamen lautè, delicatè, genialiter, viuendi rationem iis verbis in-

tellectam probauerim. Istorum ganeonum ea vox est apud Senecam ep. 123. *Vna fœlicitas est bona vita, facere omnia liberè, frui patrimonio hoc est viuere:* potius interpretationem illam Plinij, præf. lib. 18. adhibendam censeo, *Nos relictis æstimationi suæ istis hominum turbis, pergamus excolere vitam, eoque constantius quo operę nobis maior quàm famę gratia expetitur.* Audio nonnullos insusurrare. Quemadmodum in diuitiis, sic in honoribus illud plerumque euenire, vt plures in opes inuehantur, quàm eas contemnant serio, vel repudient. Sic auctor Dialogi de oratoribus, *Opes facilius inuenies qui vituperent, quàm qui fastidiant.* Quemadmodum auctore Seneca Patre 2. Declam. 1. *Facilius est paupertatem laudare, quàm ferre.* Itidem qui honores & dignitates assequi nequeunt, ab iis tanquam à Scylla & Caribdi cauendum esse dictitant. Dicam cum Lucilio 27. & quidem ex animo,

Nulli me inuidere; neque Strabonem fieri sępius me
Delitiis istorum velle aut percupere.

Albinouanus appositè de obit. Mœcenat,

Maior res magnis abstinuisse fuit.

Placet mihi istud Saluiani 1. *Inter quamlibet dura nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt.* At quoniam omnium hominum non vna est eademque vel naturæ propensio & inclinatio, vel par ad alterius arbitrium viuendi necessitas, aut saltem non simplex & leuis impulsio. Musa Rhetor apud Senecam Patrem 7. Controu. 1. *Alij viuere sine Reipubl. administratione non possunt, aliis in priuato latere & extra omnem inuidiam secessisse, pręcipua tranquillitas est.* Non idcirco damnare vel audeam, aut velim, qui ad Reipublicæ gubernacula accedant, quos Princeps in aliqu[o] honoris gradu, atque adeò fastigio collocarit. Minir

omnium: Aristidi orat.1. Leuctr. secedere, & publica detrectare negotia ignauiæ istud non sapientiæ aut grauitatis vllum præbet iudicium. Et Plinius Iunior, Paneg. eximiè, *Recusare omnes honores ambitionis est, moderationis est eligere paucissimos.* Sed ciuilem istam & publicam viuendi rationem cum priuata, & penitus ab hominum animis in communi societate moderandis & regendis abhorrente, conferre institui, & vtra sit præferenda exquirere. Nec quis mihi homines planè ignauos & otio torpentes somniet. Est quod maximè laudādum & prædicandum otium existimem, vt & aliud huic dissimile penitus damnandum. Otium hoc posterius homine tantisper suo nomine digno, quandoquidem penitus iners existat, indignum existimo. Draconis Atheniensis leges sanguine tinctas veterum erat sententia, quarum vna erat; Otioso & ignauo mortis pœnam irroganto. Plutarch. Solonis placet moderatio, Areopagitæ quo quis modo vitam instituat inquirunto: Ignauum & ignobile siquidem otium, hominum est, quibus summa curarum, summa votorum est, mollem in posterum & pinguem, hoc est, vt ipsi existimant, innoxiam & beatam vitam viuere. Qui, vt ait, Sallustius apud Lucium Senecam ep.60. *Ventri obedientes, animalium loco numerandi sunt, non hominum; & horum nonnulli ne animalium quidem, sed mortuorum. Qui latitant & torpent, & sic in domo sunt quasi in conditiuo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Idemque aiebat Themistocles, vnumquemque illorum viuum esse suiipsius sepulchrum. Vt refert Plutarchus in Solone. Isti sunt qui vt habet Sulpitiæ Satyra,

——— *Somno moriuntur obeso.*

Qui sunt vt loquitur Næuius, Alcest.

Corpore

——— *Corpore pectoreque vndique obeso*

Mente exsensa.

Quorum corpora, Seneca auctore ep. 88. *in sagina, animi, in macie & veterno sunt.* Verè equidem vt alio loco expressit. Quare bon. vir. c. 2. *Languent per inertiam saginata, nec labore tantum, sed mole & ipso sui onere deficiunt.* Reliquos otiosos videamus. Sunt veterum non pauci, qui Philosophos tanquam huic inerti otio addictos, grauissimè reprehendant. Pacuuius acerbè illos perstrinxit hoc versu,

Ego odi homines ignauâ operâ & Philosophâ sententiâ.

Macedo Philosophus apud Agellium 13. c. 8. hunc versum pro foribus omnium templorum describendum esse censebat, quia nihil fieri posse indignius neque intolerabilius dicebat, quàm quod homines ignaui ac desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta Philosophiæ in linguæ verborumque artes conuerterent, & vitia facundissimè accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes. Non aliter Quintilianus, Declam. 268. *Philosophos vanos vocant & otiosos, & in ambitum ipsum, contra quem maximè differere videntur, alligatos.* Alio loco, Declam. 283. *Vos Cynici, nouo genere ambitus, adorationem miseriâ captatis.* Præclarè illos defendit, & contra quod vrgent aduersarij, aptissimè reponit istud Seneca vit. beat. c. 20. *Non præstant Philosophi quæ loquuntur, multum tamen præstant quod loquantur, quod honesta mente concipiant. Nam si & paria dictis agerent, quid esset illis beatius? Interim non est quod contemnas bona verba & bonis cogitationibus plena præcordia. Studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est.* Nos otium negotiosum nunc explicemus, & in iis qui illo rectè vtuntur, omni prædicatione dignum iudicabimus, cùm longè aliter sese gerant, quàm qui in otio torpent, & toti cupidita-

tibus, voluptatibus, iocisque diffluunt, quos eleganter expressit his versibus Ennius, Iphigen.

Otio qui nescit vti, plus negotij habet
Quàm cum est negotium in negotio:
Nam quid quod agat institutum est nullo negotio
Id agit, studet, ibi mentem atque animum delectat suum.
Otioso in otio animus nescit quid sibi velit.

De otio huiusmodi quo de agitur scrupulum alicui mouere potest Tertullianus, lib. de pallio, cùm ita scribit, *Vita meliore magis in secessu fruare quam in promptu. Sed ignauâ infamique, scilicet Patriæ & Imperio, Reique publicæ viuendum est.* Tertulliano equidem, vel potius ei qui pro toga aduersus pallium hanc protulit sententiam. Nullo negotio fieri satis arbitror, iis paucis verbis,

Non eadem est ætas, non mens.

De ætate primum videamus. Plinius Iunior 4. ep.23. rectè meo iudicio sic censet, *Prima*, inquit, *vitæ tempora, media Patriæ, extrema nobis impertire debemus, vt ipsæ leges monent, quæ maiorem annis sexaginta otio reddunt.* Seneca breuit. vit. c.20. eò alludit: *Lex*, inquit, *à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat.* Paulo aliter Asprenas Rhetor, apud Senecam Patrem, 1. Contr.8. *Senator post sexagesimum & quintum annum in curiam venire non cogitur, non vetatur.* Et Quintilianus, Declam. 306. istud innuit, *Non perpetuò Senatorem citat Consul.* Et senum certè aptior nulla, neque conuenientior exercitatio esse potest, cùm se in illam iam deuexam & inclinatam ætatem receperint, quàm vt sibi illud veteris Poëtæ perpetuo occinant,

Vni viue tibi, nam moriere tibi.

Quidni in eam cogitationem singulis momentis incum-

bant, iam despumauit ætas, iam vitia primo feruore adolescentiæ indomita lassauit, non multùm superest vt extinguat, idcirco ætatem istam ad bonam mentem, non ad publicam rem tractandam comparatam esse manifestum est. Et quamquam illa, cùm se multis experimentis longâ & frequenti rerum patientia domuerit, nonnullis persuadere videatur eandem publica munia & tuto & sapienter obire & sustinere posse, attamen non paucæ occurrunt in Republica mutationes, quibus non iam senum, sed virorum, & eorum qui florida ætate vigent, consiliis prospiciendum est, *Iuuenes quidem*, teste Plinio Iuniore, lib.3.ep.1. *adhuc confusa quędam & quasi turbata non indecent, senibus placida omnia & ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est.* Cassiodoro 5. ep. 25. *Sola senum vita est, quietis inuenisse remedia.* Ecquid igitur ad Reipublicæ gubernacula senes euocare necessum est, nisi illos ambitioni suæ immori malis, quàm immortalitatis parandæ studio. Non eadem est ætas. Quam mentem, ab ipsa vel iuuanda vel administranda Republica, sine vlla reprehensionis labe, abesse posse nos existimemus, nunc inuestigandum est. Nemini in primis dubium esse potest, non omnes tractandorum publicorum negotiorum idoneos esse, seu quorum animus ab istis curis publicis omnino auersus est & alienus. Et frustra ad Rempublicam animum suum arietare permiserint, seu quia mollis & tener, nec tot, quæ vndique ingruunt, molestias exhaurire, ærumnas exorbere possit, seu quia à natura sic effictus & efformatus, vt vel leuia quæque metum & consternationem incutiant,

Et motæ ad Lunam trepidabit arundinis vmbram.

Annon præstat huius ingenij hominem secedere, suoque delectari otio, rebusque priuatis ac domesticis operam

dare. Sed hunc hominem intelligo, cuius probitas, candor, integritas perſpecta ſit, qui exiguo lare ſit contentus. Ecquid humile tugurium cogitas, quod eſt latiſſimum virtutum receptaculum, in quo ſpectanda eſt, vt ait Lucanus, Paneg. Piſon.

——— Plena pudoris
Libertas, animuſque mala ferrugine purus.

Fœlix profecto ſeceſſus, de quo non immerito iſtud pronuntiauit Ennodius Ticinenſis, Ethic. 1. dict. 24. *Secundis rebus proximum eſt, quæcunque acceſſerint mala neſciri.* Præclarum huius rei exemplum habes apud Curtium 4. Abdolominus Regum Sidoniorum ſtirpe editus, ob inopiam, hortum ſuburbanum exigua colebat ſtipe, cauſa ei paupertatis, ſicut pleriſque probitas erat: Ille intentus operi diurno, ſtrepitum armorum qui totam Aſiam concuſſerat, Alexandro Magno auctore, non exaudiebat. Rex ex iſta humili fortuna renuntiatus & ab Alexandro probatus, ab eoque rogatus qua patientia inopiam pertuliſſet. Reſpondit ille, *Vtinam eodem animo regnum pati poſſim. Hæ manus ſuffecere deſiderio meo: Nihil habenti, nihil defuit.* Antiſthenes, apud Heſychium Illuſtrium, affirmabat obſcuritatem nominis bonum eſſe non diſſimile labori. Seneca audiendus, *Non vt leonum animaliumque impetus caueis coërcentur, ſic hominum quorum maximè in ſeductu actiones ſunt. Ita tamen delituerint, vt vbicumque otium ſuum abſconderint, prodeſſe velint & ſingulis & vniuerſis ingenio, voce, conſilio.* Senec. de Tranq. c. 3. Adde S. Auguſtinum lib. 5. de Ciuit. c. 19. *Nec ſic quiſque debet eſſe otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi; nec ſic actuoſus, vt contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, ſed aut inquiſitio, aut inuentio veritatis, vt in ea*

quisque proficiat, & quod inuenerit teneat, & alteri non inuideat. Iam penitiùs dispiciamus qui priuatam illam vitam sunt amplexi, an ignauam & infamem degere videantur, & patriæ & Reipublicæ prorsus inutiles. Quinam illi sint prius explorandi veniunt, tum illorum secessus, & patriæ & imperio aliquantum conducere videbitur. Homines id genus cùm, vt Christianos decet, præsertim ac in primis id curent, vt vni Deo & Optimo & Maximo sese approbent, quod se nec iustius nec sanctius præstare credant, quàm si erga Dei benignitatem gratos se præbeant, in acceptis à Deo beneficiis memoria recolendis perpetuo versantur, quod illis singulare & proprium est. Nam cæteri, quorum animus in varia distractus, vtpotè nouis & multiplicibus cupiditatibus æstuans, vix istud cogitant. Illi secedentes quo magis ac magis in diuinis beneficiis, vel ab ipso ortu ad hæc vsque tempora susceptis, recensendis & ponderandis occupantur, eò magis se obstrictos profiteri solent, cùm longe cæteris maiora sibi tributa esse arbitrentur. Apud Senecam epist. 73. *Quemadmodum Neptuno plus debere se iudicat ex his qui eadem tranquillitate vsi sunt, qui plura & pretiosiora illo mari vexit, & animosius à mercatore quàm à vectore soluitur votum, & ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui odores ac purpuras & auro pensanda portabat, quàm qui vilissima quæque & Saburræ loco futura congesserat: sic huius otij & pacis beneficium ad omnes pertinens, altius ad eos peruenit, qui vtroque bene vtuntur.* Addo & dum bene vtantur, non videri hac ratione inutiles & Patriæ & Reipublicæ. Nec enim duntaxat Curiam, forum & administrationem publicæ rei reliquerunt, sed ad ampliora secesserunt. Dicam cum Seneca epist. 8. *Qui nil agere videntur, maiora agunt, humana diuinaque simul tractant.* Totos

se ad rerum pulcherrimarum cognitionem & diuinarum contemplationem conuerterunt, ex iis didicerunt bene debere beneficia bene soluere. Interdum autem solutio est ipsa confessio, confitentur igitur multum se debere ei, cuius administratione ac prouidentia contingit liberum istud otium, & arbitrium sui temporis & imperturbata publicis occupationibus quies. Ista est gratitudo Diuino Numini adeo accepta, vt non sibi tantum, probi illi, sed & aliis à Deo ampliorem multo & copiosiorem extundat, extorqueat beneficentiam. Hos inutiles dixeris, qui cæteros mortales, suo exemplo, ingratitudinis vitium obstinatissimè fugere ac detestari, vicissimque suam grati animi significationem longè illustriorem reddere ac manifestare doceant? Qui nobis omnibus istud Plinij Paneg. vltro inculcent, *Liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit*. Infœlices & inutiles eos dices qui pro populo Christiano fidelissimas agunt excubias? qui suis precibus diuinam emolliunt iram? quorum beneficio, dum Mosis exemplo in monte, manus attollunt, nobis est & facilis & certa de Amalechitis victoria, *Neque solus ille militat, qui in acie stat, & cornu dextrum læuumque defendit, sed & qui portas tuetur, & statione minus periculosa non otiosa tamen fungitur, vigiliasque seruat, & armamentario præest*, ait Seneca, de Tranquillit. c.3. Hæc ad publicam & Patriæ & Imperij salutem & vtilitatem non pertinere, qui dixerit ex alicuius Diagoræ Melij schola se prodiisse, satis apertè fatebitur. Absoluo sanctissimi Episcopi Gregorij Nanzianzeni, ep.57. qui Theologus apud Græcos optimo iure audit, cohortatione. Migremus hinc, ait vir summus, viri efficiamur, somnia proiiciamus, vmbras prætereamus, aliis vitæ oblectamenta, plusque doloris quàm voluptatis

habentia relinquamus: alios occupatos teneant, iactent ludificentur, inuidia & tempus & fortuna, ſic enim rerum humanarum inconſtantiam appellant. Valeant throni, principatus, opes, ſplendores, elationes, caſus, vilis hæc & deſpicabilis gloriola, ac denique magnæ huius ſcenæ ludicra nugæque theatricæ. Nos verbum arctiſſimè complectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus, ſolum illud perenne bonum & noſtrum. S. Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 8. *Magis mihi me debeo, quàm hominibus cæteris, quamuis Deo magis quàm mihi.*

O SOLES, Ô TVNICATA QVIES.

SVBSILIRE IN COELVM EX ANGVLO LICET.

S. Gregorius Nazianz.

Ἐμοὶ δὲ μεγίστη πρᾶξις ἐστὶν ἡ ἀπραξία.

Mihi equidem maxima actio eſt otium.





IVRISIVRANDI RELIGIO.

CAPVT PRIMVM.

Iurisiurandi varia & multiplex definitio. Per quæ veteres olim iurarunt. Per meam salutem: Hebræi, Per nomen. 1. Deum. Nominatio Sancti. Emendata vulgata Ecclesiastici 23. Iusiurandum vni Deo tribuendum. Donatistarum amentia qui per suos Episcopos iurarent. Iurandi origo.

DE Iurisiurandi religione dicturus, ab illius definitione ordiendum arbitror, quam variam & multiplicem varij & diuersi auctores tradunt. S. Gregorio Nysseno, Homil. 4. in Cantic. Iusiurandum est oratio per se confirmans veritatem. Clemens Alexandrinus, 7. Stromat. ait, Iurare idem esse ac Iusiurandum, vel tanquam Iusiurandum mente conceptum proferre affirmatiuè. Paulò amplior, nimiumque diffusa hæc definitio videri potest, quandoquidem eo modo id quod asseueramus, & de quo affirmare dicimur, illud omne Iusiurandum esse pronuntiaremus, quod etiam vulgaris loquendi modus non facilè admitteret. Mallem igitur alteram Iurisiurandi definitionem, apud eundem Clementem, probare. Est autem eiusmodi, Iusiurandum dicitur confessio definitiua, cum

Diuina

Diuina assumptione. Eodem pacto Philo Alexandrinus, lib.2. Allegor.& lib. de spec.leg. aliquanto apertius. Iusiurandum est fidei signum firmissimum, coniunctum cum Dei testimonio. Tum paulò post; Iurare est in re dubia testem Deum inuocare. Sic alio loco, Iusiurandum nihil est aliud quàm in re ambigua Dei testis citatio. Aliis Iusiurandum dicitur esse affirmatio vel negatio, sacræ rei assertione, vel attestatione firmata. Sacras res non vnius generis esse, cùm apud omnes in confesso sit (de quibus singillatim dicemus, vbi ea per quæ iurare vsus obtinuit, enumerabimus.) Sed cùm earum nullum sit, aut maius, aut præsentius testimonium, quàm Diuini Numinis, idcirco totum hoc qualecunque sit, ad Deum referri debet. Hinc illud est B. Augustini, in psal. 109. serm. in decoll. S. Ioan. Bapt. *Quando iuras quid facis? Deum testem adhibes.* Et alio loco. *Quid est iurare? Deum testari.* Sed multò clarius, ac ad rem qua de agimus accommodatius: *Quid est iurare, nisi ius reddere? Deo, quando per Deum iuras: ius saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam iuras; ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis & non falsitatis?* Cùm dicit quisque, PER MEAM SALVTEM, *salutem suam Deo obligat; quando dicit,* PER FILIOS MEOS, *oppignorat Deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius; si verum, verum; si falsum, falsum. Cùm ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam, quisque in iuratione nominans, quidquid nominat, obligat Deo.* Iurisconsultis D. lib.12. tit.2.l.3. & c. non ita visum, apud quos, qui iussus per Deum iurare, per caput suum, vel liberorum suorum, iurauerit, ipsius Iusiurandum ratum non habetur, ac si eiusmodi iuramentum Diuini Numinis religionem atque

reuerentiam, nullo pacto ſapere videatur. Niſi quis ex forma Iuris rem interpretari velit, quæ & in ipſa lege expreſſa eſt, vt tum demum iuratum habendum ſit Iuſiurandum quod ab aduerſario delatum ſit, & conceptis ab aduerſario verbis, & expreſſa formula: ſiquidem omne omnino licitum Iuſiurandum, per quod voluit quis ſibi Iurari, idoneum eſt. Sed ego è diuerticulo in viam, & quod à S. Auguſtino dictum eſt, illud idem obſeruo in noſtris Capitularibus lib. 1. cap. 63. *Sunt aliqui, qui per charitatem & veritatem iurant, & cauent ſe à iuramento nominis Dei, & neſciunt quod idem eſt Deus quod eſt charitas & veritas, dicente Ioan. Apoſtolo, 1. c. 4. quia Deus charitas eſt. Item ipſe Dominus in Euangelio. Ioann. 14. Ego ſum via & veritas.* Itaque ſatis apparet in Iureiurando quidquid nominetur, Diuini Numinis inuocatione comprehendi. Apud Gentiles iſtud notiſſimum eſt, vnde Næuius,

Ius ſacratum, Iouis iurandum ſagmine.

Et Iuriſiurandi eam notationem adſignat, ex Ennio, Apuleius, *Nam & Iouis Iurandum dicitur.* Ita elegantiſſimus Themiſtius orat. 1. Dei inuocationem Iuriiurando applicat. Hebræi per NOMEN iurare dicunt, hoc eſt, per Deum, metu quodam religioſo ac reuerentia, Dei vocem non exprimentes. Ita Leuitici 24. locus inſignis iſtud probat, *Ecce egreſſus filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio, inter filios Iſraël, iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlita, cumque blaſphemaſſet* NOMEN, *& maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſem.* Malè in noſtris editionibus poſt NOMEN, addita eſt vox, DOMINI, quæ elegantem illam Hebræorum locutionem corrumpit. Et certè editio Romana vulgatæ verſionis, habet. Cumque blaſphemaſſet, NOMEN. Sic verſio, ex Hebræo, Santis Pagnini.

Nuncupauit filius mulieris Israëlitidis NOMEN. Itidem ex Chaldæo Paraphrasta Latinus Interpres. Et expressit filius mulieris Israëlitidis, NOMEN. Proferam germanum locum ex Ecclesiastico 23. *Omnis Iurans & Nominans, in toto à peccato non purgabitur.* Versus, qui præit, istud explanat, *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceatis.* Posterior pars hæc, (& nominibus Sanctorum ne admisceatis,) in Codicibus Græcis emendatioribus nihil habet quod respondeat: itaque assumentum videtur, & consulenda Ecclesiastici editio ab eruditissimo Hœschelio castigatissima. In priori parte nostra vulgata habet, *Nominatio Dei,* Græci omnes codices, ὀνομασία τοῦ ἁγίου, *Nominatio Sancti,* longè congruentius ad Iudaïcum morem. Ad nostrum Iusiurandum, quod non sine Dei nuncupatione, siue expressa, siue non dispari elocutione intellecta, fieri contendo, tandem redeundum est. Ac quicquid in eo exprimatur, non aliud indicare credendum est quàm Iusiurandum omne ad Dei præpotentis Maiestatem pertinere. Hinc illud Madaurensis Platonici, lib. de Deo Socrat. *Iusiurandum est Summi Deorum honor proprius.* Similiter Optatus lib. 2. Donatistas arguit, quòd per suos Episcopos iurarent, ac si illos pro Deo haberent. Additque istud, *Solet Deus, ad probandam fidem, in iuratione ab hominibus nominari. Si ad vos Diuina migrauit de cœlo religio, quia per vos iuratur, nemo vestrorum langueat, nolite mori, imperate nubibus, pluite, si potestis, vt per vos plenius Iuretur & de Deo sileatur. O sacrilegium impietati commixtum, dum homines per vos iurantes libenter auditis!* Eam ob causam, Hierocles Iusiurandum reuerenter habendum esse dicebat: Et Orator princeps 3. offic. Iusiurandum religiosam affirmationem appellauit. Ac si Iusiurandum

ſine aliqua Diuini Numinis religione vſurpari & concipi nequeat. Neque vero abs re propoſita videri debet, ſi obiter Iurandi originem explicemus. S. Chryſoſtomus homil. 9. in Act. Apoſtol. Iuramentum in orbem inuectum prodit, cùm hominum mores flagitiis quibuſque & ſceleribus contaminari atque inquinari cœperunt, cùm Idololatria paulatim ſerpere cœpit, atque adeo in dies vigere ac florere, cùm rerum omnium perturbatio iam ſeſe proderet, & cùm homines ipſi iam dubiæ & fluxæ fidei deprehenderentur, tum neceſſum fuit Deum aduocare teſtem, quaſi fideiuſſorem, qui dictis & promiſſis ſatisfacturus eſſet. Siquidem iuramentum ſit fideiuſſio, vbi mores fidem non habent: Et quoniam homines parum ſibi mutuò credunt, non iam fideiuſſorem hominem quærere oportuit, ſed Deum. Denique cùm iurgari & de communi diuidundo, familia Herciſcunda & ſimilibus, inter ſe contendere cœperunt, Iuramento quiſquis rem ſuam ſibi vendicare tentauit. Apoſtolus itaque meritò *Iuramentum omnis controuerſiæ finem eſſe* pronuntiauit, Hebr. 6. Caius Iuriſconſultus D. lib. 12. tit. 2. l. 1. eodem pacto, *Iuriſiurandi religionem tanquam maximum expediendarum litium remedium*, in vſum veniſſe affirmat. Quod non vnius generis & modi exiſtere palam eſt. Iuriſconſulti triplex faciunt, voluntarium, neceſſarium, iudiciale. In Baſilicis 22. tit. 5. quatuor ſpecies numerantur, quas etiam explicat Balſamo, ad Photij Nomocanonem tit. 13. c. 18. Sed ego manum ſubduco, ne quis Iuriſconſultus magiſter. Noui enim iſtud Columellæ lib. 10.

Nec manibus mites ferulas, nec cruribus æqua
Terga rubi.

CAPVT SECVNDVM.

Gentiles per Deos ſuos iurabant. Socrates, Per Hircum, Canem, Anſerem. Varia Socratis Iuriſiurandi interpretatio apud Patres. Quid de eo Apollonius apud Philoſtrat. Suid. etiam Demoſthen. Iuſiurandum Scytharum, Bulgarorum, Ægyptiorum, Perſarum. Græcorum olim & aliorum. Per Caput, Etiam recentiorum. Mira eius rei hiſtoria apud Zozimum. Per Caput Regis etiam Ægyptiorum. Iudæis vſitatum. Per Caput. Per Cœlum. Per terram. Per Hieroſolymam. Per Templum. Per timorem Patris. Oſſenorum Iuſiurandum. Per ſalutem ſuam vel filiorum. Per ſepulchra defunctorum. Per patris vel matris ſanitatem. Per eorum beatam memoriam. Per Cineres eorum. Muhamedis Impoſtoris Iuſiurandum. Per Genium. Per ſalutem Principis. Per Imperatorem. Per vitam Regis, vel filiorum. Νὴ τὸν θεόν. Iuratio. Per Melchom. Vnde Pœni homines immolare didicerint. Vt Gentiles ita Chriſtiani. Per Deum iurant. Per Capillum Dei vel Caput. Per Deum. Per Chriſtum. Per Spiritum Sanctum. Per Corpus & Sanguinem Domini. Per Sacroſanctum Baptiſma. Per Coronam Epiſcopalem. Per inſeparabilem Trinitatem. Per diem Iudicij.

NE in incertum & immenſum diuagetur noſtra diſputatio, viam quandam & rationem in iſta Iuriſiurandi religione explicanda ſtatuamus. Quoniam vero ipſius definitionem ſuperiori capite excuſſimus, cætera eo digeramus ordine, vt primum illa recenſeamus per quæ antea iurare ſolebant maiores, tum iurandi formulas ſubiungemus. Deinde ritus qui Iuriſiurando adhibebatur, poſtea conditiones præſtandis iuramentis requiſitas &

qualis iurantium intentio esse debeat, explicabimus. Insuper qui iurare prohibiti sint dispiciemus. Postremò de periurio videbitur. In primis igitur constat veteres non vno Iurandi eodemque genere & arbitro, Iuramentum enuntiasse. Gentiles *Per Deos* suos iurasse, nemo est in his litteris adeo peregrinus qui istud ignoret. Et aliis pridem hæc sunt obseruata, pauca adiiciam. Seneca Cons. ad Helu. c.10. ex collatione maiorum cum hominibus sui seculi, istud ostendit. *Tunc* (id est priscis illis seculis) *per fictiles Deos religiose iurabatur, qui per illos iurauerant ad hostem morituri, ne fallerent, redibant.* Vnde *mortale Iuramentum* eiusmodi vocat Publicola apud S. Augustinum ep. 153. dum ait Afros barbaros *per Dæmones* iurare solitos. Ipse Tertullianus Apolog. c.32. Testim. Amm. Gentiles perstringit acerrimè, quandoquidem apud eos, citius *per omnes Deos*, quàm *per vnum Genium* Cæsaris peierаretur. Ex quo Minutius Fœlix Octau. istud descripsit. *Est eis* (Ethnicis) *tutius per Iouis Genium peierare, quàm Regis.* Apud Tertull. Apol. 4. Socratis Iusiurandum *Per Hircum, Canem, Anserem,* mirum in modum exagitarunt Scriptores nostri. Lactantius 3. c.19. nulla omnino ratione Socratem hac in parte excusandum censet, quamquam tacitè hoc Iuramento Deos suos deridiculo habuisse videatur. Socrates *Per Canem & Anserem* deierabat. *O hominem scurram* (vt ait Zeno Epicureus) *ineptum, perditum, desperatum, si cauillari voluit religionem; dementem si hoc serio fecit, vt animal turpissimum pro Deo haberet.* Tertullianus paulo æquior. *Socrates in contumeliam Deorum Quercum & Hircum & Canem deierabat. Sed propterea damnatus est, quia Deos destruebat.* S. Augustinus de vera relig. c.2. pro Socrate ob Iuramentum

huiusmodi facere videtur, iis verbis: *Socrates audacior cæteris fuisse perhibetur, Iurando per Canem quemlibet & Lapidem quemlibet, & quidquid Iuratum esset in promptu, & quasi ad manum occurrisset. Credo intelligebat qualiacunque opera naturæ, quæ administrante Diuina Prouidentia gignerentur, multò quàm hominum & quorumlibet opificum esse meliora, & ideo diuinis honoribus digniora quàm ea quæ in templis colebantur. Non quod verè lapis & canis essent colenda sapientibus, sed vt hoc modo intelligerent, qui possent, tanta superstitione demersos esse homines, vt emergentibus hîc esset tam turpis demonstrandus gradus, ad quem venire si puderet, viderent quanto magis pudendum esset in turpiore consistere.* Mitto cætera, quæ validissimè Gentilibus ipsis veternum excutiant. Socratis Iusiurandum eiusmodi ita defendit Apollonius apud Philostratum, lib.6.c.9. quod per ea iuraret Socrates non tanquam Deos, sed ne per Deos iuraret. Suidæ locus, verbo, *Lampon* de isto *Per Anserem* Iuramento, non immerito addendus videtur. Narrat Lamponem Atheniensem, Sacerdotem, Aruspicem, Oraculorum interpretem; *Per Anserem*, cùm quempiam fallere vellet, iurare solitum: Primos Socraticos eodem modo iurare solitos. Rhadamantum vero primum prohibuisse Iusiurandum *Per Deos* fieri, sed *Anserem* iurari voluisse: Itidem, *Per Canem, Arietem* & similia. Cur autem, *Per Anserem*, potissimum iuraretur illam affert rationem, quoniam sit auis fatidica. Demosthenes *Per terram, Per fontes, Per fluuios, Per latices*, Iurare solitus erat, si Phalereo credimus. Phot. num.265. Apud Lucianum, Toxar. Scythæ *Per ventum & acinacem* iurabant. Bulgari, forsan soboles Scytharum, *Per Spatham*, iurabant. Nicol.1. ad Consult.

Bulgar. c. 67. Ægyptij *Per cæpe & allia*, ita ſcribit Plinius 19. c. 6. *Allium cœpaſque inter Deos in Iureiurando habet Ægyptus.* Perſarum Reges *Per Mithram* ſeu *Solem.* Apud Ælian. 1. c. 33. *Per Caput* iurare omnium penè Gentium conſuetudo fuit: apud Ariſtid. orat. 3. Platon. Græcis illis antiquioribus in vſu iſtud fuiſſe nemo ignorat, quin & recentioribus, de quibus hoc narrat Zonaras, ad Canonem vltimum Concil. Calcedon. Cùm vrgerentur Ægyptij Epiſcopi, quatenus decreta Concilij Calcedonenſis ſuo Chirographo confirmarent, & id recuſarent, donec in locum Alexandrini Patriarchæ ſui, tum defuncti, alius ſufficeretur, ſtatutum ab Imperatore & Senatu, vt vel fideiuſſores darent, vel ſacramento fidem ſuam obſtringerent. Erat autem Iuſiurandum eiuſmodi. *Per Caput & Salutem Imperatoris*, & per ipſius iurantis incolumitatem. Nonnulla adiiciemus poſtea. Interim Balſamo ibidem ad eundem Canonem Concilij Calcedonenſis adnotat, Iuſiurandum hoc vocari, ἐξωμοσίαν, vt etiam habet Zonaras eodem loco, quod nihil aliud indicet quàm alicuius iurationem, in caput Imperatoris, vel propriam ſalutem. Quod quidem Iuramentum non reducitur ſecundum Iuriſperitos, ad quinque Iuriſiurandi ſpecies, lege ſtatutas. Sic Balſamo. Porro *Per caput Imperatoris* iurare adeo magni æſtimabant, vt omne aliud quodcunque exiſteret, pro nihilo ducerent. Scribit Zozimus lib. 5. hiſt. cùm Alaricus Gothorum Rex, Honorij Imperatoris auditâ Epiſtolâ, quæ ipſi à Iouio Præfecto Prætorio lecta fuerat, ob ſui contemptum commotus, ſuos Romam illius oppugnandæ gratia, ire iuſſiſſet, Iouius, Principis tacto capite, Iuſiurandum præſtitit, & cæteros, quotquot aderant, Duces & Primores idem præ-

ſtare

ſtare compulit, nunquam pacem cum Alarico faciendam, ſed bellum perpetuo gerendum. Interea Alaricus cum longè moderatioribus quàm antea conditionibus, pacem ab Honorio poſtularet, ac omnes & præſertim Epiſcopi, quos apud Imperatorem interceſſores adhibuerat, illas probaſſent, & è Republica eſſe dicerent, Iouius & & quotquot Magiſtratus gerebant eas penitus repudiandas eſſe dictitabant, quandoquidem *Per Caput Imperatoris* iuraſſent quod ſi *Per Deum* præſtitum eſſet Iuramentum, fortaſſe negligi poſſet, permittendo benignitati Diuinæ facinoris impij condonationem: At contra Iuſiurandum *Per Caput Imperatoris* datum, nullomodo fas eſſe delinquere. S. Hieronymus, 1. contr. Iouin. etiam ſuo tempore, *Per Caput* iurare vſitatum fuiſſe prodit. De Latinis iſtis Iuriſiurandi formulis conſulendus eſt vir clariſſimus Briſſonius, de quo quidquid magnificè dixero minus erit, hoc maximum Galliæ ornamentum ob defenſam Gallici Imperij tutelam fraus Iberica crudeliſſime ſuſtulit, *Per Caput* Iudæos iurare conſueuiſſe mox oſtendemus cum ea omnia per quæ illi iurabant vno veluti faſce complectemur, quod antequam præſtemus, interim diſcamus ex Abenezra, Ægyptios, *Per Caput Regis* ſui, iuraſſe. Sic Iudæus ille magiſter, apud rerum Hebraicarum ſcientiſſimum Druſium. Conſuetudo Ægyptiorum eſt hodie vt iurent, *Per Caput Regis*, & qui ſic iurauerit, niſi ratum habuerit verbum ſuum, reus eſt mortis, nec libra auri, quam offert pro redemptione ſua, eum liberare poteſt, quandoquidem publicè contempſit Regem. De Iudæis nunc agamus. Seruator noſter Chriſtus, apud S. Math. 5. ita ſuos alloquitur, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua:*

Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per Cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Hæc à B. Augustino de serm. Dom. in monte lib. 1. c. 17. pereleganter explicantur iis verbis, *Quæri potest cum diceretur; ego autem dico vobis non iurare omnino, cur additum sit neque Per Cœlum, quia thronus Dei est, & cætera vsque ad id quod dictum est, neque Per Caput tuum.* Idem de verbis Apost. serm. 28. *Credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri Iureiurando, si per ista iurassent. Et quoniam audierant; Reddes autem Domino Iusiurandum tuum, non se putabant Domino debere Iusiurandum, si Per Cœlum aut terram, aut Per Hierosolymam, aut Per Caput suum iurarent, quod non vitio præcipientis, sed illis male intelligentibus factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, vt per hoc quisque periurandum arbitretur, quando à summis vsque ad infima Diuinâ prouidentiâ creata regerentur. Incipiens à throno Dei vsque ad capillum album aut nigrum.* S. Hieronymus in cap. 5. Math. ita scribit, *Iudæi Per Angelos & vrbem Hierusalem & Templum & elementa iurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei.* Sed longe acutius ista exponit S. Augustinus sup. cum docet per ista iurare perinde esse ac per Deum iurare: *Quia* inquit ipse, *vtique Dominus est, Domino Iusiurandum debet, qui Per Hierosolymam iurat. Neque Per Caput tuum iuraueris. Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari quàm caput suum? Sed quomodo nostrum est, vbi potestatem faciendi vnius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo Deo debet Iusiurandum infallibiliter tenenti omnia & vbique præsenti; Quisquis etiam Per Caput suum*

iurare voluerit, & hinc etiam cætera intelligantur. Priſcos illos Iudæorum patres aliter iuraſſe legimus, vt in Geneſ. 31. cum Laban Aſſyrius, Per *Deum Abraham & Deum Nachor* iuraſſet, Iacob viciſſim, Per *Timorem* Patris *ſui Iſaac* iurauit. Timorem pro Deo, Hebraica locutione, vſurpari tradunt viri eruditi. Et Dei cultum, omnemque religionem cum metu & timore coniunctam eſſe alio loco demonſtrauimus, & nonnihil in Commentario de Conſcientia dicemus. Ridiculam de eiuſmodi iuramento Iudæorum, Per *Cælum & Terram*, ſententiam adiungam, qua negant Iuſiurandum eſſe, ſi quis Per *Cælum* vel *Terram* deieret, niſi edixerit per eum qui habitat in Cœlis, & nomen Dei addiderit. Nos alio loco, vbi de ritu iuramenti concipiendi agemus, ſingularem verporum iſtorum, erga Chriſtianos, etiam in forenſi negotio, perfidiam atque infidelitatem aperiemus. Nec illud præterire poſſum, Iudæos nonnullos etiam poſt Chriſti Domini Natiuitatem, hæc & multo plura iurandi genera vſurpaſſe. Teſtem habeo S. Epiphanium hæreſ. 19. qui in hæreſi Oſſenorum (qui Iudæi ſunt) narrat, Elbrai Iudæum ad Oſſenos ſe aggregaſſe, Imperante Trajano, qui ſe Prophetam dicebat, qui iurabat Per *Solem ac Terram, panem, Cælum, æthera ventumque*, velut Numina, & ita ſuos Oſſenos iurare iuſſit, Per *ſalutem ſuam* vel *filiorum ſuorum* iurare aliquos diximus ſuperiori capite, addo tamen & iſtud Iſidori Peluſiotæ 2. epiſt. 188. *Multi* Per *Deum* iurantes, periurij crimine ſeſe deuinciunt, per filiorum autem caput ne iurare quidem audent. Illuſtratur locus ex S. Auguſtini loco de verb. Apoſt. ſerm. 28. *Timet aliquis falſum iurare* Per *filium ſuum, & non timet falſum iurare*, Per *Deum ſuum. Fortaſſis hoc dicens in animo ſuo? Timeo per filium meum falſum iu-*

rare ne moriatur: Deo autem, qui non moritur, etsi falsum per eum iuretur, quid mali contingit? Benè quidem dicis, nihil mali contingit Deo, quando falsum iuras Per *Deum, sed contingit mali multum tibi, qui fallis proximum, qui testem adhibes Deum.* Breuitati consulens mitto cætera. Etiam P*er sepulchra* defunctorum, præsertim aut suorum aut heroum & virorum fortium aliquando iuratum fuisse, ex Seneca patre suas.2. colligi potest. Et firmari istud videtur loco Philonis Alexandrini, de spec.leg. apud quem legere est, si rei necessitas religionem Iurisiurandi postulet, magis decere iurare P*er* P*atris aut matris sanitatem & senectutem prosperam,* si viuant; aut si defuncti sint, P*er eorum beatam memoriam.* P*er Cineres parentum* eodem pacto iurabatur, vt ex Seneca patre 1.Contr.1. colligere est, P*er lapidem* etiam aliquos iurasse refert S. Augustinus de verb. Apost. serm. 30. Nescio an id referendum sit ad veterum Romanorum Iusiurandum, P*er Iouem lapidem*, de quo tam multi scripserunt, aut generatim P*er Deos* Gentilium, ex lapide seu marmore effictos, & vt non-nemo veterum dixit, *Imaginatos.* Vnde illud Clementis Alexandrini exhortator. Terram calcare didici non adorare. Lactantius Clementis Interpres 2. c.2. & 17. *Calcare terram nihil aliud est, quàm simulachra non adorare, quia de terra facta sunt.* Auctor est Euthymius, Panopl.part.2.tit.24. Muhamedem impostorem illum impurissimum, iurare solitum P*er Solem, Lunam, astra, igneum splendorem, animalia, canes cursores, plantas*, aliaque incognita & barbara vocabula Dæmonum noxiorum, P*er Genium* P*rincipis* olim Gentiles, tritum illud est. Et Tertullianus ad Scap. cap. 28. 32. P*er Genium* P*rincipis* iurare, nihil aliud indicari ait quàm P*er Dæmonem* P*rincipis.* Non minus vulgatum istud etiam, P*er sa-*

lutem Principis iurare. Ioseph Genes. c. 42. Per *salutem Pharaonis* iurat. S. Basilius in psal. 14. ὑγιείαν habet, siue salutem, siue sanitatem dicas 1. q. 7. c. 9. ex B. Gregorio lib. 10. ep. 31. *Per salutem Dominorum nostrorum Rempublicam gubernantium.* Formula hæc Iurisiurandi à B. Gregorio condita & vnicuique Episcopo ad vnitatem Ecclesiæ redeunti proposita & præstanda, *Per Imperatorem* itidem iuratum esse leges indicant, vt superiores Iurandi species. D. 12. tit. 1. l. 13. Cod. 4. tit. 1. Etiam morem hunc diutius perdurasse mihi facilè persuadeo, ex illa Iurandi formula, quam supra descripsimus ex B. Gregorio. Erat necnon in vsu Iusiurandum, *Per Maiestatem Imperatoriam.* Vegetius 2. c. 5. ita refert, *Iurant* (milites) *Per Maiestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda.* Sed illud obseruandum venit, aliquot postea seculis, vetitum fuisse, ne quis iuraret Per *vitam Regis vel filiorum suorum*, vt disertis verbis expressum est in nostris Capitularibus 3. c. 42. *Per Deum* Iurare & Gentiles & nostri Christiani consueuerant, præter aliis notata, ista subiiciam. S. Augustinus de verb. Apost. serm. 28. scribit Græcos suo tempore illud quotidie in ore habuisse, Νὴ τὸν θεὸν, quæ est iuratio, *Per Deum*: Ita Persarum Reges, Νὴ τὸν Μίθραν, sanè Per *Mithram seu Solem.* Ita expressit Ælianus 1. c. 33. post Plutarchum Apopht. Eodem pacto Iudæi in Idololatriam lapsi Per *Melchom* iurabant, quod illis Deus per Sophoniam prophetam c. 1. exprobrat. Quis autem Deus sit iste Melchom, ex S. Hieronymo discimus suis in Prophetam Amos c. 5. Commentariis. Lucæ in Actis Apostolorum 7. Μόλοχ dicitur, Aquila vertit Melchom Symmachus & Theodotio. Rex vester. Moloch vero seu Melchom erat Deus Ammonitarum cui liberos suos miseri il-

li in ſacrificium offerentes cremabant, quem ritum crudeliſſimum Chananęi, patria à Ioſue pulſi, cùm in Africa poſuerunt ſedes, retinuerunt. Nam Saturnus Pœnorum, cui tale ſacrificium fiebat, non alius erat quàm iſte Moloch Ammonitarum. Quamquam etiam Carthaginenſes à Tyriis Phœnicum præſtantiſſimis, ex quibus originem ducebant, iſtud didiciſſe, credi poſſit. De hoc, Per *Deum*, Iuramento apud Ethnicos, eleganter iſta diſſerit Lactantius 2. c.1. ſparſim, quæ nos breuiter conſtringemus & coaceruabimus, *Nunquam* (Gentiles) *Dei meminerunt, niſi dum in malis ſunt. Nam & cum iurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Iouem aut Deos multos, ſed Deum nominant, adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit, quodquidem non faciunt in proſperis rebus. Nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficiis eius fruentes, honorem dare Diuinæ indulgentiæ deberent. Poſtquam metus deſeruit & pericula receſſerunt, tum vero alacres ad Deorum templa concurrunt.* A Tertulliano 1. cont. Marcion. iſtud exſcripſit, qui ſic habet, *Maior popularitas generis ne nominis quidem Moyſi compotes ne dum inſtrumenti* Deum *Moyſi tamen norunt etiam tanta Idololatria dominationem obumbrante ſeorſum tamen illum quaſi proprio nomine* Deum *perhibent &* Deum Deorum: *Et ſi* D*eus dederit, & quod* Deo *placet, &* Deo *commendo. Vide an nouerint quem omnia poſſe teſtantur. Nec hoc vllis Moyſi libris debent. Ante anima quàm prophetia.* De noſtris Chriſtianis, Per D*eum* iurantibus, res tam nota eſt quàm cuique ſua domus. Sed quis non rideat vel potius ſuccenſeat grauiſſimè, dum audit repertos fuiſſe, qui Per *Capillum* D*ei*, iurarent. Meminit Iuſtinianus 22. q.1. c.10. quod etiam extat in noſtris Capitularibus. Illud autem ex Iuſtiniano expreſſit Iulianus Ante-

cessor Nouell. 71. Nouell. 77. iis verbis, *Si quis Per Capillum Dei, vel Per Caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, officio Præfecti vrbis, vltimo supplicio afficiatur. Si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium quod Diuina condemnatione similiter coërcebitur: Ipse quoque Præfectus vrbis, si neglexerit, post Dei iudicium etiam nostram indignationem timeat.* Apud Vegetium 2. c. 5. milites in legionem adscripti, iurare consueuerant, *Per Deum & Per Christum & Per Spiritum Sanctum.* Iuramenti, *Per Christum* meminit S. Augustinus de verb. Apost. serm. 28. sed Saluianus noster lib. 4. quàm piè & grauiter istud describit pro sui seculi infœlicitate. *Vnde*, inquit, *peruulgatum hoc ferè & apud nobiles & apud ignobiles sacramentum est. Per Christum. Per Christum, quia hoc facio. Per Christum, quia hoc ago. Per Christum quia nihil aliud dicturus sum. Per Christum, quia nihil aliud acturus sum. Et quid plura? In id penitus deducta res est, vt sicut de Paganis Barbaris prius diximus, Christi nomen non videatur iam sacramentum esse, sed sermo.* Quæ sequuntur non minoris sunt pietatis. *Per Corpus & Sanguinem Christi*, Christiani olim iurabant. S. Hieronymus Dialog. aduers. Lucifer. istud nos docet, loquens de Episcopis Catholicis, in Ariminensi Concilio fraude Arrianorum deceptis, *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia, hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini & quicquid in Ecclesia sanctum est.* Eusebius refert hist. Eccles. 6. c. 42. Nouatum hæreticum quos ad suas partes euocaret, eiusmodi sacramento obtrinxisse. Iura mihi, *Per Corpus ac Sanguinem Domini nostri Iesu Christi* quod me nunquam deserere, & ad Cornelium (Papam) reuerti velis. Sic cum Victor quidam Monachus, in suspicionem venisset non

rectæ fidei, Concilio Ephesino, aduersus Nestorij hæresim, constitutæ, & propterea alicuius maledicentiæ in S. Cyrillum Alexandrinum, qui in eo Concilio primas partes egerat, in publico conuentu Episcoporum, iurauit *Per Sacro-sanctum Baptisma & veneranda Christi misteria* nullius horum scelerum se conscium esse, vt scribit S. Cyrill. Apolog. ad Theodos. Imp. *Per Coronam Episcopalem*, adiurandi formula apud Afros vsitata. Ita S. Augustinus ep. 147. ad Proculeianum Episcopum Donatistarum. *Per Coronam nostram*, nos adiurant vestri (i. Donatistæ) *Per Coronam vestram*, vos adiurant nostri. Iusiurandum Regum Francorum primæ stirpis, in sanciendo fœdere, memorat Gregorius Turonensis hist. Franc. *9.* c. 20. hoc pacto. Iurant partes *Per Dei omnipotentis nomen & inseparabilem Trinitatem vel Diuina omnia ac tremendum diem iudicij*. S. Chrysostom. in 2. ad Thessalonicens. c. 5. narrat mulierem quandam Constantinopolitanam, emisse sibi in seruos virum & eius vxorem, siue, Iuris vocabulo, contubernalem, ac cum vir, seruus nequam & flagitiosus existeret, hera de vtroque vendendo cogitauit, quod cum ipsa contubernalis rescisset, amicam heræ suæ conuenit, & nō sine lachrymis ipsam obtestata est, quatenus heram suam ab eo proposito auerteret, addito huiusmodi Iureiurando *Ita Christum videas in die iudicij*, ne meas preces despicias, ac Christum cœlis apertis vidit die sequenti ista mulier, quæ intercessit & rem confecit. Subiungit Diuinus vir, pueros, cùm flagris cæduntur forsan asperius, quàm par sit, adiurare solitos *Deum & Christum* in caput seu Pedagogi, seu alterius, *Ita Christianus moriaris*, id est pari cruciatu & acerbitate pœnæ. Sed quod dolendum est, fidem faciunt auctores non pauci, Christianos ali-

quando Gentilium iuramenta vsurpasse, de quibus sequenti capite, illud tantum describam ex Concilio Aurelianensi 4. c. 15. *Si quis Christianus, vt est Gentilium consuetudo, apud cuiuscunque feræ vel pecudis exta, inuocatis insuper nominibus Paganorum, fortasse iurauerit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, à consortio fidelium vel Ecclesiæ communione pellatur.*

CAPVT TERTIVM.

Iurisiurandi formulæ. Testis est Deus. Scit Deus. Inuoco Deum super animam meam. Per vestram gloriam, an sit iuratio apud Apostolum. Νὴ τὸν θεὸν *explicatur, Ita me Deus adiuuet.* Ναιμάτον, *quæ iuratio. Ille, ipse, voces hæ solitariæ, dignitatis ergò vsurpatæ. Iusiurandum iocosum. Ita saluus sim. Deus sit mihi propitius. Christiani reprehensi qui Gentilium iuramenta vsurparent. Viuit Dominus. Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat. Militum Alexandri & Romanorum quæ iurandi forma.*

IVRISIVRANDI varias & discrepantes formulas nunc recensere instituti ratio postulat. Neque ego quæ apud priscos auctores Ethnicos reperiuntur attingere velim, cùm clarissimus Brissonius & alij non pauci has omnes diligentissimè excusserint. Nos Christianas magnam partem examinabimus. S. Augustinus de serm. Dom. in monte, De verb. Apostol. serm. 28. nonnullas recenset eiusmodi, *Testis est Deus. Scit Deus. Inuoco Deum super animam meam.* Has autem iurandi formulas, ex Apostolo Paulo ep. 89. efformatas esse declarat. Sic enim Apostolus Rom. 5. *Testis mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euan-*

gelio filij eius, 2. Corinth. 1. *Testem Deum inuoco* super animam meam. Iuratio prorsus certa & expressa, ait S. Augustinus; Itidem Philipp. 1. *Quæ scribo vobis ecce, coram Deo, quia non mentior.* Sed B. Augustinus tacitæ quorundam obiectioni aduersus has Apostoli formulas aptè respondet, *Nisi fortè quis dicat tunc cauendam esse iurationem, cùm per aliquid dicitur quod iuratur: At non iurauerit (Apostolus) quia non dixit, Per Deum, sed dixit, Testis est mihi Deus. Ridiculum est hoc putare. Tamen propter contentiosos, aut multum tardos, ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo iurasse Apostolum dicentem*, 1. Corinth. 15. *Quotidie morior per vestram gloriam, Fratres, quàm habeo in Christo Iesu Domino nostro. Per vestram gloriam, iuratio est*, inquit Sanctissimus Doctor qui istud firmat, ex Græcis eiusdem Apostoli verbis, Νὴ τὴν ὑμετέραν (alij legunt, ἡμετέραν) καύχησιν. *Per vestram gloriationem.* Et reuera iurandi formulam esse probat idem B. Augustinus, ex quotidiana iurandi apud Græcos forma. Νὴ τὸν θεὸν de qua suprà diximus. Et certum est, vocem Νὴ, esse particulam iurantis & obtestantis. Attamen Photius apud Oecum. in epist. S. Pauli in huius loci interpretatione dubius est, nam duobus modis exponit. Priore, vt sit iurationis formula; Posteriore, vt sit sensus, Morior propter vestram gloriationem, id est, vt gloriari possim de vobis, Christo per me acquisitis. Hinc nonnulli sibi hanc Apostoli obtestationem seu professionem publicam potius quàm iurationem esse contendunt. Sed inter hanc & illam non multum discriminis esse video. Nihilominus S. Basilius in Psal. 14. Apostolum his verbis iurasse pernegat, *Ita me Deus adiuuet*, vetus illa Iurisiurandi formula, & nunc quidem vulgaris. Philo de leg. spec. quosdam reprehendit, qui ita iurabant, *Ita me adiu-*

uet, & vocem, *Altissimi*, reticebant: quandoquidem non aliud quidquam addendo, & supprimendo vocem, *Altissimi*, suppleri potest, si lubet, Sol, Cœlum, Terra, Mundus, quæ sunt creaturæ præcipuæ & sempiternæ: Quæ qui vnius & veri Dei religionem profitentur, sine scelere quasi pro numine in iurando vsurpare nequeunt. Video equidem priscos Gentiles nonnunquam in suis iurandi formulis hac reticentia vsos. Apud Suidam, formula illa Iurisiurandi, Ναὶ μὰ τὸν *Sane per illum*, nullo alio adiecto. Et tamen ipsum Deum intelligebant. Equidem apud Latinos, voces illæ *Ipse, ille*, solitariæ, hoc est suppresso nomine proprio eius de quo agitur, dignitatis ergò ita enuntiabantur, vt auctor est Donatus illustris Grammaticus, in Andr. Terent. Ita in Panegyrico, qui Maximiano Imperatori dictus est. *Omnium, vt dicitur, accepto nuntio nauigationis tuæ, vna vox & hortatio fuit, quid dubitamus, quid moramur? IPSE iam soluit, iam prouehitur, iam fortasse peruenit, experiamur omnia, per quoscunque fluctus eamus: quid est quod timere possimus? Cæsarem sequimur.* Græcis istud non inusitatum. In vita Pythagoræ. Iambl. c. 18. Pythagorei, cùm de Pythagora loquebantur, non exprimebant nomen proprium, sed Αὐτὸν, *Ipsum*, pronunciabant. Et Donatus hac voce sic prolata, auctorem aliquando designari scribit, & Pythagoras suæ sectæ auctor & princeps. Interim Suidas locutionem illam, Ναὶ μὰ τὸ, vsurpari docet à Callimacho, & contendit Græcos veteres non temere *Per Deos* iurasse, sed per obuia quæque, vt ex Homero & Menandro demonstrat, aitque hoc genus orationis ad pietatem & religionem, maioremque Diuini Numinis reuerentiam homines informare. Memorat idem Suidas Iusiurandum iocosum seu derisionis gratia, *Per papaueris virentem her-*

bam. Ad noſtros Chriſtianos redeo, quos vſos lego iis iurandi formulis, *Ita ſaluus ſim, Vere dico*, & in Iureiurando de calumnia, *Scit Deus.* De quo videndus Scholiaſtes Iuliani Anteceſſoris Conſtit.33. c.78. quin & illa, *Deus ſit mihi propitius*, quæ iſti ſuperiori, *Ita me Deus adiuuet*, reſpondet. Cod.Theod.9. tit.1.l.4. Conſtantini Magni eiuſmodi fuit, *Ita mihi ſumma Diuinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet, vt cupio, fœliciſſima & florente Republica.* Trajani Iuſiurandum non aliter in rei Romanæ commodum publicum conceptum fuit. Sic in Prouinciarum ſpeciem redactam videam Daciam. Sic Pontibus Iſtrum & Euphratem ſuperem. Iuliani Parabatæ perſimile. Sic ſub iugum mittam Perſas. Apud S.Ambroſium ep.64. cùm de integritate pudoris alicuius puellæ, de qua ſuſpicio erat, ageretur, pro puella teſtimonium dixit, ſoror, nulli eam ſe virorum familiaritati dedidiſſe, *Optare cum ea ſibi à Domino Ieſu partem reſeruari in regno Dei.* Votum iſtud voces, ſiue obteſtationem, perinde eſt. Illud certè obſeruatione dignum, Chriſtianos aliquando Gentilium Iurandi formulas vſurpaſſe, hoc nos docet Concil. Trullanum c.95. cuius Canon eiuſmodi legitur. Eos qui Gentilium Iuramenta iurant, Canon pœnis ſubiicit, & nos iis quoque ſegregationem decernimus. Balſamo longè diligentius quàm Zonaras, hunc ſic interpretatur, vt ex Canone S. Baſilij, in epiſtola ad Amphilochium, c. 80. pœnis Canonicis ſiue Eccleſiaſticis afficiantur, qui iuramenta Gentilium vſurparint, ad fidem dictis ſuis faciendam. Sed omnes illi nec pari affectu & ſtudio, nec pari religione ad hæc impelluntur, ita non parem ſeueritatem experiri debent. Ac imprimis credere par eſt nullum Chriſtianum, qui re vera talis ſit, credere Deos Gentilium vllam Diuini Numinis ratio-

nem & Maiestatem habere, itaque cùm apud se falsos Deos esse agnoscant Christiani, illi aut sponte per eos iurant, & tunc excommunicandi, si laici: sin autem vel coacti & necessitate quadam, aut per contemptum horum falsorum Deorum, mitius punientur, & quidem arbitrio Episcopi. Verum S. Basilij Canon iste non tantum eos damnat, qui iurandi Gentilium formulis vtantur, sed iis triplex crimen attribuit, quoniam sine magna necessitate fidem in Christum prodiderint, & Dæmoniorum mensam attigerint, & Gentilium sacramenta iurarint. Sed ne quis Ecclesiasticos ab hac impietate semper alienos fuisse arbitretur, audiat Canonem Concilij quarti Carthaginensis, c.61. *Clericum Per creaturas iurantem, acerrimè obiurgandum, si perstiterit in vitio, excommunicandum.* At *Per creaturas* iurare, inter Gentilium iuramenta annumerari debere, nemo est qui non fateatur, & meminit Balsamo ad Canonem illum Trullanum. Quod vero attinet ad Canonem hunc Trullanum, & S. Basilij, ni fallor, video improbum illum morem Christianorum etiam Magnatum iurandi, secundum formam & modum Gentilium in Orientali Imperio, vsitatum fuisse. Eo enim respexisse videtur Isidorus Pelusiota 4. ep.144. qui altero post S. Basilium seculo vixit, dum grauissimè conqueritur de Christianis nonnullis, qui patiebantur Gentiles non modo sacra & veneranda Christianæ religionis arcana, siue mysteria attingere, verumetiam illi ipsi, nefariis & abominandis gentilium sacris, per iuramenta ipsorum scelerata atque absurda, communicare audebant. Reliquas Iurisiurandi formulas persequamur. Vulgarem istam tritamque Iudæorum obiter adnotamus. Extat in libris Regum, *Viuit Dominus*. Item, *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat*. Sed

iſtam magis execrationem eſſe putant quàm iuramentum: quamquam iurationem cum execratione coniunctam in Scriptura cernere liceat. Ita Paralippom. 6. *Si peccauerit quiſpiam in proximum ſuum, & iurare contra eum paratus venerit, ſeque maledicto conſtrinxerit.* Grauiſſimum illud eſt & maximè laudandum iuramentum quod Perſæ, iuueniles annos egreſſi, & in virorum claſſem adſcribendi, dare ſolebant, ea forma. Apud Iſid. Peluſ. lib. 4. ep. 198. Iuro me contempturum omne malum lucrum, voluptatem corporis, inanem gloriam, quin potius æmulabor virtutem, colam Diuinum Numen, & parentes, vera dicens & bona agens: neque horum quidquam violabo ſciens & volens. Adiungam, ſed veniam præfatus, duplicem iurandi formulam planè iniquam & inhoneſtam, quam Ariſtoteles ipſe Polit. 5. c. 9. qui vtramque prodit, & ſatis apertè damnat. Prioris vſus erat receptus in Democratiis, ſiue populari ſtatu, æuo eiuſdem Ariſtotelis, & cuiuſmodi forma erat. Plebem non afficiam iniuria. Et Athenis, Ephebi ac impuberes iurare ſolebant, ſe Democratiam defenſuros, cùm in Ciuium album, anno ætatis 20. referrentur. Sed in Oligarchiis, vbi pauci ditiores & potentiores dominantur, Iuriſiurandi ea erat formula. Plebi ero inimicus, quodque malum potero, illi moliar. Sacramenti militaris aliquas ſubiici formulas nil vetat. Nouella conſtitutio Theodoſij & Valentiniani Imperatorum ſic habet, *Iuratur in militiæ ſacramento, vt neceſſitates publicæ procurentur.* Apud Curtium lib. 7. *Annon propemodum in tua verba tui omnes te præeunte iurauimus? Eoſdem nos inimicos amicoſque habituros eſſe quos tu haberes?* Epictetus Arriani lib. 1. c. 14. de militibus Romanis iſtud prodit. Milites propter ſtipendium iurare ſe Cæſaris ſalutem omnibus rebus anteferre. S. Hie-

ronymus Heliodorum sic vrget ep.1. *In sacramenti verba iurasti pro nomine eius non te patri parciturum esse.* Apud Athenienses qui vigesimum ætatis annum attigissent, sub dio ista iurabant; Arma non dehonestabo, nec adstantem, quisquis is fuerit, socium relinquam: pugnabo quoque pro focis & aris solus & cum multis, patriam nec turbabo nec prodam, nauigabo contra quamcunque destinatus fuero regionem, solemnitates perpetuas obseruabo, receptis consuetudinibus parebo, tuebor & solus & cum reliquis omnibus, atque colam Sacra patria. Hæc refert Pollux lib.8. c.9.

CAPVT QVARTVM.

Iurare positis super altare sanctum manibus. Coram altari. Propositis, tactis sacris Euangeliis. Iusiurandum præstitum corporaliter, legaliter. Ponere manum. 1. Iurare. Exod. 23. Iurare super lapidem. Super crucem. In cruce consecrata, non consecrata. Super reliquias. Ritus singularis, iurando stipulas in manibus tenere, deinde proiicere. In capitularibus descriptus quî explicandus ex coniectura. Iurare super tumulum S. Dionysij. Super altarium. Iusiurandum mirum Iudæo à Christiano oblatum.

IVRANDI ritus nunc nobis explicandi sunt & ij præsertim qui apud Christianos in vsu esse cœperunt. *Tacto altari,* Iusiurandum præstitum fuisse auctor est S. Chrysostomus homil.9. in Act. Apost. Apud Gregorium Turonensem, & alios rerum nostrarum scriptores istud crebrò occurrit, *Positis super altare sanctum manibus.* Vsitatum etiam istud apud Iudæos; Sic enim 3. Regum 8. scriptum est, *Si peccauerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod*

iuramentum quo teneatur adstrictus, & venerit propter iuramentum, Coram Altari tuo, in domum tuam. Propositis Sacris Euangeliis. Iampridem iurandi mos inualuit, vt apparet in nonnullis actionibus Conciliorum, Ephesini, tom.2. c.6. & Calcedonensis Act.1. & 4. & secundum formulam Iurisiurandi descriptam à B. Gregorio lib.10. ep.31. *Iurantem Sancta quatuor Euangelia in manibus tenere necessum est.* Concilio Rhemensi 22.q.5.c.22. *Nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam laïco quidquam super sacrosancta Euangelia iurare presumat, sed simpliciter cum veritate & puritate dicat, est, est, Non, non.* Innumera sunt huius ritus apud Ecclesiasticos scriptores testimonia. Aliena subiiciam, & illud præsertim illustre, in Codice Iustinianeo 3. tit.1. l.14. quo vult Imperator, Iudices omnes, quacunque ratione designati & lecti fuerint, non aliter litium primordium accipere, nisi prius ante sedem iudicialem *Sacrosanctæ deponantur Scripturæ,* & hæ permaneant, non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus vsque ad ipsum terminum & definitiuæ sententiæ recitationem; Aduocatos persimili iuramento adstringit, etiam litigantes, vt habet synopsis Basilicorum 7. tit.16. Interim edicit Iustinianus, *Tactis Sacrosanctis Euangeliis* Iusiurandum istud exhibendum esse cod.3. tit.28. l.1. quod Alexander Seuerus, *corporaliter* præstitum Iusiurandum appellauit, vt ex eodem Codice apparet, de qua re Iurisconsultorum nostri æui princeps Cujacius. Illud idem significare voluit Pelagius Papa, epist.3. qu.9. c.20. ad Decoratum Patricium, cùm *tactis Sacrosanctis Euangeliis* præbitum *legaliter* sacramentum dixit. Imitatio hæc videtur esse ritus Iudaici, in præstando iuramento, qui subobscurè designatur in Exodo 23. Nostra vulgata sic habet, *Nec iunges manum tuam, vt pro*

impio

impio dicas falsum testimonium. Santis versio, ex Hebræo, cum qua conuenit & illa Chaldæi Paraphrastæ, *Nec ponas manum tuam cum impio, vt sis ei testis falsus*. Et exponunt rerum Hebraicarum peritissimi, *Ponere manum*, idem significare quod, *Iurare*. Ritus à Iudæis obseruatus ille est, vt iuraturi super librum legis, aut tale aliquid quod sacrum erat, manum ponere tenerentur: at hunc librum nonnisi dignum, idoneum, hoc est, summa religione scriptum & paratum, non vitiatum proponunt, & quo in suis Synagogis vtantur. Omne aliud iuramentum qualecunque sit & quauis forma expressum, ridēt, ac pro nihilo ducunt; vnicum hoc legitimum agnoscunt & venerantur. Notat Glossa ad caput 22. q. 5. c. 10. Ecce dico, versutiam quorundam, qui *Super lapidem*, falsum iurabant, nec se existimabant periurij reos. Fraus erat eiusmodi, vt cùm super librum (Euangeliorum, vt ego interpretor) iurare deberent, lapidem aliquem supponebant, decipiendo eos quibus iurabatur, nec idcirco putabant se iuramenti vlla lege teneri, cùm super lapidem iurassent. Reliquos ritus nostros videamus. Olim, *Super crucem*, nostri iurare solebant. Huius moris meminit Gratianus, atque iuxta inscriptionem, locum citat ex Pio Papa, 22. q. 5. c. 2. vnde caput præcedens desumptum est. Romani emendatores Gratiani, adnotarunt apud Burchardum & Iuonem caput istud citari ex Theodori, Græci hominis, Cantuariensis Archiepiscopi, Pœnitentiali. Sed quoniam non extat liber, licet Pœnitentiale Romanum, editore Antonio Augustino, viro incomparabili, magnam partem ex illo Theodori confectum sit: attamen aliunde inuestigare oportuit, extat verò in libro Pœnit. Bedæ venerabilis c. 9. de remediis peccatorum, iis verbis, *Qui sciens virtutem iuramenti, vel*

periurij, periurat in manu Episcopi, aut Presbyteri, vel Altari, vel Cruce consecrata, tres annos pœniteat. Si vero in Cruce non consecrata, vnum annum pœniteat. Si autem in manu hominis, apud Græcos nihil est. Græcos, Antonius Augustinus, Gentiles interpretatur, quos Noui Testamenti Sacræ litteræ, & vetustiores Ecclesiæ Patres Græci, sic indigetant. Ego Græcos vsitatiori vocabulo pro Gente explicare mallem, quoniam vt & historiæ & scriptores omnes passim docent, nulla natio adeo prona est, & procliuis ad iurandum & peierandum, quàm Græcorum, vnde natum veriuerbium, *Græca fides*. Sed ad nostrum Iusiurandum reuertamur, & interim moneamus in nostro Gratiani Decreto edito, bis repeti *(In cruce non consecrata)* priore loco tollenda est yocula negandi *(non.)* Nam ex Bedæ cõtextu, duplicem crucem, super quam iuraretur, agnoscimus, consecratam vnam, alteram non consecratam, *Super Reliquias* Sanctorum iurarunt etiam nostri. Ita in Capitularibus *6,* c.209. *Omne sacramẽtum in Ecclesia & Super Reliquias, iuretur, & quod in Ecclesia iurandum est, vel cum sex electis, vel si duodecim esse debent, quales potuerit inuenire.* Sic *illum Deus adiuuet & illi Sancti quorum istæ Reliquiæ sunt,* vt veritatem dicat. Eodem ritu pactum Caroli Calui capit.2. & Henrici Regis firmatur, *Sic me Deus adiuuet, & istæ Sanctæ Reliquiæ.* Et pluribus locis istud legere est in Capitularibus Caroli Calui. D. *63.* c.33. Quin extat forma iuramenti Othonis Magni, quo se Ioanni duodecimo Summo Pontifici obstringit & in ea adhibet SS. Trinitatem, lignum viuificæ Crucis & Reliquias Sanctorum. Interim præclarum hoc antiquitatis monumentum, cum permultis aliis, beneficio eruditissimi & humanissimi Sirmondi sumus consecuti, & Deo bene iuuante, multo plura eidem debi-

turi sumus. Apud Gregorium Turonensem 3. histor. Franc. c.14. & alios rerum nostrarum scriptores, istud crebro occurrit, *Positis super altare sanctum manibus iurare*. Video in iisdem nostris Capitularibus & ritum & formam iurandi non satis perspectam. In eo capite quod reperitur lib.6. Capitularium c.285. Episcopi Gallicani grauiter conqueruntur de iis qui res, seu bona Ecclesiæ à Regibus petere, aut retentare, vel auferre, vel inuadere, vel vastare pręsumerent. Sed quoniam nonnulli suspicabantur istud non fieri absque ipsorum Episcoporum conniuentia, hoc sacramento iis verbis concepto sese apud omnes purgare illi voluerunt: *Vt ergo omnis suspicio à nobis cunctis Sacerdotibus, & omnibus Christi & Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes, stipulas* (sic legendum, non stipulis) *dextris in manibus tenentes, easque propriis è manibus eiicientes, coram Deo & Angelis eius, ac vobis cunctisque Sacerdotibus & populis circunstantibus, nec talia facere nec facere volentibus consentire, sed magis, Deo auxiliante, resistere*. Quid istud sibi velit, *Stipulas in manibus tenere, & easdem proiicere*. Fateor me non satis capere, nisi forsan imitari voluerint ipsi Episcopi, ritum illum enuntiandæ excommunicationis solemnis, de quo sic Burchardus Decret.11. c.3. qui æuo Caroli Magni vixit, *Debent duodecim Sacerdotes Episcopum* (tunc excommunicaturum quempiam è suis Diœcesanis) *circunstare & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione Anathematis vel excommunicationis, proiicere debent in terram & conculcare pedibus, additâ eiusmodi execratione. Sicut hæ lucernæ, de manibus nostris proiectæ, hodie extinguntur; sic eorum* (qui hoc pacto excommunicati fuerint) *lucerna in æternum extinguatur, nisi forte resipuerint, & Ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem & condignam pænitentiam*

satisfecerint. Est illud non prætermittendum, quod narrat Gregor. Turonensis 5. c. 32. *Super tumulum S. Dionysij*, aliquando iuratum fuisse. Mulier quædam matrimonio copulata, in suspicionem adulterij venerat, pater insontem affirmabat, propinqui & affines patri dixerunt: Si est innoxia, *Super tumulum hunc B. Dionysij Martyris*, sacramentis affirma. Pater eleuatis manibus, *Super Altarium* iurauit filiam non esse culpabilem. Iurisiurandi varia esse genera Iurisconsulti tradunt, & nos anteà nonnihil de iis diximus: Est autem inter ea iuramentum de calumnia, cuius ritum formulamque, aliàs illectam inauditamque, in iure Græco-Romano 2. legere est. Iudæus quidam, factus Christianus, res quasdam sibi vendicabat, quas ad eum pertinere audacter Iudæi pernegabant, Quæstor iubet Iudæum, tum Christianum, iuramentum de calumnia præstare, cæteros vero Iudæos plenum, sed quale is qui ex Iudæo Christianus factus, præscriberet, quod ita expressit, vt vnusquisque ipsorum rubo cingatur, & insideat culeo, ac mare ingrediens (res Constantinopoli gesta videtur) ter Circuncisionem suam conspuat, his verbis vtens. Ita me iuuet Barase, Baraa, Adonai, Elohi, qui transduxit Israël per mare rubrum, siccis pedibus, & aquam eis è saxo potabilem præbuit, mannaque comedendum dedit eis, cum coturnicibus, licet ipsi fuerint ingrati, repudiatis porci carnibus. Per eam legem, quam Adonai promulgauit, perque sputi reiectionem hanc in corpus circuncisionis, & per rubum, quo cincti sunt lumbi mei. Non mentiendi causa, nomen Domini Sabaoth, in hoc Iureiurando assumo. Mitto cætera, quæ omnia quam fidem mereantur, indicent sapientiores.

CAPVT QVINTVM.

In Iureiurando præstando quæ desiderantur ex Philone. Nec nisi postulante necessitate. Eorum quæ prohibentur non vna & eadem ratio. Intentio iurantis qualis esse debeat.

PHILO Alexandrinus ille, Platonis æmulus, de Decal. de legib. special. quàm eleganter de Iureiurando ritè & innoxiè emittendo disserit, vultque in primis rem de qua iuramentum concipiendum sit, nobis esse notissimam, ne quid temerè affirmemus: Deinde quàm vera sit, tum vt ipse iuraturus, sit purus anima, corpore, lingua, illa, ab omni scelere & flagitio, corpore non immundo, lingua cuiusuis maledicentiæ experte, quandoquidem nefas sit per os, quo profertur nomen istud sanctissimum, quidquam turpe emanare. Et qui iurat, non odio, aut amore insano, vel immoderata cupiditate, impellatur. Deinde loci & temporis opportunitas perpendatur. Primum illud maximè animaduertendum, ne crebro, vel inconsultè, & leuitate quadam, ad præstandum Iusiurandum nos accingamus, vel adeo prorumpamus. Mirum in modum placet illa præcepti Dominici, Math. 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem amplius est, à malo est.* Interpretatio ex B. Augustino in ep. ad Galat. c. 1. *Non est contra præceptum iuratio, quæ à malo est, non iurantis, sed incredulitatis eius cui iurare cogitur. Prohibemur ergo iurare, cupiditate, aut delectatione iurandi. Quamuis enim iuramentum amplius sit quam est, est, non, non, & ideo à malo sit, non tamen à malo tuo, sed infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui non aliter mouentur ad fidem.* Et alio loco, *Si iurare cogeris, scias de necessitate*

venire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades, quæ infirmitas vtique malum eſt, vnde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus, Libera nos à malò. Itaque non dixit. Quod autem amplius eſt, malum eſt. Tu enim malum facis, qui bene vteris iuratione. Quamobrem illa B. Auguſtini cautio 1. de ſerm. D. in monte, c.30. In iuramento præſtando adhibita, potiſſimum retinenda, vt nonniſi neceſſitate poſtulante id fiat, ita vt licet iuramentum prohibeatur, ſi res ita vrgeat, iam malum minimè cenſendum ſit. Sunt enim nonnulla, quæ quidem prohibentur, quia per ſe mala ſunt, & ea nulla omnino ratione fieri poſſunt citra noxam, veluti furtum, adulterium, homicidium, quemadmodum probat ſummus ille Philoſophiæ Magiſter Ethic.3. c.1. Alia vero ſunt, quæ prohibentur ex occaſione & ex adiunctis, quoniam ex iis, ſi frequenter fiant, mala inde promanant & ſubſequuntur. Apoſtolus Epheſiis vino interdicit, non quia iſtud per ſe malum ſit, ſed quoniam ex immoderato illius vſu, multa contra legem Diuinam & humanam committútur. Apud Madaurenſem Mileſ.2. *Liber Veneris hortator & armiger.* Huius etiam generis ſors eſt, de qua S. Auguſt. *Sors non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana, Diuinam indicans voluntatem.* Gratiani 26. q.2. c.1. gloſſæ explicatio eſt eiuſmodi: Sortibus nihil mali ineſſe monſtratur, prohibetur tamen fidelibus, ne ſub hac ſpecie Diuinationis ad antiquos Idololatriæ cultus redirent. Sed cum neceſſitas poſtulat, pro re vera, licita & honeſta, iurari poteſt, ſunt enim hæ tres iuramenti legitimi conditiones, ab Hieremia 4. Propheta conſtitutæ, *Et iurabis, viuit Dominus, in veritate & in iudicio, & in iuſtitia.* Quamquam vt hoc obiter dicam, B. Hieronymus in c.4. Hierem. explicans hunc locum, ait, *Iurandi*, vocem hîc pro confeſſione

vſurpari & ad condemnationem Idolorum, per quæ iurabat Iſraël. Cætera quæ ſpeciatim de iuramento dici poſſent, ſciens & lubens omitto, quandoquidem iſta, ad leuiſſimas vſque minutias, ſunt pertractata ab iis qui Theologiam moralem illuſtrarunt. De intentione iurantis pauca nobis dicenda ſunt. Ac præ cæteris, S. Baſilius, in pſal. 14. audiendus eſt. De huiuſmodi rebus quæ omnino perſpectæ ſunt & cognitæ, dum adſtruis & affirmas, annue. De his vero quæ non ita ſe habent, etſi omnes homines adhortarentur & obſecrarent, nunquam vllo pacto inducaris, vt contra rei veritatem affirmes. Citra vllam verborum implicationem, ad aliud reſpiciens, ipſam per ſe veritatem ſtudeto exprimere, ſimplici ac nuda vſus aſſenſione. Tremenda B. Gregorij 26. Moral. 7. c. ſententia: *Humanæ aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant. Diuina vero iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Certè nouerit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis, quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni.* Nec aliter Iſidorus ſent. lib. 2. c. 31. *Quacunque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Tacitus 4. hiſtor. iſtud vocat, *Verba Iuriſiurandi per varias artes mutare.* Neque vero cuiquam dubium eſſe poteſt Iuſiurandum ad Dei cultum pertinere, cùm qui illud violarit, impietatis ſcelere ſeſe obſtringat, vt Philo lib. de ſpec. leg. grauiſſimè demonſtrat, nec immeritò, cùm iurandi forma Deum vt Dominum & ſuperiorem noſtrum inuocemus. Neque alterius generis eſſe illud credendum eſt, atque ſacra & ſacrificia, qui-

bus pacta firmantur, quemadmodum Sacræ & prophanæ litteræ nos docent. At hæc quantumuis ad vtilitatem nostram comparata ſint, nequaquam tamen pro cuiuſque arbitrio & voluntate, quin & ingenio, peragenda ſunt.

CAPVT SEXTVM.

Qui iurare legibus prohibeantur apud Gentiles, apud Chriſtianos. De Clericis quo pacto iſtud intelligi debeat, explicat Photius, & ad eum Balſamo. Inſcriptio quid. De Epiſcopis, alia Codicis, alia Nouellarum ſententia. Paruuli iurare non coguntur, & quo ætatis anno ad iurandum adigi poſſunt.

QVAMQVAM ſuperiori capite præcepti Dominici de non iurando interpretationem ex S. Auguſtino & aliis didicerimus eiuſmodi, vt nonniſi ingruente neceſſitate Iuſiurandum præſtemus, nihilominus apud nos res ſic ſe habet, vt nonnulli omnino iurare, legibus prohibeantur. Apud Romanos illos veteres, Flamen Dialis & Veſtales minimè compellebantur iurare: Sic ex Fabio Pictore Agellius 10. c. 15. *Sacerdotē Veſtalem & Flaminem Dialem, in omni mea iuriſdictione iurare non cogam.* Prætoris verba ſunt, ex edicto perpetuo. Seneca Pater 6. Controu. 8. paulo aliter, *Sacerdos rarò iuret, nec vnquam niſi per ſuam Veſtam.* De Veſtali loquitur. Apud Chriſtianos res non ita conſtituta eſt. Chriſtianus, qualem effingit Clemens Alexandrinus Strom. 7. etiamſi rogatus, nunquam iurare dicitur. Nam cum iuſtè viuat, nihil ex iis quæ decet fieri prætermittens, vbi examinatur iudicium veritatis, ipſe factis verè & ſanctè iurat. Itaque illi ſuperfluum eſt linguæ teſtimonium. S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iul. dum variis

riis

riis modis Christianam doctrinam commendat, illud inter cætera numerat, quod apud Christianos periurium adeo atrox & nefarium censeatur, vt Iusiurandum quoque ipsum nobis solis interdictum sit. Isidorus Pelusiota 1. ep. 155. non modo non iurandum esse penitùs contendit, ac ne quidem ab alio iuramentum exigendum, & duplici quidem ratione: Vna quod veritatis amans sit & studiosus qui interrogatur, ac proinde nonnisi verum illum enuntiaturum esse credendum est, etiamsi nullum adhibeatur iuramentum. Altera, quod si res agatur cum eo qui libenter mentitur, frustra Iusiurandum exigas, quia ita assueuit, proculdubio mentietur. Sed ista non alia interpretatione indigent, nisi quod citra necessitatem, & vbi res nec certa sit, vel honesta & licita, tum iuramentum omne repudiandum sit. Sequentibus seculis, pro diuerso personarum statu, Iurisiurandi religioni prospectum esse voluerunt. Iustinianus Imperator, Nouell. 123. de Clericis vniuersim istud pronuntiauit, *Ecclesiasticis regulis & Canone à Beatissimis Episcopis antiquitùs instituto, Clerici iurare prohibentur.* Ita Photius in Nomocanone tit. 9. tit. 27. Leges & Canones vetant Clericum iurare. Etsi alio loco exceptionem huiusmodi addat Photius. Si est suspicio de Clerico, quod eius qui confugit, res habeat, ille, iussu sui Episcopi, iuret. Ad Photij priorem locum lepidus est Balsamo, qui scribit nec legem nec Canonem reperiri qui prohibeat vel permittat Clericos iurare. Sed posteriori loco, quærit, an debeant Episcopi & Clerici præstare sacramenta corporalia (id est tactis Sacris Euangeliis,) & contendit Episcopum & Clericum omnino iurare prohiberi, quod de isto corporali iuramento interpretatur, ita tamen vt aliud sacramentum præstent, quod,

Inſcriptionem, vocat, quæ corporalis iuramenti loco habeatur, & compleat omnia quæcumque ſacramentum corporale facturum eſſet. Forſan *Inſcriptionis* nomine intelligit merum teſtimonium, quod Epiſcopus enuntiat, oblatis Sanctis Euangeliis. De qua re Iuſtinianus agit in Nouellis & Iuliani Anteceſſoris Nouell. 115. num. 435. latina verſio eſt huiuſmodi, *Nullus Epiſcopus cogatur ad iudicium venire, teſtimonij dicendi cauſa, ſed Iudex apud Epiſcopum mittat miniſtros ſuos, vt, propoſitis Sanctis Euangeliis, quod ſcit Epiſcopus dicat ſecundum hoc quod Sacerdotibus honeſtum eſt & deceat.* Extat in Codice Theodoſiano locus elegans hac de re. Inſcriptio ita habet, *Pars actorum habitorum in Conſiſtorio, apud Imperatores* Gratianum, Valentinianum & Theodoſium, *Conſtantinopoli.* Imperator Theodoſius A. dixit, *Epiſcopus nec honore, nec legibus ad teſtimonium flagitatur. Item dixit, Epiſcopum ad teſtimonium dicendum admitti non decet. Nam & perſona dehonoratur, & dignitas Sacerdotis excepta confunditur.* Concilium Rhemenſe 22. q. 5. c. 22. non multum diſcrepat ab ea ſententia cuius Canon ſic habetur, *Nullus ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam Laïco quiddam ſuper Sacroſancta Euangelia iurare præſumat, ſed ſimpliciter cum veritate & puritate dicat eſt, eſt, non, non.* Sunt & alij qui à iurandi neceſſitate abſoluuntur. Capitularium libro primo, *Paruuli qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur iurare, ſicut Gunebodigni faciunt. Et qui ſemel periuratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hæc, nec ad ſacramentum accedat, nec in ſua cauſa, vel alterius iurator exiſtat.* Gunebodigni ſunt Burgundiones, interprete Franciſco Pithæo, viro eruditione præſtanti, ſic dicti à Gundobado Burgundionum Rege, qui leges ſuis humanitatis & benignitatis plenas condidit, vt au-

ctor est Gregorius Turon. l. 2. c. 33. histor. ex Concilio Hibernensi (vt citat Burchardus,) *Pueri ante annos quatuordecim non cogantur iurare.* Neque verò præter oleas illud à me additum existimet, quod de iuramenti solutione dicturi sumus ne quis in ea disputatione quidpiam desideret, istud adiungi placuit, sed nostro more, vt non anxiè & enucleatè omnia persequi velimus quæ à nostris hominibus fusissimè pertractata leguntur, sed delibare, & quod rei caput est, indicare satis erit. Iusiurandum omne vel in Deum dirigitur vel in hominem. Ne quis verò rem aliter se habere existimet, cùm ex antecedentibus capitibus omne iuramentum in Deum referri satis accuratè docuerimus. Illud intelligendum venit, Iusiurandum omne ex sui natura nos obligare Deo potissimum, ac primo loco, veruntamen si hominis vtilitatem istud respiciat, remittente homine, cui iuratum est, & Deus remittit. Denique hoc indubitatum ratumque seruandum est, si qui iurat directè ac præcipuè Deo placere vult, à Deo, vel ab eo qui in terris Dei vices gerit, ipsum iuramenti fide soluendum esse. Iurisiurandi gratiam facere istud appellabant: & vno nomine, Innocentij tertij, quem, Iurisconsultorum nostri æui summus, Iurisconsultissimum fuisse affirmat, effatum istud placet maximè, *In vnoquoque iuramento exceptam intelligi Superioris auctoritatem.*

CAPVT SEPTIMVM.

Ex iurandi facilitate mentiendi consuetudo. Mendacium duplex. In habitu, in verbis. Quis habitus conueniens. Triplex mendacium circa verba. Mendax triplex. Serui mendaces, vnde. Periurium ex praua consuetudine iurandi. Periurij causæ variæ & multiplices. Qui periurio rem sibi quærunt. Periurio an pœna aliqua constituta. Pontifices Romani Gentiles, causarum ad Sacra pertinentium Iudices, inde periurij, de quo & Censores. Periuris pœna grauis indicta, Capitularium legibus. Periurij exagitatio.

VT in virtute fieri amat, idem in vitio euenire perspicimus, vna siquidem virtute comparata, cùm omnes inter se connexæ & colligatæ sint, ad cæteras deinceps facilis est accessio, quandoquidem se vltrò offerant. Is est progressus hominis virtutum amore flagrantis, ita canit Rex & Propheta, *Ibunt de virtute in virtutem.* Vitij non alia ratio, sic enim se habet vitium suiipsius naturâ, vt mera sit illecebra merumque illicium, quod ad aliud facilè viam struat, & hinc lapsus procliuis. Vnde illud Satyrici 2.

—— *Nemo repentè fuit turpissimus.*

Nec aliter se habet res de qua dicere instituimus, cùm ex mentiendi facilitate & consuetudine, iurandi facilitas nascatur, tum ex iurandi consuetudine periurium nullo negotio sequatur. Primum illud de mendacij vsu frequenti examinemus. S. Ambrosius ep. 15. mendacium duplex constituit, *Vnum in habitu, alterum in verbo.* Prius ex Scriptura explicat, in repetita lege, quam nos, Deuterono-

mium 22. vocamus, vbi hæc habentur, secundum versionem ex Hebræo, & firmat illa Paraphrastæ Chaldæi, *Non erunt arma viri super mulierem*, seu, *Non sit apparatus armorum viri in muliere*. Mihi magis arridet nostra vulgata, *Non induetur mulier veste viri, nec vir vtetur veste fœminea.* Sanctus ille Præsul Mediolanensis, vniuersim istud exponit, ne quis de solis vestimentis agi putet, *Quàm deforme*, inquit, *virum facere opera muliebria. Ergo & pariant, ergo parturiant qui crispant comam, sicut fœminæ; & tamen illæ velantur, isti belligerantur.* A mulieribus vt viri nonnulli cincinis & calamistris vti didicerunt, sic & emendicatis capillis. De qua re nobis alio loco, si Deus dederit, dicendum erit. De vestitu, qui mulieres magis quàm viros deceat, istud satis liberè scripsit Clemens Alexandrinus 3. Pedag. c. 2. Cultus facit mulieres meretrices, viros Androgynos, apud Platonem A natura & ab vsu lex est, nudum in foro ambulare non oportere, aut muliebri veste vti, etsi nulla lege scripta vetitum sit. Suauissimi & Sanctissimi Bernardi consid. 3. c. 5. illa vox est, *Forma vestium, deformitatis mentium & morum indicium est.* Sed hæc alterius loci sunt. De mendacio in verbo & sermone pauca dicamus. Iurisconsultis cod. 1. tit. 22. l. 2. triplex est mendacium, in Iuris narratione, in facti, in tacendi fraude. De facti mendacio, hoc vnum proferam ex B. Ambrosio, vt suprà: *Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est. Mendacium namque est Christianum se dicere & opera Christi non facere. Mendacium est Episcopum, Sacerdotem, vel Clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari.* Alij mendacem triplicem faciunt. Primum, qui sine vtilitate vllius, sed sola leuitate aliqua mentitur, vt Thrasones illi, qui suas res præclarè gestas (si Diuis placet) mirificè extollunt: vt ille apud Plautum, Mi-

lit. glor. qui ſexaginta millia hominum volaticorum ſe vno die ſuis manibus occidiſſe gloriabatur. Et alter ille, qui ſuo ſpiritu legiones difflabat. Vanum hunc vocat Seruius, in 2. Æneid. Secundum, qui ſolo fallendi animo, ſine cuiuſquam damno mentitur, ait Seruius Idem. Mendax alius qui totus ad nocendum comparatus eſt; cui generi præſertim adſcribendi ſunt, qui *ambiguè loquentes*, vt habet S. Auguſtinus, ep.135. ſiue, oratione intorta, qualem deſcribit à ſimili Plautus, de Inuoluolo, quæ in pampini folio intorta, implicat ſe, ita homines eiuſmodi, ſic ſuos ſermones concinnant, vt alium atque alium ſenſum complectantur, quos ex Feſto, *Alterplices*, id eſt, duplices meritò dixeris. Ille idem Sanctiſſimus Epiſcopus, ep.224. *Illud ſanè rectiſſimè dici non ambigo, non ſecundum verbum iurantis, ſed ſecundum expectationem illius, cui iuratur, quam nouit ille qui iurat, fidem iurationis impleri. Vnde periuri ſunt qui ſeruatis verbis, expectationem eorum, quibus iuratum eſt, deceperunt, & periuri non ſunt, qui etiam verbis non ſeruatis, illud quod ab eis cùm iurarent expectatum eſt, impleuerunt.* Seneca rectiſſimè, epiſtola 83. Ambiguitate verbi quærere locum fraudi iſtud faciendum non eſt vbi veritas quæritur. Lactantio Epitom. *Mendacium ſemper aut fallit, aut nocet.* Neque verò fallendi verbo, ſemper damnum aliquod comprehendi aliquis exiſtimet. Addit enim hæc Lactantius, *Non eſt ergo vir iuſtus, qui etiam ſine noxa, vitioſo ſermone mentitur. Nam non vſurpabit illud Lucilianum; homini amico ac familiari, non eſt mentiri meum; Sed etiam inimico, atque ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando committet vt lingua, interpres animi, à ſenſu & cogitatione diſcordet.* Illud perſæpe videmus, nonnullos propoſito etiam vel minimo lucro, vltrò mentiri. Vnde Euſebius Cæſarienſis 4. de

vita Constant. dicebat, Neminem velle se frustrà mendacem esse. Eam ob rem Seneca epist. 69. *Nullum sine auctoramento malum esse* aiebat. Sallustius orat. 2. ad C. Cæsar. eodem sensu: *Malitia præmiis exercetur; vbi ea dempseris, nemo omnium gratuito malus est.* Quamquam dissimulare non possum etiam reperiri mendaces, iam non sponte sua, etiam citra vllius, nisi suiipsius, detrimentum, à quibus vi extortum fuerit mendacium, quod in seruis nimisquam verum est, si vni Saluiano 4. credimus: *Mendaces serui esse dicuntur. Ad mendacium atrocitate præsentis supplicij coarctantur. Siquidem dum tormentis se volunt eximere, mentiuntur. Quid autem mirum est, si positus in metu seruus, mentiri mauult quàm flagellari?* Apud B. Ambrosium ep. 72. *Nimia seueritas extorquet plerumque terrore mendacium.* Non est igitur mirandum, si tam crebra existant mendacia, quæ proculdubio Iurandi facilitatem inducunt, cùm seu cupiditas, seu mali imminentis metus, homines vltro ad quiduis audendum & perpetrandum impellant. At vbi aliquoties tam facile iurare cœperint, iam nullus pudor, & inde rebus suis aliquam, eamque non leuem accessionem fieri animaduertunt, vt loquitur Petronius, Satyric. *Nemo eorum cœlum putat, nemo Iusiurandum seruat, nemo Iouem pluris facit; sed omnes opertis oculis bona sua computant.* Nunc superest vt alteram propositionis nostræ partem examinemus, videlicet ex praua Iurandi consuetudine perjurium facillimè consequi. Theophr. in Characteribus, c. 19. Perditi ac desperati hominis primariam hanc notam esse dicit, facile & leues ob causas Iurare. Atque inde ad perjurium facilem lapsum esse indicat Philo de leg. special. cùm ait, consuetudinem Iurandi crebro, argumentum esse perfidiæ, non fidei. At quæ maior perfidia

excogitari potest, quàm perjurio & Iuratione falsa conscientiam contaminare? Sed vt habet S. Augustinus in Ep. ad Galat. *Multi in ore habent Iurationem, tanquam magnum aut suaue aliquid.* Non aliter Saluianus 4. apud quem hæc legas: *Apud nonnullos Christi nomen non videatur iam sacramentum esse, sed sermo.* Et quod ad nostram disputationem facit: *Quis est omnino hominum secularium, præter paucos, qui non ad hoc Christi nomen in ore habeat vt peieret?* Quàm religiosè S. Augustinus de verb. Apost. Serm. 28. suos ab ista Iurandi facilitate dehortatur, & pro suo acumine, illud Iacobi Apostoli, *Ante omnia nolite Iurare*, sic exponit: *Isto verbo quod ait,* ANTE OMNIA, *cautos nos fecit aduersus linguam nostram.* ANTE OMNIA, *ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis, ne surrepat vobis consuetudo Iurandi.* Ille idem alio loco: *Ita ergo præcepisse Dominum intelligitur ne Iuretur, ne quisquam, sicut bonum, appetat Iusiurandum, & assiduitate Iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur.* Gothorum gentem perfidam, & Francos illos veteres nondum Christianos mendaces non alia ratione dixit Saluianus 4. quin Episcopus ille sanctissimus B. Augustinus, in publico fidelium conuentu, dum Sacra Liturgia celebraretur, inhonestam illam Iurandi consuetudinem suiipsius exemplo damnat: *Iurauimus & nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem, & mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo seruire cœpimus, & quantum malum sit in periurio vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frænauimus, frænata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit.* Nec vero ex hac sola Iurandi facilitate periurium nasci credendum est, quinetiam si magna lucri spes affulserit, nullo negotio peierare

solent

ſolent ij, qui magnâ habendi cupiditate ducuntur. Tacito II. Annal. *Fides integra non manet, vbi magnitudo quæstuum ſpectatur.* Ita eſt profectò, cùm nonnulli, quaſi ex inſtituto vitæ, periurio rem ſibi quærant. Apud Plautum Pſeud. Lanij, Lenones memorantur. Caupones, Propolas, Salgamentarios numerat Saluianus, 4. ad Eccl. Cath. Cuius hic locus elegans mihi viſus: *Si tibi quicunque ex Cauponibus qui promitteret, fidem promittenti non abnegares. Si mutuum quidpiam Propola aut Salgamentarius poſtularet, redditurum eum non diffideres, quæ dediſſes. Mendacibus deniq; interdum atque periuris, cautione facta, & dato fideiuſſore, res creditur. Chriſtus tibi & fideliſſimam cautionem, & fideiuſſores optimos dedit, Apoſtolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres ſuos, totam denique Diuinarum literarum ſeriem, & non credis ei, nec fidem commodas?* Clemens Alexandrinus 3. Pædag. eodem ſenſu, ita Chriſtianos admonet: Qui aliquid vendit, aut emit, eorum quę à ſe venundantur, aut emuntur, nunquam duo dicat pretia. Abſit omnino reprehendendum Iuſiurandum ab eo quod venditur, ita ſeſe gerant negotiatores forenſes & Caupones. Et generatim Saluianus idem iſtud pronuntiauit: *Quid aliud cunctorum negotiantium vita, quàm fraus & periurium?* Neque verò vel à conſuetudine, vel à lucri non mediocris expectatione, periurium originem tantummodo ducere exiſtimandum eſt, ſed penitus deprauatis hominum moribus iſtud tribuendum. Huius rei extat apud Platonem, Dialog. 12. de Legib. præclara diſſertatio, cuius hæc ſumma eſt. Rhadamantum ſuo, id eſt, aureo ſæculo, ſimpliciter ac citò iudicia peregiſſe, quandoquidem Iureiurando in ſingulis cauſis à litigantibus requiſito, confeſtim ſimul ac tutò iudicare ſoleret. Nunc verò cùm mortalium alij Deos eſſe

negent, alij res humanas curare non putent, plurimi verò & pessimi, vilissimis hostiis & ineptis blanditiis, eos ita sibi conciliari existiment, vt impunè liceat, peierando, grandem pecuniam extorquere. Itaque Rhadamanti modus iudicandi abrogatus est, mutata hominum de Diis opinione, ac proinde legibus commutatis. Propterea Legislator sapiens in iudiciis Iusiurandum litigantium prohibebit, adeo vt accusatoris intentio, ac defensoris deprecatio, sine Iureiurando in iudiciis describatur. Alioquin si passim omnibus Iurisiurandi licentia tribueretur, quamplurimi deprehenderentur periuri, quum facile vel quibusuis muneribus illecti, vel affinitate & sanguinis cognatione periurium admitterent. Ita censet B. August. 3. Ciuit. c. 2. *Nam corruptissimis moribus ad hoc mos Iurandi seruabatur antiquus, non vt à sceleribus, metu Religionis, prohiberentur, sed vt periuria quoque sceleribus cæteris adderentur.* Videtur autem non Cascos illos, ac fide & probitate insignes Romanos intelligere, Sanctissimus Antistes, sed planè corruptam, & inquinatissimis moribus fœdatam atque adeo in extremum discrimen, exitiumque adductam Rempublicam Romanam, qualem suo æuo descripsit Sallustius, Iugurth. & Catilin. Et quis non tunc temporis, apud id genus Romanos, periurium, risum, iocumque fuisse dixerit? Imò cum Pacuuio, periurium nihil aliud fuisse quàm mantile, quo quotidianæ noxæ & maculæ extergerentur. Sic locum hunc Pacuuij, apud Festum, aliis depositum, ingeniosissimè illustris Iosephus Scaliger restituit & emendauit, quem propter venustatem & leporem antiquum subiiciam:

Machinam ordiris nouam manticulatam astu,
Sanctiora adigis Iuranda, quibus quotidie
Paruæ noxæ extergantur.

Manticulæ, vt hoc dicam obiter, antiquitùs dicebantur mantilia, quibus manus exterguntur, hæc vir maximus. Non abludit à sententia Pacuuij Laberius Mimographus, cùm dixit:

Quid est Iusiurandum? emplastrum aëris alieni.

At dicet quispiam, rei tam nefandæ, tam detestandæ, periurio scilicet, nullane apud veteres pœna constituta est? Magna certè ista quæstio. Oratori Principi hoc visum suis in legibus: *Periurij pœna Diuina, exitium: humana, dedecus.* Idem sensisse videtur Alexander Seuerus, Cod. 4. tit. 1. l. 2. alioquin optimus Imperator: *Iurisiurandi contempta Religio satis Deum vltorem habet. Periculum autem corporis vel Maiestatis crimen, secundum constituta Diuorum parentum meorum, etsi per Principis venerationem, quodam calore, fuit peieratum, inferri non placet.* Legem istam nostri non probabunt, sat scio, cùm qui consultò, per Principis Maiestatem peierasset, Maiestatis crimine aliquo pacto teneretur, ac proinde supplicio dignus: At qui per Deum, nulli pœnæ obnoxius erat. Hoc prisci illi Ecclesiæ Scriptores, Tertullianus & Minutius Fœlix, adeò grauiter tulerunt, vt, magna cum Romani nominis contumelia, istud stomachosè Gentilibus exprobauerint, cuius rei meminimus & antea. Nihilominus periuros olim apud Romanos pœnâ non caruisse verosimilius est, quod ex eo colligere est, quoniam, ex Dionys. Halicarn. Pontifices de omnibus causis ad sacra pertinentibus, tam inter priuatos homines, quàm inter Magistratus iudicasse constet. Periurium verò ad Diuini Numinis cultum religionémque læsam pertinere nemo sanus negabit. Atqui istud firmari potest loco Plauti, Rudente:

Gripe, quid tu istum talentum poscis? Gr. *Iuratum est mihi*

Dare, La. *Libet Iurare: tune meo Pontifex, periurio es?* *Pontifex* pro *Iudice*, de quo nos in auctiore Commentario de Sacra Episcoporum auctoritate. Sunt qui Censores in periuros animaduertisse existimant, ex iis Oratoris Principis verbis, *Censores nulla de re diligentius quàm de Iureiurando iudicabant.* Istud etiam comprobatur exemplo decem captiuorum Romanorum, ab Annibale, accepto ab iis prius Iureiurando, Romam remissorum, qui permutatione à suis non impetrata, cùm ad Annibalem non rediissent, à Censoribus, postea, omnium notarum & damnis & ignominiis affecti sunt. Porro quod ad legem illam Alexandri Seueri spectat, eius & elegantem & accuratam grauiorum Iurisconsultorum adductis sententiis interpretationem, legere est apud doctissimum & diligentissimum Menochium Cas.319. Posterioribus seculis qui periurium admisissent, non impunè abibant. Apud nostros Gallo-Francos, Capitularium lib.3.c.3. De periuriis, *Vt caueantur, & non admittantur testes ad iuramentum, antequam discutiantur. Et si quis conuictus fuerit periurij, perdat manum, aut redimat.* Ita lib.5. Capitul.c.125. *De eo qui periurium fecerit vt nullam redemptionem soluat, sed manum perdat. Quod si accusator contendere voluerit de ipso periurio, stet ad Crucem.* Vnus aut alter scrupulus, qui ex hoc capite nasci posset, dissoluendus est. Prior est, quo negat legis istâ particulâ, periurium, seu pecunia, seu alia ratione, absque vllo corporis detrimento, redimi posse, & tamen superiori allato capite, licebat pœnam istam corporalem redimere, & merito sublata est postea redemptio, cùm huius beneficio, multò facilius & liberius ad peierandum homines istius temporis prorumperent. *Ad Crucem* vero *stare*, nihil aliud indicare arbitror, quàm quod lib. 1. Capitularium

ſcriptum eſt, *Sancitum eſt vt nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere pręſumat.* Et nos antea diximus, apud huius ſeculi homines morem hunc receptum fuiſſe, vt in Cruce, ſiue conſecrata, ſiue non conſecrata, iurarét. Quod priſcis Canonibus pœnitentialibus maximè prohibitum eſt, idemque hoc loco Capitularium ſignificatur. Tandem aliquando hanc de Iuriſiurandi religione diſſertationem abſoluamus, & quanto ſcelere atque impietate ſeſe obſtringant periuri, non meis, ſed Sanctorum Epiſcoporum verbis intelligant. S. Auguſtinus de verb. Apoſt. ſerm. 28. vt ſuos auocaret à iurandi conſuetudine quotidiana, crebra, ſine cauſa, nullo extorquente, nullo de illorum verbis dubitante, ita in alteram partem propendet, vt nullo pacto iurandum eſſe putet, niſi magna neceſſitate compellantur, & cautiores, imo religioſiores eſſe vult ipſis Gentilibus, qui timent per lapides (hoc eſt Idola Deorum ſuorum) falſum iurare, *Tu non times Deum præſentem, Deum viuentem, Deum ſcientem, Deum manentem, Deum in contemptorem vindicantem? Claudit ille templum ſuper lapidem* (id eſt Idolum) *& it ad domum ſuam. Ipſe ſuper Deum ſuum clauſit; & tamen quando illi dicitur, iura per Iouem, quaſi præſentis oculos timet.* Eodem pacto Saluianus Epiſcoporum Magiſter, *Quàm minori peccato Pagani per Dæmonia peierant, quàm nos per Chriſtum? Quantò minoris res criminis eſt, Iouis nomen quàm Chriſti? Ibi homo eſt mortuus, per quem iuratur; hîc Deus viuus, qui peieratur: Ibi nec homo vllus, nec Deus ſummus; hîc cum maximi ſacramenti ſit deieratio, neceſſe eſt maximi ſit reatus peieratio. Ibi cùm prope nullum ſit iuramentum, nullum conſtat eſſe periurium. Nam cùm Deus non ſit per quem iuratur, non eſt periurium cùm peieratur.* Annon iſta pudorem incutiunt Chriſtiano ad periurium ſeſe comparanti, quæ à

Themiſtio, orat. 1. equidem præſtantiſſimo Philoſopho, & ab ipſis Imperatoribus, publicis ſuarum legum monumentis, laudato, ſed tamen gentili, differuntur. Scribit vero nullam eſſe magis ab hominum ſocietate abhorrentem malitiam, quàm perfidiæ & infidelitatis. Quippe quæ vnicum vitium ſit, aduerſus quod nullam cautionem ac præuiſionem comparare poſſimus. Quod enim ſolum præſidium habemus, videlicet Iuſiurandum, ac Deorum inuocationem, hoc ipſo maximè abutitur, vt facilius lateat. Vno nomine, periurium eſt certiſſima ſocietatis humanę peſtis ac pernicies: Cùm enim homines, ſine pactis, conuentis, mutua quadam ſocietate, conſiſtere nequeant, horum ſublata fide, immani deteſtandi periurij ſcelere, quæ hominum inter ſe ſocietas cœtuſque haberi poteſt? Rectè igitur Harmenopulus, Iuſiurandum eſſe dixit ſolutionem obligationis naturalis & tranſactionem. Addo hominum inter ſe ſocietatem non modo periurij nefando flagitio non tam labefactari, quin penitùs conuelli, verumetiam religionem omnemque in Deum pietatem ex hominum animis euaneſcere, ſiquidem cultus omnis & religio Diuini Numinis nonniſi metu & reuerentia conſtare poteſt. At qui periurium riſum iocumque faciunt, Deum præpotentem ſe minimè formidare fatentur. Quis igitur in illis pietatis & religionis ſenſus ſupereſſe poteſt? Finio hac aurea Sanctiſſimi Epiſcopi & ſummi in Eccleſia Chriſti Doctoris Auguſtini ſup. ſententia, *Falſa iuratio exitioſa eſt, vera iuratio periculoſa eſt, nulla iuratio ſecura eſt.*



MYSTERIA.

§. 1.

NATVRÆ arcana non omnibus nota. Deum Ignotum esse, quid ſit apud Scriptores prophanos; Explicatio ex Apoſtolo & Theodoreto, ſancto Cypriano, Minutio.

§. 2.

Gentilium myſteria. Quid myſterium, variè. Myſterij notatio ex Iamblico.

§. 3.

Myſteriorum ſilentium, cuiuſmodi & eius vſus antiquiſſimus apud Gentiles. Diagoras, Alcibiades, Impij habiti, propter vulgata myſteria.

§. 4.

Myſteriorum occultatio repetita, ex opertaneis, ſymbolis, vocabulis, locutionibus ſubobſcuris; Clementis locus ad id expenſus. Qui apud Gentiles inter Deos relati, nomen ſortiebantur aliud ab eo quod antea inter mortales obtinebant. Aliud idioma cœleſtium, aliud mortalium. Moſis triplex nomen, In Circuncisione, ex euentu, in cœlo. De nomine Ieſu, in cælo, apud Angelos, in terris, Lactantij ſententia.

§. 5.

Myſteriorum libri arcanis literis ſcripti. Ægyptiorum literæ, ſeu triplex, ſeu duplex ſcribendi genus. Pythagoras Circunciſus, B. Ambroſio Iudæus.

§. 6.

Mysteriorum occultatio apud Gentiles, aut ratione personarum, aut rerum. Profani à Sacris expulsi. Orphæi versus, qui apud S. Iustin. Mart. & Theodoret. non sunt Orphæi, sed Onomacriti. Dissidium Senecæ patris cum Lactantio, de admittendis in Templis Gentilium piratis, gladiatoribus, meretricibus, &c. De Impuris à Sacris arcendis. Illustratio ex Cod. Theod. Gentili prægnanti prohibitus Templi ingressus. Obliqua imitatio Iudæorum.

§. 7.

Mysteriorum occultatio ex rebus, ex locis. Adyta quid sint, quàm varia. Ioseph Patriarcha Serapis Ægyptiorum: Præfectus Prætorio dictus.

§. 8.

Mysteriorum apud Gentiles occultatorũ tres causæ: Prima, maioris venerationis gratia. Secunda, quia in ijs multa obscœna. Tertia, quia plurima in ijs magica. Explicatio versiculi Dauidici de Etruria, & loci Ciceroniani de Disciplinæ Etruscæ origine. Descriptio Sacrorum horum Magicorum. P. Nigidius figulus Magus. Sacra mysteria magica apud Eunapium.

§. 9.

Philosophis sua non defuerunt arcana, etiam vocabula à vulgi vsu longè alia.

§. 10.

Iudæorum Mysteria. Qui panes subcineritij à Propheta imperati, & quid significent. Quis ille Propheta, apud Clementem Alexandrinum. Occultatio mysteriorum duplici velo expressa. Gentilis qui legem Iudaicam amplecti vellet, quæ Catechesis & institutio. Septem præcepta à Deo data ante legem Mosaicam.

§. 11.

Christianæ Religionis mysteria, ex collatione legis Mosaicæ.

Mysterium respectu personarum, duplicem sortitur notionem, explicatio loci Math. 7. Nolite dare sanctum canibus. Clementis locus ex Euangelio ignoto, fortean Nazoreorum. Gentilibus ante Constantinum M. negatus accessus ad Ecclesias Christianas. Mysterij notio altera: Non omnes fideles mysteriorum capaces, ex Scriptura. Versio vulgata expensa Hebr. 5. Rom. 11. Ephes. 3. Psal. 118.

§. 12.

Ex SS. Patribus Mysteria non omnibus aperienda. Dogmata ad mysteria pertinere, quorum alia scripta, alia minimè scripto tradita. S. Scriptura obsignata Dauidis sigillo, & quæ ipsius inscriptio. Catechumeni, Nouitioli Tertulliano. Prophanus multiplici significato vt & Idiota.

§. 13.

Mysteriorum Christian. occultandorum quæ ratio. Quæ veneratio & reuerentia in Sacris. Ecclesia mysteriorum locus, in quo secreta cœlestia. Explanatio loci apud S. Augustinum, Epist. 43. ex Seneca & Quintiliano.

Mysteria.

§. I.

SI verè de Natura istud à Seneca pronuntiatum est, lib. 7. Quæst. Natural. cap. 31. *Naturæ arcana non promiscuè, nec omnibus patent, remota, & in interiore sacrario clausa sunt.* Quanto rectius de Deo & Dei Religione istud vsurpandum erit. Senecæ eidem ita visum: *Deus*, inquit, *qui admiranda tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit deditque circa se, maiorque est pars operis sui ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est. In Sanctiore secessu Maiestas tanta delitescit, & regnum suum, id est, se regit, nec vlli aditum dat nisi animo.* Tandem prope Diuinè istud concludit: *Quid sit hoc, sine quo nil est, scire non possumus.* Neque vero credendum est hæc Senecæ cum Apostoli sententia minus conuenire, cùm ait, Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (hominibus, & præsertim sapientibus sæculi:) *Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi* (hoc est, ex creatione mundi) *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* Acutissimè locum hunc sic explicat Theodoretus. Ex rebus creatis, & totius vniuersi statis conuersionibus atque ordine, Diuinum Numen, hoc est, in iis condendis Diuinam potentiam, & iisdem etiam tam aptè regendis, Diuinam prouidentiam, quæ Inuisibilia, ἀόρατα, dicuntur Apostolo, sapientes gentium cognoue-

runt, non autem inuisibile Dei, hoc est, perfectam & absolutam Diuinæ naturæ, quantum à nobis haberi potest, cognitionem assecuti sunt. Illud est quod Seneca dixit, in Diuiniore recessu Maiestatem Diuinam latitare. Arnobij religiosum istud dictum de Deo, cùm ipsum ita compellat iis verbis: *Qui vt intelligaris tacendum est; atque vt per vmbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutiendum.* Ita Minutius Fœlix, in Octauio: *Deum sic dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Hæc descripta sunt ex B. Cypriano, libro, *Quòd Idola Dij non sint.* Sic enim habet: *Deus nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu maior est; & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Sed vt ad Apostoli sententiam reuertamur: Si Deus præpotens ex rebus creatis in ipsius cognitionem ita homines peruenire voluit, vt nihilominus immensæ illius & infinitæ sempiternæque naturæ Diuinæ arcanum aliquod sibi reseruarit, quód non omnibus passim manifestaret: Idem in ipsius cultu, quem nos Religionem appellamus, cogitandum est, vt quædam sint omnibus perspicua & peruia alia aliis, pro rerum Diuinarum Majestate & magnitudine, atq; audientium vel imperitia & imbecillitate, vel culpa reseruata. Vnde Christus, Luc. 10. *Confiteor tibi, Domine Pater Cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Ac paulo post: *Nemo scit quis sit Filius nisi Pater, & quis sit Pater nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ac quamquam hæc ad veram & legitimam Dei cognitionem referenda sint, nihilominus omnis Religio, quæ Dei seu veri seu falsi cognitione nititur, sua etiam habet arcana, quæ vel indignis, vel minus idoneis, & plus æquo rudioribus minimè committenda existimauit.

§. 2.

A Gentilibus initium ducemus, tum Iudæorum morem disquiremus, postremò Christianæ Religionis, vt omnium perfectissimæ, perpetuam regulam explicabimus. Sacrorum apud Gentiles mysteria quædam extitisse, quæ non omnibus manifesta fierent, nil tam clarè & perspicuè istud probat, quàm eorum qui illa nossent perpetuum silentium. Mysterij vox suopte significato istud indicat. Theodoreto, in c. 11. Epist. ad Romanos, *Mysterium* est quod non est notum omnibus, sed iis solis qui contemplantur. Et in c. 15. Epist. 1. ad Corinth. *Mysterium* dicitur, quod non omnibus declaratur, sed solis amicis creditur, id est, iis qui sunt eiusdem symboli. Theodoretus istud exscripsisse videtur, ex B. Chrysostomo homil. 7. in priorem ad Corinthios. Verùm istud insuper addit os aureum, *Mysterium* appellari, quoniam quæ videamus aliter se habeant, quàm quæ appareant: nam alia videmus, alia credimus; aliter enim fidelis, aliter infidelis de iisdem afficitur. Appositè Tertulliani locus, lib. 2. ad vxorem, rem istam velut oculis subiicit: *Non sciet maritus infidelis, quid secretò ante omnem cibum gustes: Et si sciuerit panem non illum credit esse qui dicitur.* Vel vt alij legunt, *Num illum credet esse qui dicitur?* SS. Eucharistiam intelligit. Ille idem Theodoretus, lib. 1. de curatione Græcar. affection. apud Gentiles, scribit, Altiorem Sacrorum doctrinam, secretamque mysteriorum rationem cunctos nequaquam tenere, sed numerosam populi multitudinem videre ea duntaxat quæ præ oculis fiunt: At verò Sacerdotes Cæremonias atque Orgia ritu legitimo exequi, ac proinde nosse. Quod dixit antea Theodoretus, Mysterium ad solos contemplatores spectare Suidas exponit, cùm Μύησιν,

Sacrorum disciplinam illam dictam velit, παρὰ τὰ μυστεῖα, à mysteriis & arcanis rebus quæ fiebant cùm quis initiabatur: Vel Mysteria dicta sunt, quod homines clausis sensibus humanis, & vltra corpoream imaginationem euecti, Diuinas illuminationes recipiant. Eadem legere est apud Æliam Cretensem, in Orat. 3. S. Gregorij Nazianzeni. Mitto cæteras vocis Mysterij notationes, apud Clementem Alexandrinum, in Protreptico. Sed vna valde arridet ἀπὸ τοῦ μύω, quod est conniueo, & claudo oculos, ac si aliud cogitandum sit quàm quod oculis cernitur, vt suprà ex Suida indicauimus. Lepida Μυστηρίου, Mysterij etymologia, ex Iamblico, apud Photium, numero 94. ἀπὸ τῶν μυῶν, quod Magicarum artium prima sit murium Magia.

§. 3.

Mysteriorum fidele silentium nunc videamus. M. Varro, quem in Theologia sui temporis præcelluisse tradit Seruius, apud B. Augustinum, lib. 4. de Ciuit. c. 31. asserit, *Multa esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit vtile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat, & ideo Græcos Teletas ac mysteria, taciturnitate parietibusque clausisse.* Plutarchus, lib. de liberis educandis, scribit veteres descripsisse arcanas Cæremonias sub quadam taciturnitatis religione, vt his reticendis homines assueti, ad humanorum arcanorum fidem Deorum metum transferrent. Hinc illud Tertulliani, Apologet. c. 7. *Ex forma, omnibus mysteriis silentij fides adhibetur.* Philostratus, in vita Apollonij lib. 1. c. 11. Mysteriis silentium adtribuit. Et à Iulio Firmico, lib. de erroribus profanarum religion. omnia Ægyptiorum Sacra, *Mysteria* idcirco vocat, & satis copiosè illa quæcunque existerent, Symbolica fuisse con-

tendit, quorum interpretatio non cuiuis explicata, quemadmodum Clemens Alexandrinus variis locis, & veterum Patrum non pauci tradiderunt, & nos postea videbimus. Arnob. lib. 5. *Antiquitatis historiæ mysteria illa continent sancta, quibus initiis nomen est, & quæ non omnibus vulgò, sed paucorum taciturnitatibus traduntur.* Apuleius, quàm audacter, quàm fortiter, pro sua superstitione etiam nefanda, ista pronuntiauit, Apologia: *Nullo vnquam periculo compellar quæ reticenda accepi, hæc ad prophanos annuntiare.* Elegans Tertulliani, Apologetici c. 7. defensio pro Christianis, quos in suis mysteriis carne humana vesci, dictitabant Gentiles: *Dicimur,* inquit, *sceleratissimi de sacramento infanticidij & pabulo crudæ.* Negat id Tertullianus, & duplici ratione refellit: Aut enim istud patefactum est à Christianis, quod falsum est, quia non sunt proditores suiipsius, & mentiri apud eos nefas est: Aut ab extraneis. Atqui *etiam impiæ initiationes arcent profanos, & arbitris cauent, nisi si impij minus metuunt.* Hoc ipsum pluribus demonstrat Theodoretus lib. 1. de curat. Græcar. affect. ex Orpheo, Platone, & aliis. Synesius, lib. de Insomniis, ait se Reipublicæ legibus prohiberi ne Mysteria euulget. Cereris Sacra Eleusinia intelligit, quæ vulgare capitale fuit, lege Atheniensium. Inde Diagoræ Philosopho impietatis crimen obiectum, quod Athenagoras legatione pro Christianis explicat, & quidem variis capitibus. Diagoras impius habitus est apud Athenienses, quod Orphicam orationem euulgarit, quod Eleusinia & Cabiræa Sacra publicauerit, quod ligneam Herculis statuam confregerit vt sibi rapas coqueret, atque vno nomine simpliciter asseueraret omnino non esse Deum. Orphicam illam orationem explicare minimè alienum videri debet: Istud

enim obseruatione dignum, Orpheum, apud Græcos, multitudinis Deorum auctorem primum, initio quidem, libro, διαθηκῶν, Testamentorum, trecentos sexaginta Deos induxisse, postea pœnitentia ductum vnicum & solum Deum agnouisse, cuius rei fidem faciunt versus ipsius Orphei, ad Musæum filium, quos refert S. Iustinus Martyr, in exhortatione ad Gentes, & lib. de Monarchia Dei. Meminit & Theophilus lib. 3. ad Autolycum. De Diagora quid sentiret suique similibus, qui acrius cæteris errorem istum Deorum Gentilium perspexerint, apertè docet Clemens Alexandr. in Protreptico, illos quos sui sæculi homines, ἀθέους, impios cognominarunt, moderatè ac continenter vixisse, & istam Idolomaniam deprehendisse, non exiguum extitisse semen ad excitandam scintillam intelligentiæ veritatis. Aristophanis Scholiastes, in Ranis, nouos Deos Diagoram introduxisse scribit. Nec minus ob eam rem impius habitus est Alcibiades, apud Athenienses, de quo, vt reliquos scriptores omittam, vnus Maximus Tyrius, Sermone 23. ista commemorat. Alcibiadem ebrium facem gestasse, hoc est, deridiculo habuisse agonem illum lampadum celebrari solitum Panatheneis, Vulcanalibus, Prometheis Sacris feriis: Deinde in epulis Sacerdotem, seu Sacrorum Interpretem, qui ἱεροφάντης dicitur, egisse; per ludum iocumque res sacras expressisse. ἐν παιδιᾷ τελέτης, habet Maximus.

§. 4.

Sacrorum etiam apud Gentiles occultationis non leue erat argumentum, quod illa non fiebant, adhibitâ præsertim pompâ solemni, sine Cista, Vanno, & re simili. Quod sæpius occurrit apud Scriptores, quâ Græcos, quâ Latinos, & paucis Harpocration; In omnibus Sacrorum

ſuorum Cœremoniis opertaneum adhibitum fuiſſe affirmat. Vt apud Macrobium lib. Sat. 1. c. 6. Verrius Flaccus narrat Circenſium die puerum de cœnaculo pompam ſupernè deſpexiſſe & patri retuliſſe quo ordine ſecreta Sacrorum in arca pilenti ſeu vehiculi penſilis compoſita vidiſſet: Re intellecta, Senatui placuiſſe velari loca ea quà pompa veheretur. Eſt & aliud argumentum Myſteriorum celatorum, quod ſymbolis & figuratis quibuſdam locutionibus illa ſignificarentur, in quibus vulgandis, excutiendis, perſtringendis toti ſunt præſertim Clemens Alexandr. Arnobius, Iulius Firmicus. Secretioris etiam ſuperſtitionis iſtius apud Paganos perſpicua erat demonſtratio, quod ſiue in ſymbolis, ſiue in reliquis Sacrorum ritibus, vocabulis & locutionibus ambiguis, obſcuris, perplexis & à communi vſu remotis, ſæpius vterentur, vt videre eſt apud eos auctores potiſſimum quos antea nominauimus. Clemens Alexandr. 5. Strom. vno verbo, non licere profanis verbis enarrare Myſteria ſcripſit. Meminit Athenæus lib. 11. c. 6. Hæret aqua in Clemente Alexandr. cum ſcribit in Protreptico, qui Teſmophoria celebrarent, eos μεγαρίζοντες dici, Heruetus vertit, Megarice, loquentes, quod propoſito noſtro congruit, alius, morem Megaricum vertit. Ita apud Romanos, in Sacrificiis, *Sub vos placo*, pro, Supplico. Item, *Ob vos ſacro*, pro, vos obſecro dicebant, auctor Feſtus. Etiam Deorum maiorum, nomina in ipſis Sacris vſurpabant alia, quàm quæ vulgus; Auctor mihi in primis Macrobius. lib. 1. c. 18. cuius hæc ſunt. *In Sacris hæc religioſi arcani obſeruatio tenetur, vt cum Sol in ſupero, id eſt, in diurno hemiſpherio eſt, Apollo vocitetur; cum in infero, id eſt, nocturno, Dionyſius, qui eſt liber Pater habeatur.* Sic & eorum qui ex homi-

hominibus in Deorum censum relati fuissent. Fidem facit vsitata precatio apud Romanos, qua qui olim, dum inter mortales versabatur, *Romulus*, nominatus, Deus, illorum existimatione ridicula, factus, *Quirinus*, appellatus est & ita inuocatus. Lactantius, lib. 1. c. 21. vniuersim ista scripsit. *Solent apud Gentiles, mortuis consecratis nomina immutari, credo, ne quis putet eos homines fuisse; Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est, & Leda, Nemesis, & Circe Marica, & Ino Leucothea, materque Matuta, & Melicertes filius eius Palæmon atque Portumnus.* Martianus Capella, lib. 2. de nuptiis Philologiæ. Sic loquitur Philologia, *Iuno pulchra licet aliud nomen tibi consortium cæleste tribuerit.* Apud Theagem, in fragmentis Pythagoricis. Δίκη, *Dice* apud Superos, *Dica* apud Inferos, *Themis*, apud mortales. Hesichio, *Ceres*, vulgari apud homines nomine, sed apud Initiatos, mysticum nomen eius est, Ἀχθεία. Sic apud Ouidium, 1. Fastorum,

Et, modo sacrifico, Clusius *ore vocor.*

Sextus Empiricus, lib. 8. aduersus Mathematicos, *Hercules* nomen est cœleste, *Alcæus*, nomen est terrestre. Sic apud eumdem, *Castor & Pollux* dum viuerent, sic appellati sunt, post mortem, *Dioscuri.* Credidere veteres mutationem nominum eiusmodi idcirco factam, quoniam aliud sit idioma cœlestium & aliud mortalium, atque alia lingua res exprimi in Cœlo atque in terra. Quæ Cælestia sunt, *verba intellectualis mundi*, nominauit Martianus Capella, libro 2. Plato, in Cratylo, docet ex Homero, Deos aliis vocabulis res appellare quàm mortales soleant. Nam *Scamandrum* Trojæ fluuium, mortales vocant, Dij vero *Xanthum*: Ita *Chalcidem*, auem quandam, à Diis vocari; ab hominibus vero *Cymindim*. S. Gregorius Nazianz. ora-

tione 3. ex eodem Homero, *Moly* herbam, Deorum dialecto indigetari. Dio Chrysostom. oratione, cuius lemma est, *Diogenes*, seu de seruis, addit apud Homerum, locum quendam, quem Troiani *Battiam* nominabant, à Diis sepulchrum *Myrrhines* appellari. Idem repetit, oratione 11. Apud Athenæum lib. 3. c. 8. Epicharmus, *Androphictidas* (conchiliorum species) ab hominibus vocari, à Diis vero λευκὰς .i. candidas. Et lib. 11. c. 12. In Cœlo, πελειάδες, dici, apud homines, Pleiades. Mirum est apud Christianos Scriptores etiam antiquos aliquid persimile legi. Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. Mosi triplex nomen impositum fuisse tradit. Primum in Circuncisione, *Ioachim*, Secundum ex casu, quod in aquis repertus fuisset, *Moses*; Tertium in Cœlo, *Melchi*. Ab ea sententia minime abludere videtur Lactantius, cum ita scribit, lib. 4. c. 7. *Quamuis nomen eius* (Christi) *quod ei à principio Pater summus imposuit, nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen & inter Angelos aliud vocabulum, & inter homines aliud. Iesus quippe inter homines nominatur, nam Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & Regni.* Auctor Commentarij in Psalmos, qui nomine B. Hieronymi circumfertur, in Psalmum 146. istud scripsit. *Abram* dicebatur in Chaldæa, & in Cœlo, vocatur *Abraham*. Qui antea erat *Saulus*, postea vocatur in Cœlo, *Paulus*. Ioannes & Iacobus filij tonitrui; Tonitruum vtique in Cœlo est.

§. 5.

Neque vero vocibus propriis & à vulgi vsu remotis Gentiles in suis tantummodo Sacris vtebantur, quin & libros habebant, quibus initiandi ritus & mysteriorum interpretationes continebantur, & ij descripti erant quibusdam characteribus vulgo ignotis, adeo vt si quis in

eos incidiſſet, ſi non eſſet initiatus, illos planè non intelligeret. Apuleius iſta declarat, dum narrat quo pacto initiatus ſit Sacris Iſidis, alioquin multiplicis nominis. *De opertis*, inquit, *adytis profert, hierophanta, quoſdam libro litteris ignorabilibus prænotatos, partim figuris eiuſcemodi animalium concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes, partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus, à curioſitate profanorum, lectione munita.* Ammianus Marcellinus, lib. 22. loquens de hieroglyphicis Ægyptiorum litteris, *Ignorabiles litteras*, dixit: & lib. 17. Obeliſcum Seſoſtridis Regis, *ſcriptilibus effigiatum elementis* pronunciat. Apud Martianum Capellam idem legere eſt. *Erant*, inquit, *quidam libri, ſacra nigredine colorati, quorum litteræ animantium credebantur effigies.* Iſta fuit Sacrorum Ægyptiorum occultandorum ratio, nec vnius modi. Nam hæc, vel litteras & ſcribendi genus ſpectabat, quod triplex erat, auctore Clemente Alexandr. lib. 5. Strom. Primum, ἐπιστολογραφικὸν, vulgare, & ſcribendis epiſtolis aptum, Secundum, ἱερογραμματεῖς, quo Sacerdotes in rebus ſacris deſcribendis vtebantur. Tertium, ἱερογλιφικὴ, ratio ſcribendi quæ inſculpi ſolet, & ea ſacra. Plutarchus libro de Iſide & Oſiride, duplex tantum ſcribendi genus iis adſignat, vnum commune ſeu populare, alterum ſacrum: Illud omnes diſcebant, hoc ſoli Sacerdotes. Meminit Diodorus Siculus lib. 2. Strabo lib. 9. Fortean eos innuere videtur Syneſius, in Dione, cum ſcribit Barbaros quoſdam à communi hominum cœtu ſecretos, verſari in contemplatione rerum maximarum & quidem ſupra naturam, ſed iſta tractari κατὰ ἱερὰ σύμβολα, ſecundum ſacra ſigna & ſymbola. Eodem pacto, Ammian. Marcellin. lib. 22. ſed apertè de Ægyptiis Sacerdotibus agens. *Initia prima Sa-*

crorum cautè tuentur, condita ſcriptis arcanis. Alterum fuit apud eoſdem Ægyptios myſteria occultandi inſtitutum, cùm ea nonniſi magna religione manifeſtarent, & quidem præmiſſis antea expiationibus nonnullis & inſtitutionibus, quemadmodum diſſerit Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. Hinc apud eundem Clementem, lib. 1. Strom. legimus, Pythagoram circuncisum fuiſſe (nam & Circuncisio apud Ægyptios in vſu fuit. Strabo lib. 17. S. Hieron. in c. 5. Epiſtolæ ad Galat. alij.) vt illorum adyta ingredi poſſet, ſimul & myſticam doctrinam ediſcere. Eam ob cauſam arbitror B. Ambroſium, Epiſtola 6. Pythagoram Iudæum dixiſſe. Miror quod de Origene prodit Suidas, illum ex quorundam Stoicorum Philoſophorum libris didiciſſe μεταληπτικὸν ἐγνώστροπον tranſſumptiuum modum myſteriorum & arcanorum Græcorum ſeu Gentilium.

§. 6.

Occultatio illa Myſteriorum apud Gentiles, vt generatim dicam, duplicis generis fuit, aut perſonarum reſpectu, aut rerum. Primum quidem quoad perſonas attinet, non omnibus ad quælibet Sacra & Sacrificia patebat aditus. Mitto quædam ſolis viris, alia mulieribus ſolis conceſſa. Apud Feſtum, in nonnullis Sacris Romanis, Lictor clamabat: *Hoſtis, vinctus, mulier, virgo, exeſto.* Hoc eſt, intereſſe prohibebatur. Seruius in 4. Æneid. Iunonis Lucinæ ea Sacra fuiſſe teſtatur, *quæ non licet accedere niſi ſolutis nodis; & in Sacris nil ſolet eſſe præligatum.* Ad rauim vſque toties decantata formula,

Procul, ô, procul eſte profani.

rem iſtam planè conficit, quam non inuenuſtè imitatus eſt Gratius, Cynegetico, apud quem Sacerdos in Sacro Vulcani.

——Procul hinc extorribus ire.
Edico, præsente Deo, præsentibus aris,
Queis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,
Inclamat.

Antiquissima illa profanos à Sacris arcendi formula etiam ab Orpheo vsurpata, cuius versus recensentur à S. Iustino Martyre, in exhortat. & Theodoreto, lib. 1. de Curat. Græcar. affect. Quamquam Tatianus, aduersus Græcos, neget versus eiuscemodi, qui Orpheo tribuuntur, esse Orphei, sed Onomacriti Atheniensis, qui tempore Pisistradarum vixit. De Profani voce plura dicemus postea. Interim, hîc *Profanus*, est non modo qui non initiatus, sed & qui minimè innocens. Lampridius, in Alexandro Seuero. *Iussit, quemadmodum in Eleusiniis Sacris dicitur. Nemo ingrediatur nisi qui se innocentem nouit.* Liuius lib. 45. *Omnis præfatio Sacrorum eos quibus non sunt puræ manus, sacris arcet.* Apud Origenem, lib. 3. contra Celsum. In Sacris à præcone sic initiandos vocari ait. Quicumque est purus manibus & voce sapiens, vel quicunque est purus ab omni scelere, & cuicumque est anima nullius mali sibi conscia, & qui iustè vixit. Video apud Senecam Patrem, Controuersia 2. lib. 1. Piratas, gladiatores, lupas illas & publicarum libidinum victimas Templis exclusas. Aliter sentit Lactantius, lib. 5. c. 19. *Illuc*, in Templa, *veniunt, apud Gentiles, sine delectu, adulteræ, impudicæ, lenæ procaces, obscenæ meretrices; veniunt gladiatores, latrones, fures, venefici & precantur nihil aliud, quàm vt scelera impunè committant. Quid enim inquit latro sacrificans,* in Templo, supple, *aut gladiatur roget, nisi vt occidant?* Lex erat Athenis, qua impudicis Templorum ingressus prohibebatur, vt auctor est Demosthenes, Oratione

contra Timocratem. Refert Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. in aditu Templi, quod erat in Epidauro, inſcriptum fuiſſe, Solis caſtis Templi ingreſſum eſſe conceſſum. Duodecim Tabularum lege id cautum erat. Gentilium certè in ſua Idolomania puritatis ſtudium apparet, quam ſuis Templis adeo religioſè ineſſe voluerunt, ac ſi impuri & flagitiis contaminati ſuorum Deorum oculos offenderent præſentes. Certè Imperatores iniurioſum ſibi & probroſum denunciarunt. *Si qua, in publicis porticibus, vel in his ciuitatum locis, in quibus illorum ſolent imagines conſecrari, pictura pantomimum veſte humili, & rugoſis ſinibus agitatorem aut vilem offerat* (forte, referat) *hiſtrionem, & illico reuellendum ſtatuerunt.* Rationem addunt, *Neque vnquam poſthac liceat in loco honeſto inhoneſtas adnotare perſonas.* Cod. Theod. lib. 15. tit. 7. l. 12. Quidni hæc noſtris Chriſtianis pudorem incutiunt? Sed illud obſeruatione dignum apud Gentiles, Templi aditum interdictum mulieri prægnanti, vt teſtatur Cenſorinus, lib. de die natali, c. 11. Imitatio quædam eſt Iudæorum, apud quos mulier recens à partu, aliquot diebus manebat in ſanguine purificationis ſuæ, quo tempore ei Templum ingredi non licebat, Leuit. 12. Hæc exparta & effœta, illa prægnans Templo excluſa.

§. 7.

Altera celandorum Myſteriorum ratio ab ipſis rebus petenda eſt: & ad initiationes atque in Sacris explicandis inſtitutiones, vel denique inſpectiones referenda eſt, cùm in iis, ſeu initiati, ſeu initiandi ſoli admittebantur, & quidem occluſis foribus. Huius myſterij deſcriptionem habes apud Apuleium, Mileſiarum lib. 11. Meminit Theodoretus lib. 1. de curat. Græcar. affect. & in eo cœtu Hie-

rophantam, qui Tertulliano, *Antistes Cæremoniarum* vocatur, cæteros docere memorat. Germanicus, in Arati φαινόμενα, hæc habet: *Nigidius Deos Samothracas dixit, quorum argumentum nefas sit enumerare, propter eos qui mysteriis præsunt.* Occultas penitùs res Mysteriorum istud penitùs euincit, quod vel reconderentur, vel fierent in adytis. Seruio, in Virgilium, *Adytus* (alij Adytum enuntiant) *est locus Templi secretior, ad quem nulli est aditus, nisi Sacerdoti.* Clemens Alexandrinus Protrept. Adyta vocat, Ἄθεα, penitùs impia, quandoquidem in iis, opinione Gentilium, putatur esse Deus, qui nullus omnino est. Tertull. contra Valentinianos, *Tota in Adytis Diuinitas.* Magnam partem subterranea fuisse apparet ex Sacris nonnullis, vt Mithræ. De quibus Iulius Firmicus, lib de error. profan. religion. *Sacra Mithræ in speluncis abditis tradunt, vt semper obscuro tenebrarum squalore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant.* S. Iustinus Martyr, Dialogo cum Triph. ait, Mithræ mysteria & arcana Sacra atque initiationes fieri ἐν τῷ σπηλαίῳ, in Spelæo, vt vocant, siue specu. Meminit S. Hieronymus, Epist. ad Lætum. Tertullian. lib. de Corona milit. *Castra tenebrarum* appellat. Ac Clemens lib. 4. Strom. nocte ea fieri tradit. Ægyptiaca arcana Sacra potissimum iis locis subterraneis & fieri & recondi solita fidem facit Sozomenus, lib. 7. hist. Eccl. c. 15. dum describit Serapidis Templum, apud Alexandriam, in cuius adytis multa obscœna reperta sunt à Christianis, Arcadio Imperatore. Obiter Serapim illum non alium fuisse quàm Iosephum Patriarcham ab Ægyptiis pro Deo habitum narrat Iulius Firmicus, libro citato: *Septem,* inquit, *annorum collectis & seruatis frugibus alterius septenij egestatem Diuinæ manus prouidentiâ mitiga-*

uit. Genes. c. 41. *Huic post mortem Ægyptij, patrio gentis suæ instituto, Templa fecerunt. Et vt iustam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus & ementibus frumenta diuiserat, capiti, is superpositus est.* Cassiodorus, lib. 6. Variarum, in formula Præfecturæ Prætorianæ, Præfectum Prætorio Pharaonis eam ob rem appellat, *quod per sapientiam contulisset populis, id quod præstare non potuerat potentia dominantis, siquidem periclitanti populo prudentissimè subuenisset.* De variis gradibus initiandorum & mysteriorum generibus frustrà sim, si de iis differere vellem, quandoquidem Nobililissimi, & in omni literarum genere summi, nostro sæculo, viri de iis abundè scripserunt.

§. 8.

Nunc nobis inuestigandæ supersunt causæ, ob quas Gentiles tanta religione, tantoque studio suorum Sacrorum Mysteria cęlari voluerint. Tres pręsertim afferri posse apud me semper iudicaui. Prima est, ex illa occultatione, maiorem sui venerationem hominum animis indere & ingerere arcana eiusmodi, cùm nonnisi per symbola vulgo exprimantur, quorum interpretatio ab alio repetenda sit, & vt ait Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. vbi aliquo interprete & duce opus est in re aliqua obscura intelligenda, futurum est vt maius in eam assequendam studium conferatur, ac minimè decipiantur qui eam discere percupiunt, cùm accipiant ab iis qui rem accuratè norunt. Deinde omnia quę ostenduntur per aliquod velamentum & externam quandam figuram ac speciem, maiorem quandam & excellentiorem veritatem latentem pręse ferre videntur. Nimisquam verum est istud Senecæ, Epistola 68. *Vile videtur quidquid patet.* Ita Seuerus

rus Sulpitius, lib. 1. Histor. Sacrę: *Mos vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt.* Non aliter Saluianus, lib. 1. *Vsitatum hoc humanæ mentis est vitium, cùm intueatur, illa magis semper velle quæ desunt.* Sic quo magis illa occultantur Mysteria, eo maiore cultu in ea ferantur ignari, adeo vt & maiori cupiditate illa noscendi, & initiationem assequendi incendantur, cùm peruulgatum esset apud Gentiles, Mysteriis initiatos, post mortem in piorum cœtum recipi, vt post alios tradit Suidas, verbo, Μυηθῆναι. Secunda celatorum istorum Mysteriorum ratio est, ne si obscœna & propudiosa, quę in iis fiebant aut conspiciebantur, palam & apertè ab omnibus viderentur, ista homines ab huiusmodi religione penitùs auocarent. Vnde in arcanis Cereris Eleusinæ, pecten, Apuleio, *Fœminal*, de quo Theodoretus, lib. 1. curat. Græcar. affect. Alij. In Sacris Bacchi, Phalli, Itiphalli. Apulei, magna, si Diuis placet, religio de iis agens in Apologia: *Nihil*, inquit, *insolitum, nihil incognitum dico, vel vnius Liberi patris Symmistæ, qui adestis, scitis quid domi conditum celetis, & absque omnibus profanis tacitè veneremini.* Hanc rationem acerrimè vrgent veteris Ecclesiæ Patres. Clemens Alexandr. Tertull. Athenagoras, Tatianus, Lactant. Iul. Firmicus, Theophilus, Theodoretus. Sed Arnobium de iis disserentem nemo leget sine risu, imò sine rubore. Tertia nunc ratio nobis exponenda est, ob quam Gentiles tam anxiè sua Mysteria celari voluerunt, nec alia, nisi quod, vt plurimùm, Magica in istiusmodi initiationibus exercerentur. Clemens Alexandr. Protrept. coniungit Adyta Ægyptiorum cum Necromantia Hetruscorum. Psal. 119. ex versione Fœlicis Pratensis: *Hei mihi qui incola fui Hetruriæ.* Santes Pagninus vertit: *Hei mihi quia peregrinatus*

ſum Meſech. Certum eſt Dauidem nunquam in has Occidentis regiones, vt pote Italiam, commigraſſe, ſed indicare voluit, cum illum perſequeretur Saul, coactum fuiſſe confugere ad gentes alienigenas, quæ rerum Magicarum infamia laborabant, non ſecus atque Hetruſci: Apud quos Magiæ ſtudium maxime & perpetuo viguiſſe non modo hiſtoriæ Romanæ ſcriptores, ſed etiam non pauci alij teſtantur. Vnicus Oratoris Principis locus lib. 2. de Diuinatione iſtud facile perſuadet. Eſt autem huiuſmodi.
» Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, (in Hetru-
» ria) cùm terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus extitiſſe repente, & eum affatus eſſe qui arabat. Is autem Tages, vt in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia: Eius aſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, clamoremque maiorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum, totamque breui tempore in eum locum Etruriam conueniſſe, tum illum plura locutum, multis audientibus qui omnia eius verba exceperint, literiſque mandauerint. Omnem autem orationem fuiſſe eam qua haruſpicina diſciplina contineretur, eam creuiſſe rebus nouis cognoſcendis, & ad eadem illa principia referendis. Fabulam eſſe dictitat Pitho Romana. Ego reapſe Dæmonem fuiſſe arbitror, qui poſtea non comparuerit, nec quid de eo actum ſit deinceps, quidquam legitur, tum apud ſcriptores omnes de eo præter apparitionem illam altum ſilentium: & quæ principia rerum nouarum cognoſcendarum niſi quæ cum Magia non minimam habeant conſenſionem. Nec mirum Dæmonem humana ſpecie iſta docuiſſe, cum apud veteres perſimilia extent exempla, inſigne apud Eunopium in Aedeſio illud eſt de duobus Dæmonibus, qui ſenum

ſpecie toto quinquennio Soſipatram plurima, & arcana, & magica docuerunt. Qui legerit auctorem libri de Originibus Hetruriæ, de eadem non meliora ſuſpicabitur. In cæteris Sacris aliarum gentium, etiam Magia ſæpius principem locum obtinuit. De initiationibus Sacrorum Eleuſiniorum notum illud eſt, & à pluribus expoſitum. Apuleius de ſe Sacris Iſidis initiando, iſta narrat. *Acceſſi confinium mortis, & calcato Proſerpinæ limine, per omnia vectus elementa, remeaui nocte media, vidi Solem candido coruſcantem lumine, Deos inferos & Deos ſuperos acceſſi coram, & adoraui de proximo.* Syneſius, in Dione, cum memorat Barbaros quoſdam in ſuis arcanis & myſteriis, certos ad Diuinum Numen acceſſus habere, quiſpiam ſuſpicari poſſit, neſcio quid curioſarum artium hic latere. In Vulcani Sacro, quale deſcribit Gratius, in Cynegetico, res eſt apertiſſima.

—— Struitur ramis fœlicibus ara.
Hic, dictu mirum, atque alias ignobile monſtrum
Aduerſis ſpecubus, ruptoque è pectore montis
Venit ouans auſtris, & multo flumine flammæ
Emicat ipſe.

Sacerdos, qui ſacris operabatur, Deum præſentem eſſe exclamat. Mitto cætera: Samothracum Deorum Sacra, duntaxat expendi velim. Sacra hæc ab Orphæo inſigni Mago inſtituta ſunt, vt refert Theodoretus, lib. 1. Græcar. affect. Aliter Clemens Alexandr. in Protrept. quidquid ſit, certum eſt Thraces, apud quos hæc ſacra in vſu eſſe cœperunt, Magiæ valde ſtudioſos extitiſſe. Notat Placidus Lactant. in 1. Thebaidos Satij. P. Nigidius figulus, qui ea probe nouerat. Magię inſimulatus, Dioni lib. 45. prohibitis quibuſdam ſtudiis operam dediſſe credebatur.

Apud Eunapium in vitis Philoſophorum, Sacra Myſteria quæ memorat, bonam partem, Magica eſſe intelligenda peritus Lector aduertet.

§. 9.

Sed antequam locum hunc de Myſteriis Gentilium, tam diligenter, tam anxie occultatis abſoluam, idem in veterum Philoſophorum dogmatibus vſuueniſſe obiter explicemus. Ad inſtitutam de noſtræ fidei Chriſtianæ myſteriis diſſertationem iſtud non parum conferre docet me Origenes, lib. 1. contra Celſum. Cum enim hic Epicureus Philoſophus Chriſtianam doctrinam clancularíam vocaret, quod non promiſcuè & paſſim euulgaretur: Reſpondet Origenes, iſtud minime mirum videri, quandoquidem etiam Philoſophi arcana quædam haberent dogmata, quæ non omnibus proponerentur. Idem habet Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. ac docet non ſolos Pythagoreos & Platonem multa occultaſſe, ſed etiam Epicureos, qui ſua arcana non patiebantur ſcripta ab omnibus legi. Quin & Stoicos, quæ à Zenone ſectæ principe initio fuiſſent conſcripta, minime permiſiſſe ſuos diſcipulos ea legere, quin prius ipſorum Magiſtri periculum feciſſent, an illi germanè & ſyncerè philoſopharentur. De Ariſtotelicis ſcriptis res eſt notiſſima. Illic etiam habes duplex genus auditorum Pythagoræ. Syneſius, Præfatione in librum de Inſomniis, ſcribit vetuſtiſſimum eſſe Platonicum inſtitutum, ſub vilioris argumenti ſpecie, quæ ſunt in Philoſophia magna & præſtantia celare, ne in profanum vulgus edita, tandem corrumpantur & deprauata euadant. Maximus Tyrius, Sermone 23. arcana illa & abſtruſa Philoſophiæ dogmata cum Sacris Eleuſiniis comparat. Seneca Epiſtola 95. non aliter ſentit, apud

quem hæc legas. *Cor illud quo manus viuunt, ex quo impetum sumunt; quo mouentur, latet. Idem dicere de præceptis possum, aperta sunt; Decreta vero sapientiæ in abdito. Sicut sanctiora Sacrorum tantum initiati sciunt, ita in Philosophia arcana illa admissis receptisque in Sacra ostenduntur. At præcepta & alia huiusmodi profanis quoque nota sunt.* Addo & veteres illos Philosophos in illis dogmatibus reconditioribus, vel tradendis, vel scribendis, non vulgaribus & triuialibus vocabulis vsos fuisse. Quod firmatur Agellij testimonio, lib. 4. c. 11. apud quem legere est, Pythagoram abstinuisse faba, quam Græci, κύαμον dicunt. Vulgus existimat, κύαμον, hîc pro fabæ legumine vsurpari, sed aliud significatum illi attribuit Pythagoras, vt proles, cum Arnobio loquor, significet.

§. 10.

Iudæorum nunc Mysteria excutiamus, & paucis, quæ duobus modis occultata fuisse deprehendimus, siue quoad ea quæ religionem & res credendas spectarent. Origenes, homil. 5. in librum Numer. copiose disserit de arcanis & mysteriis legis Mosaïcæ, non à quouis siue tractandis, seu conspiciendis. Exod. 9. & cæteri libri Mosis id perspicuè declarant. Clemens variis locis ac præsertim lib. 5. Strom. Mosaïca illa arcana & symbola diffuse & accurate explanat. Illud autem non otiose considerandum quod scribit Clemens, eo libro, obscuram & arcanam de Deo cognitionem significari cuiusdam Prophetæ actione, cum ipse sibi iussit parari panes azimos subcineritios, qui ἐγκρυφίαι, id est, occulti dicuntur, significans, de Deo & eius varia atque infinita potestate, verè sacrum & mysticum verbum oportere celari. Quis autem fuerit Propheta iste, non exprimit Clemens. At ego existimo designari

Eliam Prophetam, qui iussu Dei, vrgente fame, ad Sareptam Sidoniorum profectus, mulieri viduæ, quam offendit, iussit, vt sibi panem subcineritium coqueret. 3. Reg. 17. Nota etiam Iudæorum religio in libris Mosaïcis legendis, vt nulli fas esset ante trigesimum ætatis annum, legere primum caput Geneseos, tum Canticum Canticorum, deinde initium & postrema capita Ezechielis Prophetæ, vt auctor est B. Hieronymus, Præfatione in Ezechielem. Alio etiam modo sua voluerunt haberi occulta Mysteria Iudęi non modo, quia ad Sacra & sacrificia non omnibus pateret accessus, ac ne Iudæis quidem cæteris ipsa manifesta semper fierent. Quin & secreta erant loca, vt pote Sanctuarij, seu Sancti Sanctorum, quæ solus Summus Sacerdos adibat. Exod. 30. Heb. 9. & certa quadam hora, vt scribit S. Basilius, lib. de Spiritu Sancto, c. 27. Clemens Alexandr. 5. Strom. ait, quæ erant Ægyptiis adyta Hebræis velum extitisse in Templo, quod mysterij Sacrorum occultationem denotabat. Exod. 26. duplex statuitur velum, vnum exterius; noster vulgatus Interpres appellat Tentorium, Santes Pagninus, Operimentum, Arias Montanus, Aulæum: Et istud in introitu Tabernaculi, ne prætereuntes quidquam conspicerent. Alterum velum interius, de quo sic loco citato. *Facies & velum de hyacintho & purpura, coccoque bis tincto & bysso retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum* (quia imaginibus Cherubin persparsum erat) *quo & Sanctuarium & Sanctuarij Sanctuaria diuidentur.* Neque vero contemnendum arbitror quod Hebræi Doctores tradunt, si quis Gentilium Iudaïcam religionem amplecti vellet, variis præceptionibus velut quibusdam gradibus instituebatur, antequam lex Mosaïca illi explicaretur. Primum enim

illum docebant ſeptem præcepta, filiis Noe à Deo data, vt aiunt, quæ erant eiuſmodi 1. Non colere Idola. 2. Benedicere Deum. 3. Cauere ab inceſtu. 4. Quoduis aliud peccatum carnis vitare. 5. Non fundere humanum ſanguinem. 6. Non rapere aliena. 7. Non tollere membrum de animali viuente.

§. II.

Tandem ad Chriſtianæ Religionis Myſteria peruenimus, quorum occultandorum quamquam nulla alia ratio ſubeſſet, quàm ipſius dignitas & excellentia, qua cęteras omnes longo poſt ſe interuallo relinquit, illa maximè, & ſupra quam dici poſſit, abundè ſatisfacere videretur. Noſtra ſiquidem cum Iudaïca (nam cæteræ merę ſunt pręſtigiæ, mera & deteſtanda figmenta) ſi componatur, tantum illa eminere videbitur, quantum lux vmbræ, res ipſa figuræ præſtat. At quod caput eſt, & præcipuum momentum, lex vetus & Moſaïca religio imperfecta habita eſt, teſte Apoſtolo, Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Quæ quamquam fuerit huiuſmodi, nihilominus ſua habuit arcana & myſteria, quę ſuis nec paſſim, nec omnibus patefaceret. De quibus cùm antea diſſeruerim, vnum ſubiiciam, quod valde mirandum. Numerorum 4. *Cùm inuoluerint Aaron & filij eius Sanctuarium, & omnia vaſa eius, in commotione caſtrorum, tunc intrabunt filij Caat* (Leuitæ) *vt portent inuoluta, & non tangent vaſa Sanctuarij, ne moriantur.* Poſtea: *Alij nulla curioſitate videant quæ ſunt in Sanctuario priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.* Itáne ſacris hominibus & cultui Diuino addictis Leuitis, tactus ſacrorum vaſorum capitalis fuit, aliis & prophanis ſolus viſus. Tacitus, lib. de moribus Germanor. loquens de Idolo Terræ abluendo, & ſuffo-

catis abluentibus, iſta ſubiungit verba, *Arcanus terror:* quæ de hoc religioſo Iudæorum metu multo rectius vſurpare licet. An non multo æquius magiſque rationi conſentaneum, vt Chriſtiana Religio ſuis omnibus numeris abſoluta ſua habeat etiam tremẽda Myſteria? Is eſt Sacræ Scripturæ ſenſus, vt & veteris Eccleſiæ Patrum. Quod antequam explicemus, illud in primis aduertere oportet, Myſterium reſpectu perſonarum, duplicem ſortiri notionem. Aut enim res eſt cum Infidelibus, qua ratione tota Religio Chriſtiana vocatur *Myſterium.* Iuxta illud, Math. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Tertull. lib. 2. ad vxorem, Chriſtianas mulieres alloquens, quę Gentilibus maritis nupſiſſent: *Nolite margarita veſtra porcis iactare, ne conculcent ea, & conuerſi vos quoque euertant. Margarita veſtra ſunt quotidiana conuerſationis inſignia. Quanto curaueris ea occultare, tanto ſuſpectiora feceris, & magis cauenda Gentili curioſitati.* Idem habet S. Cyprianus, lib. ad Demetrianum. Sic B. Baſilius, in regulis breuioribus, c. 250. Infidelibus Chriſtianæ fidei doctrinam non eſſe communicandam, ſeu ne contemnenda exiſtiment dogmata Domini, ſiue ne ex iis prauè intellectis occaſionem arripiant inſectandi maiori audacia Chriſtianos. Clemens Alexandr. libro 5. Strom. iſtud Seruatoris dictum, ex Euangelio quodam, forſan Nazoreorum, de quo B. Hieronymus, non vno loco, & Epiphanius. Eſt autem ſententia huiuſmodi. Pręcepit Dominus in aliquo Euangelio: *Myſterium meum mihi, & filijs domus meæ.* S. Hieronymus in c. 4. ad Epheſ. *Quod Paulus* in Epiſt. 1. Corinth. 2. *loquitur, Sapientiam loquimur inter perfectos, hoc iubet vt vnuſquiſque myſtica quæque atque ſecreta, & ea quæ Dei veritate ſunt plena, loquatur* cum

cum proximo suo, id est, cum fideli & Christiano, nimirum, cum Christiani sint alterutrum membra, & *sibi inuicem fide & virtute proximi.* Istud singulari cautione obseruatum legimus ad Constantini Magni vsque tempora, vt nullus, seu ad Cœmeteria & Conuenticula, seu Ecclesias, vt etiam vocat Tertullianus, Gentilibus ipsis pateret aditus. At post Constantinum M. Ecclesias ingrediebantur, & Sacræ Liturgiæ intererant, vsque ad missionem Cathecumenorum, quibuscum Ecclesia pellebantur vt apparet ex Concil. 4. Carthagin. c. 84. Est & altera *Mysterij* notio, si modo cum ipsis fidelibus res haberetur, non enim omnes quotquot erant fideles Mysteriorum quorumcumque capaces erant. Non enim frustra ab Apostolo dictum est, 1. Corinth. 12. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes,* &c. *genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Iam istud è Sacra Scriptura perspicuè intelligamus. Luc. 8. Christus summus Magister Discipulos ita monet, *Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Marci, 4. *Non loquebatur Christus eis* (turbis) *sine parabola: Seorsim autem Discipulis suis disserebat omnia.* Gentium Apostolus idem firmat. Epistolæ 1. Corinth. c. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam, in Mysterio, quæ abscondita est.* Colossens. c. 1. *Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes.* Clemens Alex. lib. 5. expli-

cans integrum hunc locum Apoſtoli, & præſertim hæc verba, *Exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu*, docet nec infidelem, nec quemcunque fidelem nomine omnis hominis comprehendi, ſed qui ſit ſanctificatus corpore & anima. Hoc apertè innuit Apoſtolus, 1. Cor. 3. *Non potui loqui vobis tanquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* Illuſtris locus Apoſtoli ad Hebræos, ad Chriſti fidem conuerſos, epiſt. c. 5. poſtquam Apoſtolus docuit Chriſtum eſſe appellatum à Deo, Pontificem iuxta ordinem Melchiſedec, ſubiungit: *De quo nobis grandis* (ex Syriaco, *multus*) *ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Interim, quod alij iam adnotarunt, legebatur antea, *interpretabilis*, ſenſu contrario, & emendatè legendum, *ininterpretabilis*. Ita Rom. 11. *Et ininueſtigabiles viæ eius.* Epheſ. 3. *Ininueſtigabiles diuitias Chriſti.* Pſalm. 118. *Præueni in immaturitate.* Septuag. ἐν ἀωρίᾳ. Ex Hebræo, S. Hieronymus, *Surgebam adhuc in tenebris.* Santes, Fœlix, alij, *Præueni crepuſculum, ſeu diluculum.* Proſper in Pſalm. *Præueni intempeſta nocte.*

§. 12.

Eccleſiæ veteris Patrum apertiora & dilucidiora videamus de Myſteriis Chriſtianis non paſſim, nec apud omnes vulgandis teſtimonia. Origenes familiam ducet, nam ex antiquioribus nemo melius Chriſtianorum varios ordines, & Doctrinæ Chriſtianæ tradendæ variam ac multiplicem rationem expreſſit. Apud hunc igitur lib. 1. contra Celſum, ipſum inducit ludibrij cauſa vocantem Religionem Chriſtianam, κρύφιον τὸ δόγμα, clandeſtinam do-

ctrinam. Respondet Origenes, falsum esse omnia doctrinæ capita occultari: plurima enim quæ Gentiles irrideant, palam tradi & communicari. Hinc illud Apostoli: *Nos Christum prædicamus crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Quod si quædam non passim omnibus non communicentur, id non magis reprehendendum, quàm ipsorum Gentilium Philosophi, qui disciplinam suam diuidunt in ἐξωτέρικα, quæ foras proferuntur, & patent omnibus; atque ἐσωτέρικα, quæ intra scholæ fines continentur, suntque propria discipulorum selectorum. Et lib. 3. Epicureus iste Christianos reprehendit, quod è triuio sibi quærerent auditoria, Circulatorum & Agyrtarum exemplo. Respondet Origenes, Christianos sic se gerere erga omnes homines, vt minimè similes sint Philosophis, qui propalam apud vulgus hominum disserentes, non sunt curiosi in discernendis auditoribus, sed promiscuè qui vult adstat, & auscultat. Christiani verò quantùm possunt, præexaminant animos audire se cupientium, ac primò priuatim blandè & benignè persuasos, priusquam in cœtum recipiantur, vbi videntur eò profecisse vt honestam vitam amplecti percupiant, tum demum introducunt, distinctis ordinibus. Vno recens admissorum, necdum assecutorum expiationis symbolum, altero iam professorum Religionem Christianam. In posteriore ordinati sunt aliquot, qui inquirant in vitam & mores accedentium, vt Religionis Candidatos istos, si contra regulas peccauerunt, à suis Conuentibus arceant, reliquos horum dissimiles excipiunt ex animo. Paulo post scribit, Christianos modis omnibus operam dare, vt cœtus ipsorum constet ex hominibus prudentibus, & quidquid habeant egregium atque Diuinum, in

popularibus sermonibus proferant in medium, si modo præsto sit auditorum cordatorum copia, alioquin profundiores sensus celant & silentio prætereunt si adsunt qui opus habent lacte. Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. ait, Deum Diuinorum Mysteriorum sanctam lucem & reuelationem iis impertiri qui ea possunt capere, neque multis ea quæ non erant multorum reuelasse, sed paucis, quibus sciebat conuenire qui & ea possent cõprehendere. Arcana enim, sicut Deus, verbo creduntur, non scripto.
» Obiicit sibi, scriptum esse Math. 10. Luc. 11. Nihil occul-
» tum quod non manifestetur, nil opertum quod non reueletur. Respondet, ei qui occultè audit Mysterium, & occultum manifestatum iri, ita qui secretè ea quæ traduntur potest seruare, apertum iri quod opertum est. At cur omnes veritatem non norunt? Respondet, veritatem quidem esse omnium vt & iustitiam, & tamen non omnes veritatem, aut inquirunt, aut expetunt, seu quia odiosa est nonnullis, qui errore præoccupati fuerint, seu quia negligitur ab aliis. Eodem pacto non est ab omnibus amata iustitia, qui latrociniis assueti & aduocati nocturni, qui cædibus delectantur & cæteris flagitiis. Subiungit denique non omnes esse capaces intelligendorum Mysteriorum, & vt certamen est præludium certaminis, ita Mysteria quædam antecedere Mysteria. Alludit ad Eleusinia Mysteria, quorum alia erant minora, quibus Mystæ initiabantur; alia maiora, quæ erant Epoptarum, qui apertè & manifestè illa contemplabantur, vt, post alios scriptores, tradit Suidas. Lactantius, ad finem lib. 7. sic opus suarum Diuinarum institutionum concludit, conuerso ad Constantinum Magnum sermone. *Hæc nostra sapientia quam isti qui vel fragilia colunt, vel inanem Philo-*

sophiam tuentur, tanquam stultitiam vanitatemque derident, quia non defendere hanc publicè atque asserere non solemus, Deo iubente, vt quieti ac silentes arcanum eius in abdito atque intra nostram conscientiam teneamus: Ne pagani arguendi & illudendi gratia inclementer Deum ac Religionem eius impugnẽt. Abscondi enim tegiq; Mysterium quamfidelissimè oportet, maximè à nobis qui nomen fidei gerimus. S. Gregorius Nazianzen. orat.1. de Theologia, rem istam pluribus explicat, & ex eo Christianam Religionem nulla omnino ratione suis carere Mysteriis videri, cum Gentiles in sua illa detestanda religione sua habuerint pecularia Mysteria. S. Chrysostom. homilia 24. in Math. Mysteria, inquit, ideo clausis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus, non quia infirmitatem Mysteriorum aliquam deprehendimus, sed quia ad participationem eorum, illi adhuc quos arcemus, infirmi sunt. Extant quamplurima ipsius Sanctissimi viri in eam rem loca, à multis repetita. S. Gregorius Nyssenus, oratione aduersus eos qui differunt baptismum, illos tandem hortatur, vt sese adiungant populo mystico, seu fidelibus baptizatis, & discant verba arcana, λογοις ἀπορρήτοις. Canant cum perfectis Christianis hymnum, ab ipsis Seraphin decantatum, ament Mysterium, quod modo non aspectabili senes & grandęuos transmittit ad iuuentutem. S. Hieronymus in c. 46. Ezechielis, Mysteria non vulgo proferenda monet, & Sacerdotes alia vti debere doctrina scribit ad vulgus ignobile, ac proinde alia apud peritiores & perfectiores. Aptè ad id facit quod tradit Eulogius Alexandrinus Patriarcha, apud Photium, Bibliothecæ numero 230. Earum, quæ in Ecclesia à ministris verbi Diuini traditæ sunt doctrinæ, quædam dogmata sunt, quæ-

dam præconia & differentia. Dogmata cum occultatione & ſapientia declarantur, & obſcuritati ſæpe de induſtria inuoluuntur, ne profanis ſint ſancta expoſita, & margaritæ porcis obiiciantur. Præconia ſine vlla obſcuritate dicuntur, & ea præſertim quę de pręceptorum & Diuinæ reuerentię obſeruatione tractant. Eſſe pręterea dogmata quędam obſcuriora, quæ omnino, vt ita dixerim, tacentur, ſolis verò illis myſticè tradita, qui fideles habent ſpiritualem ſapientiam, per verbum viuum. Alia vocat, δόγματα, alia κηρύγματα, quæ aptius prædicationes, vt & Interpres S. Baſilij, exponere malim, cùm præconij vox paulò diffuſioris ſignificati exiſtat. Interim aduertere licet Eulogium, totam hanc ſententiam ex B. Baſilio deſumpſiſſe, vt poſtea indicabimus. Acutiſſimè, ſuo more, S. Auguſtinus, Tractatu 98. in Ioannem: *Non æqualiter mente percipitur etiam quod in fide pariter à carnalibus & ſpiritualibus recipitur. Illis tanquam lacteus potus, iſtis tanquam ſolidus cibus præbetur; non quia hoc carnales aliter in populis, ſpirituales aliter in cubiculis cognouerint, ſed quod eodem modo vtrique, cùm palam diceretur, audiebant, pro ſuo modo quique capiebant.* Vnde illud B. Barnabæ, ex Epiſtola ipſius, apud Clementem Alexandr. lib. 5. Strom. Simplicius vobis ſcribo, vt intelligatis. S. Baſilius, lib. de Spiritu Sancto, c.27. diuinè iſta explanat, cùm ait, Initio naſcentis Eccleſiæ, Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores certos ritus præſcripſiſſe, atque Myſteriis in occulto & ſilentio ſuam ſeruaſſe dignitatem. Neque enim omnino Myſterium eſt, quod ad populares & vulgi aures effertur. Hæc eſt ratio cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem, vulgo veniret in contemptum. Aliud autem eſt dogma, aliud prædicatio:

Nam dogmata ſilentur, prædicationes verò publicantur. Eſt autem ſilentij ſpecies etiam obſcuritas qua vtitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum ſententiam, idque ad vtilitatem eorum qui in Sacris Scripturis verſantur. Quod de Scripturæ obſcuritate dixit S. Baſilius, illuſtratur ex eo quod tradit Origenes in Pſalm. 1. & apud Epiphanium, Hæreſi 64. Sacram Scripturam eſſe obſignatam Dauidis ſigillo, cui inerat hæc inſcriptio: Ἁγίασμα Κυρίῳ .i. Sanctitas Domino. Euſebius lib. 1. de demonſtratione Euangelica, c. 8. illam S. Baſilij ſententiam adſtruere videtur, dum ait, Apoſtolos quæcunque iis conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, & curatione indigerent, ea ipſi ad imbecillitatem multorum ſe demittentes, partim literis, partim ſine literis, quaſi iure quodam non ſcripto, ſeruanda commendarunt. Clementis Alexandr. lib. 11. Strom. ſingularis illa eſt ſententia, Non ſolam traditionem publicam propoſitam eſſe ei qui ſenſit ſermonis Diuini magnificentiam, ſed ſapientiam quoque, quæ expreſſa eſt in Myſterio, quam docuit Dei Filius, occultandam eſſe. Videtur enim innuere duplicem eſſe traditionem, vnam popularem & vulgarem, aliam ſecretiorem & myſticam; & quod poſtea ſubiicit de ſapientia in Myſterio celanda, iſtud firmat. Ac id bellè congruit quod ſuprà propoſitum eſt ex B. Baſilio, & Eulogio Alexandrino, de diſcrimine dogmatis & prædicationis, Omnes quidem videri idoneos prædicationis intelligendæ, quæ tota comparata videatur pro captu auditorum: At in dogmatibus explanandis non omnes pari intelligentia præditi intelliguntur. Vnde præclarè B. Auguſtinus, lib. de Catechiſandis rudibus, non vno loco, Catechiſtem docet quomodo ſeſe

gerere debeat in instituendiis iis qui fidem & religionem Christianam amplecti cupiebant, aliter in doctissimis & summis quibusque ingeniis, alio modo in Rhetoribus & Grammaticis, aliter in idiotis seu vrbanis, seu rusticanis. Potest & illud adiici, fideles è vulgo aliter minus capaces videri Mysteriorum; aliter, qui nondum Baptismum, Græcis φώτισμα, illuminationem, sunt assecuti, illi quod possunt, capiunt, isti prorsus arcentur. Quoties SS. Patres ista vsurparint, cùm de Mysteriis dissererent, aut scriberent, *Norunt fideles*, *Norunt initiati*; Etiam Catechumenis, quos Tertullianus, lib. de Pœnit. *Nouitiolos* appellat, ista manifestare verebantur. Hos, vt cæteros Gentiles, Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. vocabulo, λαϊκῆς ἀπιστίας, laïcæ infidelitatis, expressisse videtur. Nemo enim Catechumenos necdum baptisatos fideles dixerit, de cæteris clarum illud est vtrosque si infideles recte dixeris, eodem iure *Profanos* appellaueris, quin si profanus etiam Imperitum & Indoctum significat, etiam qui è vulgo, *Profani* dicentur. Minutius Fœlix in Octauio, *studiorum rudes, litterarum profanos*, enuntiauit. 1. Reg. 21. nostra vulgata habet *via hæc polluta est*, Procopius in hunc locum ex versione Septuaginta, vel cuius, cuius sit, ἡ ὁδὸς αὕτη βέβηλος. & ait βέβηλον hîc seu, *profanum* non pro ἀκάρτον, id est, pro impiato & impuro sumi, sed pro μὴ ἱερὸν, id est, non sancto. De vocabulo *Idiotæ*, non aliter sentiendum, cum non vnius significati existat. Glossæ veteres, ἰδιώτης κοινός. *Priuatus, Paganus, Plebeius*. Vna & altera notione Christianos veteres exprimi certum. Scio impium Lucianum in Peregrino, appellasse Christianos, Ἀνθρώπους ἰδιώτας. Et de Ecclesiæ nascentis primordiis ista pronuntiauit S. Hieronymus, præfat. lib. 3. Comm. in Epistolam ad

Galat.

Galat. *Ecclesia Christi non de Academia & Lyceo, sed de vili plebecula congregata est.* Hinc apud Prudentium in Romano,

Illiterata credidit frequentia.

Dioni Chrysostomo, orat. 12. ἰδιῶτα, Plebeius est; Mitto Suidam, voce vtraque, ἰδιῶται & ἰδιώτης: qui & alia memorat significata. Iustiniano Nouel. 6. c. 1. *Idiota* idem qui *Laïcus*. Iulianus Antecessor, *Laïci*, vocem reposuit, ea Constitutione.

§. 13.

Sed quoniam his nostris Mysteriis occultandis tantum veteris Ecclesiæ Patres religionem inesse voluerint, vt plures, vel indignos ab iis spectandis arcerent, nimirum Gentiles, Catechumenos, Energumenos, Pœnitentes, quemadmodum & Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Liturgiæ, ac prisci Canones fidem faciunt, vel iis capiendis & intelligendis minus idoneos indicarent, aliquam tamen, vt ego arbitror, ab ipsorum Mysteriorum conditione & natura tantam silentij fidem repetendam esse voluerunt, quin fidelibus ipsis in illis cernendis singularem quandam modestiam, metumque religiosum indixerunt. Synesio. lib. de Prouidentia, Ἀγνωσία σεμνότης ἐπὶ τελέτων: Ignoratio Mysteriorum est illorum veneratio. Ex B. Basilio, lib. de Spiritu Sancto, c. 27. istud exscripsisse videtur Synesius. Ita enim scripsit, τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι: Mysteriorum venerationem silentio conseruari. Quæ non modo in iis, vbi intellecta fuerint, minimè euulgandis locum habere videntur, verum etiam in iis spectandis peculiarem quendam ac planè religiosum metum, atque reuerentiam adhibendam esse admonent. Hinc in Liturgiis Græcis formulæ istæ; στήκετε μετ'

φόβον, ἐν τῇ φοβερᾷ, State cum reuerentia, ſtate cum timore. Et quando iſtud acclamatum, ὥρα τῆς ἀναφορᾶς, hora eleuationis. Sic enim Græci interpretantur. De qua re poſt B. Chryſoſtomum Anaſtaſius Sinaïta, oratione de Sacra Synaxi. Agitur autem hoc loco, de SS. Euchariſtiæ eleuatione, quam S. Chryſoſtomus, homil. 45. in Ioannem appellat, θαυμα τῶν μυστηρίων, Miraculum Myſteriorum; &, φρικτὰ τὰ μυστήρια τῆς ἐκκλησίας, horrenda & tremenda Myſteria Eccleſiæ. S. Epiphanius in fine Panarij, ἔνδοθεν μυστήρια, interna myſteria dixit. Atque Imperatores potiſſimum totam hanc, circa SS. Euchariſtiam, actionem, quæ Liturgia vocatur, *Cœleſtia Secreta* nominarunt, Cod. lib. 16. tit. 2. l. 40. vt & Eccleſiam Myſteriorum locum, Cod. Theod. lib. 16. tit. 5. l. 6. Neque vero lectoris benigni patientia velim abuti in congerendis SS. Patrum teſtimoniis de fidelium religioſa modeſtia in Templis adhibenda, vnius præſertim SS. Euchariſtiæ gratia: Vnum proferam Gentilem, quem de noſtris rebus falſa ſcripſiſſe non affirmat S. Auguſtinus, quamquam illi non ſatis eæ perſpectæ. Is eſt Maximus Madaurenſis, Epiſtola ad B. Auguſtinum, quæ eſt 43. A B. Auguſtino iſtud poſtulat: *Ipſa re approbes quis ſit iſte Deus, quem vobis* (Chriſtiani) *quaſi proprium vindicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis.* Verbo *(Componendi)* hac in re aptiſſimè vſus, vt ad ſingularis venerationis & cultus formam Chriſtianos in locis abditis, hoc eſt, Eccleſiis, à quibus Gentiles arcebantur, comparatos eſſe indicare videatur. Non aliter de ſuis Gentilibus iſta protulit Seneca, lib. 7. Natural. Quæſtionum, c. 30. *Si intramus Templa compoſiti, ſi ad Sacrificium acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus, & in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* Quintilianus, Decla-

matione 365. *In Templo, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitam mentem nostram custodimus, pulsare velut in solitudine, velut in secreto quodam, non est ferendum.*

CEREMONIÆ.

§. 1.



HOMO *totus à Deo pendet, cui & animo & corpore venerationem conuenientem adtribuat. Corporeus & externus cultus Ceremoniis significatur. Ordinis ratio id postulat.*

§. 2.

Ceremonia pro Religione. Ceremoniis Religionem carere non posse. Ceremonias non vnius eiusdemque generis & dignitatis esse, nec etiam originis.

§. 3.

Ecclesia, domus, ciuitas, nec nisi temporis progressu, quoad res externas, perfici potuit. Ex collatione cum Republica Iudæorum.

§. 4.

Cur Sectarij nostras damnent Ceremonias. Quæ à Gentilibus in sua Idolomania factitata, quo pacto vel improbanda, vel non vsurpanda à Christianis. Ex SS. Patribus.

§. 5.

Imitatio Gentilium qualis. Veritas vbicunque reperitur, Dei est. Ex variis. Ceremoniæ tota Ecclesia & receptæ & probatæ,

non innumeræ. Religio Christiana non æstimanda à stoliditate vulgi.

§. 6.

Obiiciunt Ceremonias nostras partim à Gentilibus, partim Iudæis depromptas. Ceremonias Gentilium bonam partem Iudaicarum imitatione, & nonnunquam nostrarum, post Constantinum M. institutas fuisse. Diabolus auctor præcipuus Ceremoniarum Gentilium. Numa institutor Romanarum.

§. 7.

In gratiam curiosi Lectoris, enumeratæ & expensæ aliquæ Gentilium Ceremoniæ, quas à Iudaicis originem sumpsisse demonstratum. Excelsa, de quibus Scriptura, quænam fuerint. Item Luci, & cuius venerationis. Diabolus, quantum potest, res Dei æmulatur.

§. 8.

Sacrum Diti & Proserpinæ factum apud Romanos, mera fuit imitatio Iudaici Sacrificij à summo Pontifice, semel in anno procurati. Leuit. 16. Hebr. 9.

§. 9.

Codex Sacrorum apud Arcades ex duobus lapidibus compactus, exemplo duarum Tabularum Mosaicarum, in quibus lex descripta. In Templis Gentilium vel fontes, vel putei. Ex Iudæis qua ratione istud petitum. Christianis veteribus ad fores Ecclesiæ. Vas aquę lustralis. Κερνίβον.

§. 10.

In Templis Gentilium Vestę ignis æternus. Iudæorum æmulatio. Lucerna apud Gentiles, vt apud Iudæos, & hæc multiplex, siue noctu, siue interdiu. Exploratio victimarum immolandarum apud Gentiles, exemplo ritus Iudaici. Sal in Sacris Gentilium, vt apud Iudæos.

§. 11.

In Sacris conuersiones variæ, & circuitus apud vtrosque.

Christianis veteribus an istud vsitatum. Tertulliani locus expensus in verbo, Ambiendi. Tacitæ obiectioni responsum. Verbis Procedendi, Pergendi, vsi veteres. Solemni pompâ Sacra sua ferendi Gentilium ritus manauit à Iudæis. Iudæorum impietas in deserto, Idolo Moloch sacrificantium, & eius tabernaculum deferentium.

§. 12.

Principibus vrbem aliquam ingredientibus, itum est obuiam à Ciuibus, Sacra sua gestantibus. Gentilium, Iudęorum, Christianorum exempla.

§. 13.

Gentiles Christianorum ritus imitari voluisse. Formulæ Ecclesiasticæ à Gentilibus in suis Sacris vsurpatæ. Saluiani locus explicatus.

§. 14.

De Sacrificulis Gentilium. Pontifices Maiores in quaque Prouincia constitutos. Iudęorum imitatio. Formulæ Christianæ à Gentilibus vsurpatæ. Gentiles, Philosophos auctores suarum opinionum, Patres, Antistites, vocant.

§. 15.

De signo Crucis. An aliquid persimile factitatum apud Gentiles. Tertulliani locus valde obscurus, tentatus. Huic lux facta ab eodem Tertulliano, ex coniectura.

§. 16.

An apud Iudæos Ceremonia aliqua in vsu fuerit, quæ quamdam signi Crucis speciem referret. Vnctio Regia in capite, in modum Coronæ. Vnctio Sacerdotalis in modū litterę Gręcæ X. & quę significatio.

§. 17.

De signo Crucis, siue vno, siue tribus digitis efformando. Historia ad eam rem insignis. Philonis Iudęi pro suis Ceremoniis retinendis quæ rationes, nostris maximè congruentes. Conclusio ex S. Augustino.



Ceremoniæ.

§. 1.



HOMO totus Dei eſt & quouis tempore. Apoſtoli Gentium ea doctrina eſt, Rom. 14. *Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Quo pietatis æſtu Deum vt maximum ita verè optimum ſic compellat B. Auguſtinus, Confeſſionum lib. 1. c. 2. *Non eſſem, Deus meus, non omnino eſſem, niſi eſſes in me; An potius non eſſem, niſi eſſem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Solens & pro ſui ingenij acumine iſtud de homine idem ita explanat, de Ciuitate Dei, lib. 22. c. 24. *Ipſe, Deus, operatione qua nunc vſque operatur, facit vt numeros ſuos explicent ſemina, & à quibuſdam latentibus atque inuiſibilibus inuolucris, in formas viſibiles huius, quod aſpicimus, decoris euoluant. Ipſe incorpoream corporeamque naturam, illam præpoſitam, iſtam ſubiectam, miris modis copulans & connectens animantem facit.* Hæc de Deo, de nobis aliter cogitare non poſſumus, quin niſi mens noſtra ſua ſede penitus dimota fuerit, ſimul nos à Deo omnino pendere, & quidquid ſimus vel habeamus, id totum à Deo conſecutos eſſe agnoſcamus. Neque vero eiuſcemodi agnitio alia vel excogitari, vel deprehendi poteſt, quàm ſi Dei ſummum in nos imperium & dominium pari, hoc eſt, ſummo cultu profiteamur. Arnobius, lib. 7. iſtud nos docet. *Honos omnis,* inquit, *qui haberi ab aliquo dicitur, &*

reuerentiæ potioris attribui, relatiui est ad alterum generis, & constans partibus duabus, ex concessione tribuentis & amplificatione sumentis. Cùm igitur in homine nihil omnino reperiatur quod ex Dei suprema Maiestate & benignitate non proficiscatur, tanti tamque immensi beneficij non modo recordatio, sed sensus, hominem ipsum, vel inuitum, ad supremum hunc auctorem suum beneficentissimum summa veneratione & omnium maxima prosequendum impellit. Sed quoniam totum quidquid sit hominis, duabus absoluitur partibus, animo & corpore, supremum hunc Diuini Numinis cultum non animo tantum, hoc est, singulari mentis apprehensione, & propensissima ad hanc Diuinam Maiestatem recognoscendam atque colendam voluntate, verumetiam corpore, id est, externis & corporeis signis perfici debere ratio ipsa iure optimo suadet. De mentis humanæ circa ea quæ Diuini Numinis beneficentia homini contingunt comprehensione, alius est dicendi locus. De corpore, seu sensilibus & externis illis ritibus, nobis hoc tempore dicendum est: Ceremonias vocant, quarum vsus adeo necessarius, vt eo cultus Diuinus, quem nos Religionem dicimus, carere non possit, huiusque non contemnendam partem efficiat. Quis enim ritè & rectè institutum Dei cultum atque Religionem comminisci potest absque ordine? Vnde meritò Apostolus Corinthios admonuit, 1. Corinth. 14. iis verbis, *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.* Neque verò existimandum est, Apostoli præceptum ad solam Corinthiorum Ecclesiam spectare, cùm amantissimos Discipulos suam Ecclesiasticam regulam, in Ecclesiis à se institutis receptam, sequendam esse admonet. Theodoretus hæc refert ad leges Eccle-

ſiaſticas, quas ſuprà memorauit Apoſtolus, & quas ordinis nomine comprehendi & intelligi ille idem innuit. Aptè id quidem, cum ex Platone, *6.* de legibus, quidquid in Republica ordine & lege fiat multa bona afferat. Ordine vero & lege, mutuo veluti nexu, fieri dixit Plato, quoniam ipſa mutuo ſeſe ſtabiliant & defendant. Siquidem in lege, ordinis conſeruatio conſiſtit, & à conſeruatione ordinis lex vim ſuam roburque obtinet. Certè ordinis in publicis Chriſtianorum conuentibus, atque adeo in Eccleſia ſtudioſiſſimè retinendi, eam curam & ſollicitudinem eſſe voluerunt veteris Eccleſiæ Patres, vt propter delicta non admodum grauia, nonnulli excommunicentur, quandoquidem illa Ἀταξίαι, hoc eſt ordinis in Eccleſia ſeruandi perturbationem inducant, vt videre eſt in nonnullis Canonibus, qui Apoſtolorum nomine circunferuntur. Ceremonias vero ad ordinem pertinere nemo ſani capitis dubitabit, & hac voce ab Apoſtolo intelligi etiam aduerſarij magni apud eos nominis vltro fatentur.

§. 2.

Neque verò illud prætermittendum apud probos auctores, *Ceremoniarum* vocem, pro Religione vſurpari. Suetonius in Iulio, c. *5.* *Ceremonias Deorum*, pro Religione dixit. Æmilius Probus in Themiſtocle, *Summam Ceremoniam*, pro Religione nominauit. Actus paſſionis B. Cypriani, cuius meminit Pontius Diaconus eiuſdem Sanctiſſimi Martyris, Proconſulem inducit exprobrantem iſtud Beatiſſimo Martyri, iis verbis: *Inimicum te Diis Romanis & ſacris Religionibus conſtituiſti, nec te pij ſacratiſſimique Imperatores ad conſenſum Ceremoniarum ſuarum reuocare potuerunt.* Apud Minutium Fœlicem, in Octauio,

Cæcilius

Cæcilius Gentilis Christianos insectatur, quoniam *Crucis ligna feralia, eorum Ceremonia*, .i. Religio, *fabuletur*. Iudith, c. 5. vetus interpres ita habet. Achior Dux Ammonitarum de Iudæis differens ait, *Deserentes Ceremonias patrum suorum, quę in multitudine Deorum erant, vnum Deum Cœli coluerunt*. Seruius in 4. Æneidos, hoc versu,

—— vbi audito stimulant Trieterica Baccho.

Sanè sciendum, inquit, *Orgia, apud Græcos, dici, Sacra omnia, sicut apud Latinos, Ceremoniæ dicuntur*. In veteri passione B. Cypriani, hæc leguntur. *Iusserunt te*, Cyprianum, *Sacratissimi Imperatores, Ceremoniari*, id est, eandem cum ipsis religionem profiteri. Sed vt è diuerticulo in viam, quantum ad religionis Christianæ dignitatem & maiestatem Ceremoniæ conducant nunc videamus. S. Gregorius Nyssenus, libro de vita Mosis, res illas exteriores & Ceremonias, lac Ecclesiæ, vocat. Et ne quis putet iam adultos lacte non indigere, sed solido cibo, intelligat necessum est, Ceremoniis religionem & Diuini Numinis cultum nulla omnino ratione carere posse, quemadmodum suprà à nobis demonstratum est. Et vnum hunc, nimium quantum vulgatum, B. Augustini locum abundè satisfacere existimo, lib. 19. contra Faustum Manichæum, c. 11. *In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Verum non propterea omnes illas Ceremonias quas nunc seruandas habet Ecclesia, aut paris dignitatis & reuerentiæ existere, aut iam vel ab ipsis Ecclesiæ incunabilis vsu receptas affirmare velim. Discrimen illarum satis apertum est & perspicuum, sunt enim Ceremoniæ Sacramentales, quæ Diuinis Christianæ religionis Sacramentis administrandis sunt coniunctæ, sunt

&non Sacramentales multiplicis generis, quæ ſunt vel incolumitatis humanæ remedia, aut ad pietatem Diuinam præparant, vel pietatis ſiue modeſtiæ Chriſtianæ exercitia. De quibus omnibus ſingillatim & copioſiſſimè à grauiſſimis & doctiſſimis Theologis, noſtro æuo, diſputatum eſt. Nos generatim de tota re diſſerere inſtituimus, atque illas omnes Ceremonias non ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia inſtitutas & vſitatas, ſed ſenſim, pro vario in Dei cultum animorum motu ad pietatem ardentiorem & vehementiorem excitandam, diuerſis ſeculis excogitatas, vniuerſim affirmamus.

§. 3.

Iſtud nemini dubium videri debet, quandoquidem in Scriptura, Eccleſia vocatur *Domus*, 1. Timoth. 3. 2. Timoth. 2. *Ciuitas*, Math. 5. At nec domus, vno ac breui momento ædificari, nec Ciuitas ſuis omnibus partibus, ordinibus, ſtatutis, legibus illicò perfici ſolet. Ariſtoteles, 2. Elenchorum, ait, omnium rerum principia exigua eſſe. Et iſtud confirmat à ſimili, de artibus quæ progreſſu temporis perfectionem conſecutæ ſunt. Seneca, lib. 6. Quæſtion. Natural. c. 5. *Nulla res conſummata eſt dum incipit.* Paulo antea. *Noua omnia erant primo tentantibus, poſt eadem illa limata ſunt, & ſi quid inuentum eſt, nihilominus referri debet acceptum.* Elegans extat de ea re B. Epiphanij diſſertatio, hæreſi 75. quæ eſt Aërij, vbi Eccleſiæ Chriſti collationem cum Republica Iudaïca inſtituit. Deus primum vocauit Moſem ſolum, & virgam, Diuinæ potentiæ inſtrumentum, illi adtribuit. Deinde Aaron fratrem addidit, tum Principes familiarum ac Tribuum quaſi Senatum aliquem conuocari voluit, vt communi conſilio res quæque alicuius momenti gereretur. Ita Eccleſia Chriſti

pro temporum successione varia incrementa & dispositiones suscepit. Tria, ni fallor, tempora licet animaduertere, quibus Ecclesia Christi, vel nouos instituit, vel prioribus alios adiunxit ritus: Ab Apostolis ad Constantinum Magnum, de quibus B. Dionysius, S. Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, B. Cyprianus, S. Zeno Veronensis, alij. A Constantino Magno ad B. Gregorium Magnum, à B. Gregorio ad nostrum seculum. De his omnibus singillatim dicere, nec est huius loci, nec propositi ratio id postulat, quinetiam res est à summis viris confecta. Sed quam ob causam Sectarij adeò acerbè in nostras Ceremonias inuehantur, discutiamus.

§. 4.

Non placent seu quia innumeræ videantur, seu magnam partem à Iudæis atq; Gentilibus petitæ sint. Posteriori isti querelæ, SS. Patres aptissimè fecerunt satis, nec propterea repudiandas censuerunt, quamuis aliquid ipsis Iudaïcis, vel Ethnicis persimile repræsentarent. De priori postea videbimus. S. Augustinus, epistola 49. *Hoc nec prætereundum est, quod Templum, Sacerdotem, Sacrificia, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, nisi vni vero Deo deberi, nossent Dij falsi, hoc est, Dæmones, qui sunt præuaricatores Angeli, nunquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetiissent.* Ille idem Sanctissimus Episcopus lib. 22. de Ciuitate Dei, c. 10. *Illi*, .i. Pagani, *talibus Diis suis & Templa ædificauerunt, & statuerunt aras, & Sacerdotes instituerunt, & Sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non Templa, sicut Diis, sed Memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus, nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed vni*

Deo, & Martyrum & nostro, Sacrificium immolamus. Paulo post. *Deo, non ipsis sacrificat Sacerdos, quamuis in memoria sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.* Hoc est ipsi Martyres sunt de corpore mystico Christi, quod est Ecclesia. S. Hieronymus aduersus Vigilantium: *Qui cereos accendunt ad sepulchra Martyrum, Idololatras appellas huiusmodi homines. Non diffiteor omnes nos qui in Christo credimus, de Idololatriæ errore venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani, & quia quondam colebamus Idola, nunc Deum colere non debemus? ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.* Quàm apposité S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 20. in laudem S. Basilij, istud vrget, non ideo nos debere detestari & aspernari Cœlum, aërem, & cœtera id genus, quoniam Gentiles illa quondam adorarint, sed horum Creatori summo honos reddendus sit. Ita S. Augustinus, lib. 20. contra Faustum Manichæum, c. vltimo: *Etsi vsus quarundam rerum similis videtur esse nobis cum gentibus, sicut cibi & potus, tectorum, vestimentorum, lauacrorum, & qui ex nostris coniugalem vitam gerunt, vxorum ducendarum & habendarum, filiorum gignendorum, nutriendorum, hæreditandorum, longè tamen aliter his rebus vtitur, qui ad alium finem vsum earum refert, & aliter qui ex his Deo gratias agit, de quo praua & falsa non credit.* Hanc ex Tertulliano rationem desumpsisse videtur B. Augustinus. Sic autem habet Septimius Florens lib. de Corona militis, *Admittens quidem vtensilium communionem, sed prouocans eam ad rationalium & irrationalium distinctionem, quia passiuitas rerum fallit, obumbrans corru-*

ptelam conditionis, qua subiecta est vanitati. Dicimus enim ea demum & nostris, & superiorum vsibus, & Dei rebus, & ipsi Christo competisse, quæ meras vtilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessariis necessitatibus vitæ humanæ procurent: vt ab ipso Deo inspirata credantur propiore prospectore, & instructore, & oblectatore, si forte hominis sui. Quæ vero hunc ordinem excesserint, ea non conuenire vsibus nostris, præsertim quæ propterea scilicet nec apud seculum, nec in Dei rebus, nec in conuersationibus Christi recognosci est. Etsi nihil aliud occurreret quod Ceremoniarum nostrarum iniquis reprehensoribus reponeremus, quàm quod à B. Augustino proditum est, lib. 2. de Doctrina Christiana, c. 20. illud cuique moderatiori sufficere arbitrarer. Sic autem habet: *Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus, ad facienda & colenda Idola pertinens, vel ad colendam, sicut Deum, creaturam, partemue vllam creaturæ.* Quis in nostris Ceremoniis, ab Ecclesia institutis & probatis aliquid persimile deprehendat, nisi meris mendaciis & calumniis fidem omnino adhibendam affirmet?

§. 5.

Totum hoc de Gentilium imitatione, quàm lepidè, quàm acutè explanat S. idem Augustinus, lib. 2. de Doctrina Christiana, c. 18. *Nos*, inquit, *non propter superstitionem profanorum debemus Musicam fugere, si quid inde vtile ad intelligendas Sanctas Scripturas, rapere potuerimus; nec ad illorum Theatricas nugas conuerti, si aliquid de Citharis & de Organis quod ad spiritualia capienda valeat, disputemus. Neq; enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium: Aut quia Iustitiæ Virtutique Templa dedicarunt, & quæ corde gestanda sunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis Iustitia Virtusque fugienda est: Imò*

verò quiſquis bonus veruſque Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, vbicumque inuenerit, veritatem, quam confitens & agnoſcens etiam in literis Sacris, ſuperſtitioſa figmenta repudiet, doleatque homines atque caueat, qui cognoſcentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. S. Auguſtini locus hîc non otioſè & perfunctoriè legendus mihi videtur, vt potè qui ad quæſtionem, qua de agitur, & explanandam, & illuſtrandam plurimum conferat. Si enim veritas vbicumq; reperiatur, ſeu apud Gentiles, ſeu apud alios, Domini Dei eſſe dicatur, non minus eiuſdem eſſe dicetur quidquid actum & inſtitutum fuerit, quod ſuapte natura vnius Diuini Numinis honori congruere videatur, licet, praua hominis voluntate, creaturæ potius quam Deo tributum ſit. Hanc B. Auguſtini ſententiam mirum in modum illuſtrat quod Origenes, lib. 6. contra Celſum diſſerit. Poſtquam enim docuit Platonem præclara multa ſcripſiſſe, vt potè primum bonum eſſe ineffabile, & ſimilia, quæ nos cum audimus, non aſſentire non poſſumus. Deus enim & hoc, & quidquid aliud Plato & cæteri Philoſophi bene dixerunt, eis manifeſtauit. Mitto cætera quæ ſequuntur ab ipſo Origene elegantiſſimè diſputata. Lactantius, lib. 6. c. 8. paucis rem expreſſit: *Ego*, inquit, *eos qui vera imprudenter loquuntur, ſic habendos puto, tanquam diuinent: ſpiritu aliquo inſtincti.* Congruit iſtud B. Auguſtini ſententiæ, Epiſt. 28. *A quocumque verum dicitur, illo donante dicitur, qui eſt ipſa veritas.* Et aptiſſimè Epiſtola 52. *Luculentis ingeniis non deſit reſplendentia veritatis.* Sed illud præcipuum eſt quod ſcribit, Præfatione lib. 1. de Doctrina Chriſtiana. *Nonne*, inquit, *cum Moïſe Deus loquebatur, & tamen conſilium regendi atque adminiſtrandi, tam magni populi à ſocero ſuo, alienigena ſcilicet homine, & maximè pro-*

uidus & minime superbus accepit? Nouerat enim ille vir, ex quacumque anima verum consilium processisset, non ei, sed illi, qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse. Primasius, Prologo Commentariorum in Apocalypsim: *Sicut pretiosa in stercore gemma à prudente debet curari, colligi, & reperta dignitati ingenuæ reuocari, ita vndecumq; veritas clareat, Catholicæ deferenda est vnitati. Iustè namque fides à perfidis collegit, quod sui iuris esse cognouerit, nec prodesse potest alienis vsurpatum, sed filiis, cum veræ matri fuerit redditum. Si qua fuerint Ecclesiasticis vtilitatibus profutura, nostris sunt instructionibus applicanda, neque attendenda persona dicentis, sed qualitas consideranda est dictionis, licet vndecumque proficere & doceri,* aiebat S. Hildebertus Epistola 16. Incredibili certè pietatis affectu ista scripsit B. Paulinus, Epistola 4. ad Seuerum: *Quoniam Spiritus vbi vult spirat, & audio vocem eius, & nescio vnde veniat. Igitur vbique auram eius captabo, vndecunque vel tenuem halitum legam, vel in domo indigni, vel Pharisæi audiam iustum venisse, contendam præripere hospitis gratiam, præripere si possim Regnum Cœlorum. Vbicumque mihi resonauerit Christi nomen, accurram; ad cuiuscunque interiorem domum Iesum intrare cognouero, & ipse properabo.* Si quid igitur obsequij, venerationis, reuerentiæ erga Diuinum Numen, in Gentilium vel scriptis, vel ritibus expressum, non tanquam imitatione praua mihi vendicabo, sed velut ab iniustis possessoribus merito repetam: denique summa impietate & scelere obscuratum, conspurcatum, suo germano ac natiuo splendori, atque nitori restituam.

§. 6.

Tandem de semita in viam. Innumeras esse conqueruntur Ceremonias, quarum numerus vel iniri, vel ratio

reddi non poſſit. Illud citra controuerſiam vllam aſſeuerare poſſumus, quæ ab Eccleſia vniuerſa & vſu receptæ & probatæ fuerint, Ceremonias facile numerari poſſe. At ſingularum, quæ in toto orbe exiſtunt, Eccleſiarum Ceremoniæ peculiares, iam non vniuerſam Chriſti Eccleſiam obſtringunt. Is eſt cuiuſque populi vnaquaque Diœceſi ſingularis deuotionis affectus, qui alteri populo & Diœceſi legem non dicat vel præſcribat, vt ex B. Auguſtino, Epiſtola 118. colligere eſt. Neque vero abnuo plebeios, & plus æquo ſimpliciores ac rudiores nonnullos homines, ſibi multa perſuadere quæ Diuino honori, & Sanctorum venerationi maximè congruere videantur, quæ tamen nec Eccleſia in Conciliis generalibus, nec vlla Prouincia, Metropolitano Præſide, nec quilibet Epiſcopus ſua in Diœceſi probet. Quin ea in horum hominum animis, tam altas egerunt radices, vt nullis legibus Eccleſiaſticis, atque adeo politicis & ciuilibus aut vix euelli poſſint. Quid de iſtis ſtatuendum ſit, nos docet S. Auguſtinus, libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ, c.34. Sic Manichæos alloquitur: *Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti ſint quidquid promiſerint Deo. Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, noui multos eſſe qui luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant, & voracitates ebrietateſque ſuas deputent Religioni. Noui multos eſſe, qui renunciauerunt verbis huic ſeculo, & ſe omnibus huius ſeculi molibus opprimi velint, oppreſſique lætentur.* Vno verbo ſatisfecit Iſidorus Peluſiota, lib. 2. Epiſt. 241. dum ait Religionem Chriſtianam non eſſe æſtimandam à ſtoliditate vulgi. Maioriani Imperatoris vox Chriſtianiſſimo

Principe

Principe digna, Tit. 8. Nouellarum: *Religionis sacrosanctę venerationem lędi commentis mortalium figmentisque prohibemus.*

§. 6.

Nunc Ceremoniarum reprehensionis caput præcipuum excutiamus. Ceremonias nostras vel à Iudęis, vel à Gentilibus profectas dictitant, meramque illarum imitationem esse pronuntiant. De Iudaicis non est quod hoc tempore particulatim magis & copiosius dicamus, quandoquidem generalis duntaxat de iis omnibus instituta sit disputatio. De Gentilium itaque Ceremoniis pręsertim dicendum est, easque vel Iudaicarum, vel, quod mirandum, nostrarum praua quadam æmulatione institutas fuisse demonstrandum. Ac Dęmonem istarum Ethnicarum & auctorem & suasorem principem extitisse nullus dubito: veterum Patrum ea sententia est. Vnicũ mihi satis erit Iulij Firmici, lib. de errore profanarum Relig. testimonium: *Omnia*, inquit, *symbola profanæ Religionis per ordinem suggerantur, vt probemus nequissimum hostem generis humani de sanctis hæc venerandisque Prophetarum Oraculis ad contaminata furoris sui scelera transtulisse.* In veteri Testamento, Prophetæ, Diuino afflatu, res mirandas à Messia venturo perficiendas prędnuntiarant, ista omnia Dæmoni non ignota, inde imperium suum euersum iri intelligens, sibi in posterum satis cauisse arbitratus est, si partim per Poëtas ista omnia de Christo prędicta referri occuparet, & ea meris fabulis, & commẽtitiis figmentis inuoluta, eo quidem astu & singulari calliditate, vt cùm à Christo vero Messia, postea veniente, illa fieri cernerent homines Gentiles, anticipata quadam opinione, hæc non pluris facerent quàm Poëtarum nugas fictitias, iam mul-

tis antea seculis decantatas. Nam Paccuuij dicto, *Poëtæ pro sua parte falsa conficta canunt, qui causam humilem dictis amplant*. Pacc. Teucro. Ista est elegans dissertatio B. Iustini Martyris, Apologia secunda. Et quidem Poëtas à Dęmonibus inspiratos fuisse tradit Theophilus ad Autolycum, lib. 2. Non ago hîc de iis actionibus, quæ ipsi Christo peculiares extiterint, vt quod ex Virgine natus, quaslibet ægritudines persanarit, in Cœlum ascenderit, quibus quid apud suos opposuerit, vnico dempto Crucis supplicio, perditissimus desertor, explicat sanctissimus Christi Martyr. At ritus ipsos à Christo & ab Apostolis institutos, insigni sacrilegio, suis in Sacris nefandis vsurpatos pręsertim, expendere licet. Nouerat Prophetarum oracula, de rebus in noua lege à Christo condenda instituendis, quarum figuræ in veteri lege haberentur, has à Iudęis acceptas vel oraculorum responsis à se confictis, vel priuato quodam instinctu & suggestione, vel ludicris quibusdam & ridiculis prodigiis, vel denique ementito læsarum religionum prætextu, aliquantum & nonnunquam interpolatas suis seruandas proposuit. Quod in Romanorum superstitione deprehendere est. Numam Romanarum Ceremoniarum auctorem primarium nemo nescit, de quo nos ex instituto disseruimus, Commentario de Idololatria Magica. Vnum hoc subiiciam ex Tertulliano, lib. de Præscriptionibus, Diabolum, Numæ Pompilij opera, tot tamque varia sacrorum & rituum genera instituentis, morositatem illam Iudaïcæ legis imitatum fuisse. Addo & istud Minutij Fœlicis, in Octauio: *Romani vniuersarum gentium Sacra suscipiunt*. Et paulo post: *Specta de libris memoriam, iam eos deprehendes imitasse* (sic editio Gelenij & nota vox Varroni apud Nonium) *ritus*

omnium Religionum. Quamquam non parum ab illa sacrorum suorum veteri disciplina deflexerint postea, teste doctissimo togatorum, Satyra, ταφει Μενιππου, iis verbis: *Hæc Numa Pompilius fieri si videret, sciret suorum institutorum nec volam, nec vestigium extare.*

§. 7.

Verùm vt natura fert hominum, cuipiam aliquantulum curioso gratificari desiderans, pauca attingam Gentilium Sacra, quæ cum Iudæorum ritibus aliquam nec leuem habeant consensionem. Quod antequam aggrediar, non minimi momenti quæstio prius explicanda venit. Constat Iudæos & Gentiles lucos velut sacra quædam domicilia, & Diuinitatem quandam complexa coluisse. De Iudæis istud notum est. Ecclesiastici 49. scriptum est: *Præter Dauid & Ezechiam & Iosiam, omnes Reges peccatum commiserunt.* Attamen, vt alios omittam, de Rege Asa istud pronuntiat Scriptura, 3. Reg. 15. *Fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, & abstulit effœminatos de terra, purgauitque vniuersas sordes Idolorum, quæ fecerant Patres eius. Excelsa autem non abstulit.* Idem de Iosaphat scriptum, 3. Reg. c. 22. *Et ambulauit in omni via Asa patris sui, & non declinauit ex ea, fecitque quod rectum erat in conspectu Domini: Veruntamen Excelsa non abstulit, adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.* Cuiusmodi autem fuerint Excelsa illa, intelligere est ex c. 23. lib. 4. Regum, vbi narrat Scriptura Iosiam Excelsa contaminasse, lucos succendisse, Altaria euertisse. Vt hæc tria coniuncta intelligamus, quæ maximam in Deum impietatem arguebant. Nec alius, aut certè non multum dissimilis, Iudæorum cultus hic, ne religiosus quidem, imo potius profanus, quàm Gentilium

venerantium montes & lucos. Lucianus, Dialogo de Sacrificiis, hanc Paganiſmi originem tradit, quod priſci illi homines Diis lucos primùm adtribuerunt, tum montes dicarunt, deinde aues conſecrarunt. Origeni, lib.5. contra Celſum. Perſæ montem pro Ioue venerantur. Sic Maximo Tyrio, Serm. 38. Apud Lycios Olympus in veneratione erat, & ignis quem ille eructabat, Templi & ſtatuæ loco habebatur. Similiter apud Cappadoces, mons, & Deus, & Iuſiurandum erat ac ſtatua. In Africa, eodem auctore, inter Atlantem montem & mare, medium iacebat nemus, Lybicum hoc Templum, hic Deus erat, hunc iuriiurando teſtem inuocant, hanc habent ſtatuam. Lucorum non minor veneratio. Tacitus, de moribus Germanorum: *Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant, ſecretum illud quod ſola reuerentia vident.* Apud Romanos etiam, Orator Princeps, 2. de Legibus: *Conſtructa à patribus delubra habento. Lucos in agris habento.* At quales haberentur, docet lex 7. D. 18. tit. 6. & l. 51. tit. 1. eiuſdem libri, nimirum eiuſdem generis atque viæ publicæ, limites, littora, loca ſacra, religioſa, hoc eſt, nullius priuati iuris, quia ipſi luci ſacri ſint. Seruius in hunc locum Virgilij, 1. Æneid.

—— *Lucus in vrbe fuit.*

Vbicunque, inquit, *Virgilius Lucum ponit, ſequitur conſecratio. Dicuntur enim Heroum animæ Lucos tenere.* Et in tertio Æneidos ait, *in Lucis habitare Manes piorum, qui Lares viales ſunt.* Et in 9. Æneid. *Nunquam eſt Lucus ſine religione.* Procopius, in lib. 1. Regum, c.7. Vbi Luci ſint, ibi ſtatuas eſſe affirmat. Et libri 4.c.17. Lucos Dæmonum Excelſa interpretatur. Idem etiam in caput 18. Altaria in excelſis conſecrata exponit. Hinc Tacitus, de moribus Germa-

norum, ait, Germanos ad bellum proficiſcentes è Lucis, effigies & ſigna quædam velut Numinum ſuorum educere. De iis Aggenus Vrbicus ad Frontinum, ita diſſerit: *In Italia autem multi, creſcente Religione ſacratiſſima Chriſtiana, Lucos profanos, ſiue Templorum loca occupauerunt & ſerunt. Profanos* autem appellat, id eſt, pollutos & contaminatos, & poſtea idem exponit. *Profanum dicitur, quod dum ſanctum fuiſſet, poſtea in vſu hominum factum eſt.* Cur verò Sacra Scriptura hos damnet Lucos, ratio aperta eſt, non modò quia ibi Altaria & prohibita ſacrificia, ſed quoniam loca erant ad omnem laſciuiam & luxuriam comparata, & meræ peccandi latebræ. Hinc Horat. lib. 1. Ode 12. *Parum caſtos Lucos* dixit. Item Tertullianus, lib. de pudicit. Mœchiam ſeu fornicationem ita diſſerentem inducit: *Sciunt Luci mei, & mei montes, & viuæ aquæ, ipſaque in vrbibus Templa, quantum euertendæ pudicitiæ procuremus.* Nunc quæritur, an Iudæi à Gentilibus, an contrà Gentiles à Iudæis, Lucorum & montium cultum impium didicerint, nefandæ iſtius ſuperſtitionis non alius fundus & auctor quam Diabolus, Dei æmulus, quod toties inculcat Tertull. Nouerat Deum, Geneſ. 22. præcepiſſe Abrahæ, vt filium ſuum Iſaac illi ſacrificaret ſuper vnum montium quem monſtraturus eſſet. Deinde Exod. 3. Deus Moſi ſibi ſacrificium offerri præcipit ſuper montem Oreb. Iſtud idem tum Gentilibus, tum Iudæis impiis ſibi præſtari voluit ille Dei ſimia, & perſuaſit. Quamquam vt de Lucis aliquid dicamus, docet me Origen. lib. 3. contra Celſum, Ægyptios fana additis Lucis cōſtructa habuiſſe, quam ab ipſis impietatem Hebræos didiciſſe facile mihi perſuaſerim. Liceat & iſtud Auctarij loco adiicere, quoniam de Abrahæ ſacrificio in monte, incidit mentio, apud Iulium

Firmicum, lib. de err. profan. religion. *Arborem suam Diabolus consecrans, intempesta nocte arietem in cæsę arboris facit radicibus immolari.* Nouerat veterator summus, Abrahæ immolaturo filium iussu Dei, arietem suppositum & in vicinæ arboris radicibus alligatum, postmodum victimæ prioris paratæ loco mactatum. Genes. 22.

§. 8.

Postea dicendum est de eo ritu, qui omnium maximè obseruatione dignus, apud Romanos Plutoni & Proserpinæ huiusmodi sacra fiebāt in agro Terentino. Zosimus, Tarentinum vocat iuxta Tyberim, in foueam viginti pedum altitudinis descendebat Pontifex, huic scrobi imponebatur tabulatum foraminibus plenum, in quo, siue bos, siue iuuenca furua collocata, telis multisque ictibus conficiebatur & ita immolabatur. Pontifex ibi delitescens vndique rimis & foraminibus effluentem sanguinem toto corpore & vestitu excipiebat, qui inde egrediens, magna veneratione à populo colebatur, vt qui sanguine totus tinctus, Deos Inferos placasset. Eius rei extat elegans descriptio, apud Prudentium, in Hymno S. Romani Martyris; vt & Zosimum lib. 2. qui hæc sacra ad ludos seculares referre videtur. Gentiles, siue à Dæmone edocti, seu lectione librorum Sacrorum, illud repræsentare voluerunt quod apud Iudæos, Dei præcepto, factitatum fuit, Leuitic. 16. & paucis explicat Apostolus, Epistolæ ad Hebræos, c. 9. Summum Pontificem semel in anno intrare solitum in Sancta Sanctorum, non sine sanguine immolatæ hostiæ, quam ipse obtulisset pro se & populi delictis, adhibita solemni sanguinis aspersione pro sui ipsius & totius populi expiatione.

§. 9.

Nunc de ſemita in viam. Ordiar itaque à Codice Sacrorum. Apud Pauſan. in Arcadicis, Græci Arcades, qui Phæneatæ vocantur, duos aſſeruabant lapides ſibi inuicem ritè aptatos, in quibus concluſus erat Codex, continens ritus & Ceremonias quibus vtendum erat in ſacris Cereris, quæ fiebant exemplo Eleuſiniorum Sacrorum. Annon iſtud erat repræſentare duas tabulas lapideas, Moſi, à Deo datas, quibus vniuerſa in Deum religio continebatur? Ad ſacra acceſſuris mundities ac proinde expurgatio aliqua, adhibita præſertim aqua, præcipiebatur. Hæc ſunt notiſſima. Et illud tantum adiiciam, Gentiles in Templis ſuis, vel fontes, vel puteos habuiſſe, iſtius purificationis gratia. Apud Plautum, in Rudente, illud obſeruare licet, & meminit S. Auguſtinus, epiſtola 153. Seruius in 2. Æneidos ex Cincio, ait, *Delubrum eſſe locum ante Templum, vbi aqua currat*. Fortè *lacum* non *locum*, legendum eſſe aliquis ſuſpicetur, quandoquidem Seruius idem, in 4. Æneidos Delubrum dictum ait, *propter lacum in quo manus abluuntur*. Iſidorus lib. 15. Originum, c. 4. ait *Delubra eſſe Templa fontes habentia, quibus ante ingreſſum* (Gentiles) *diluebantur*, hoc eſt, purgabantur. Vnde Vitruuius lib. 1. c. 2. In conſtruendis Fanis ſuorum Deorum iſtud monet, *Primum omnibus Templis ſaluberrimę regiones aquarumque fontes in his locis idonei eligentur, in quibus Fana conſtituantur.* Eximiè Lactantius lib. 5. c. 19. *At illi infœlices nec ex ſceleribus ſuis intelligunt quàm malum ſit quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati, veniunt ad precandum, & ſe piè ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem lauerint, tanquam libidines intra pectus incluſas illi amnes abluant, aut vlla maria purificent.* Adde Iul. Firmic. lib. de err. prof. relig. Narrat Sozomenus lib. 6.

hist. Eccles. c. 6. Valentinianum, qui postea Imperator creatus est, sub Iuliano Parabata tum Imperatore, Templum Gentilium ingredientem, à Sacerdote Fani, ritu Gentili aqua adspersum, rami oliuæ instrumento, allusum fortè ad illud Virgilij 6. Æneidos:

Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuę.

S. Iustinus Martyr, Apolog. 2. existimat Gentiles ex Iudæis, id est, libris Prophetarum, istud didicisse, præsertim ex c. 1. Esaiæ: *Lauamini, mundi estote.* Exod. 30. *Facies & labrum æneum cum basi sua, ad lauandũ: & missa aqua, lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare legitimum sempiternum erit ipsi & semine eius per successiones.* Singulare istud de Ægyptiis Sacerdotibus apud Ælianum, lib. 7. de animalibus, c. 45. Illi namque non quauis aqua sese expurgabant & lustrabant, nec ex alia quàm ex qua Ibidem auem bibisse credant, verè siquidem norunt hanc auem nunquam gustare aquam sordidam, aut vllis venenis inquinatam. Christianis in veteri Ecclesia, ablutiones vsitatas fuisse, ab aliis adnotatum est: Et addo, vas, in quo aqua huiusmodi lustralis habebatur ad fores Ecclesiæ, appellari χερνίβον, Sinesio, ep. 121. quæ vox apud Atheneum legitur, lib. 9. c. 18.

§. 10.

Gentiles in Templo Vestæ ignem æternum asseruabãt. Virgil. 2. Æneid.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Seruius ad hunc locum: *Vestæ ignis æternus est. Ecce ipse exposuit quid est Vesta, hoc est, ignis perpetuus.* Virgilius quarto Æneidos, *Vigilem ignem* dixit. Pindari Scholiastes, scribit,

bit, apud Græcos, loca in quibus ignis ille perpetuus aſſeruabatur, πρυτανεῖα nominari, quæ nihil aliud erant quàm domus publicæ, in quibus ignis ille ſempiternus religiosè ſeruabatur; in quibus etiam Magiſtratus habitabant, & ciues de ſuis bene meriti, publico ſumptu alebantur. Auctarij vice iſtud adiiciam, in Græcorum Prytanea nonnulla ingredi, mulieri vlli fas non fuiſſe, Athenæo, lib. 4. c. 13. Sed vnde Gentiles ignem iſtius generis excogitarint, hinc apparet, quod habetur Leuitici, c. 6. *Ignis in Altari ſemper ardebit.* Paulo poſt: *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari.* Sunt qui ignem illum perpetuum, præſertim apud Græcos, nihil aliud fuiſſe affirmant quàm lucernam perpetuò ardentem. Sacerdotes Iouis Ammonis in Africa habebant lucernam inextinguibilem in Templo, quæ toto duraret anno, vt refert Plutarchus, lib. de defectu Oraculorum. Germana hæc Iudaici ritus imitatio. Exod. 27. *Ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum, quod oppanſum eſt teſtimonio. Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vſque mane luceat coram Domino.* Idem repetitur eiuſdem libri c. 30. *Mane Aaron componet lucernas, & collocabit eas ad veſperam.* Et mentio habetur, 1. Reg. c. 3. Ioſephus, lib. 3. Antiquitatum, c. 9. ait, ſeptem lucernas extitiſſe, quarum tres tantum per noctem accenſæ, die verò reliquæ quatuor adijciebantur. Procopius in libros Reg. vnam memorat lucernam ſanctam, quam veſperi accendere ſolerent, & media nocte oleum imponere. Lib. 4. c. 17. c. 18. 1. c. 3. Gentiles victimam immolandam prius explorabant, ne quid vitij huic ineſſet, quod ſuorum Deorum oculos offendere videretur, quod à permultis hactenus explicatum, pauca hæc adiungam. Orator Princeps, oratione 2. contra Rullum:

Erant hostiæ maiores in foro constitutæ, quæ ab his Prætoribus, de Tribunali, sicut à nobis Consulibus de consilij sententia, probatæ, ad præconem & ad tibicinem immolabantur. Seruius in illud Virgilij 4. Æneid.

--- *Mactant lectas de more bidentes.*

Moris, inquit, *fuerat, vt ad sacrificia eligerentur oues, quibus nihil deesset.* Vt in sexto:

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos.

Eodem pacto Plinius, lib. 8. Hist. c. 45. *Nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari* dixit. Meminit Aristophanes Lysistrata. Philo lib. de Agricult. Lucian. Dialogo de Sacrif. Aristoteles apud Athenæum, lib. 15. c. 5. Mutilum nil Diis offerendum ait, sed quod integrum ac perfectum sit. Hinc victimæ coronatæ; quæ res integritatem & perfectionem denotabat. Iudęis à Domino datum pręceptum, Leuitici, c. 22. *Immolandus masculus immaculatus erit ex bobus, ex ouibus, & ex capris. Si cœcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* Malachiæ, c. 1. repetitum. Ritum hunc in hostiæ immolatione Gentiles seruasse leguntur, de quo Seruius in illud Virgilij 2. Æneidos:

Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.

Sal & far, quod dicitur mola salsa, qua & frons victimæ, & foci aspergebantur & cultri. Fiebant autem de horna fruge, & de horno sale, vt ait Horatius, *Et horna fruge.* Cuius confectionem declarat ipse idem Seruius ad versum, *Sparge molam*, Ecloga 8. quem *hornum salem* priore loco dixit, salem coctum & durum nominat posteriore: *Hornam frugem*, Acron, nouellam seu messis huius anni exponit. Plinius, lib. 31. c. 7. *Maximè in Sacris intelligitur salis auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa. Salem Sacrum*

dixit eam ob rem Homerus, vt vulgo explicant, & eadem mente Ptolemeus Hephæstion, apud Photium in Bibliotheca numero 190. τοὺς θείους ἅλας. De sale plura dicturi sumus in Appendice lib. 1. Selectorum. Iudæis præceptũ hoc datum, vt nullum Sacrificium fieret absque Sale. Leuitici, c. 2. *Quidquid obtuleris Sacrificij, sale condies, nec auferas Sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* Marci cap. 9. Christus dixit Discipulis, *Omnis victima sale salietur.*

§. II.

In Sacrificiis nonnullis, quin & precationibus Gentiles varias conuersiones & Circuitus edebant, vt potè si lustratio agebatur, de qua re plus satis qui antiquos illos Romanæ superstitionis ritus explicarunt. Et postea ex collatione expendemus. Iudæorum illa religio fuit, cum iussu Diuino, Iosue, c. 6. Sacerdotes Arcam illam Sacram gestantes, totis septem diebus vrbem Hiericho circuierunt. Quorum exemplum secuti sunt Christiani etiam in veteri Ecclesia. Ita enim sine vllo præiudicio Tertullianum explicare liceat. Tertullianus Apologetici, c. 39. *Coimus in Cœtum & Congregationem, vt ad Deum quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes.* Cum bona eruditiorum venia, *Ambiendi* vocem excutere nobis fas sit. *Ambire*, hoc loco pro, *Circuire*, vsurpatum videri potest. Mitto Festum, in verbo, *Ambitus*. Macrobius, lib. 1. Saturnal. c. 14. in voce, *Ambire, am* particulam idem valere ait, ac, circum. Manilius lib. 2.

Non esset statio terris, non Ambitus astris.

Audio quempiam eiusdem Tertulliani auctoritate & manifestis verbis istud pernegantem. Sic enim habet, libro de cultu fœminarum, dum illas iam factas Christianas, atque eiurato paganismo, sic alloquitur. *Nec Templa cir-*

cuitis, nec ſpectacula poſtulatis, nec feſtos dies Gentilium noſtis. Ita Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 10. de Paganis Sacrificiis & Templis, l. 11. Impp. Gratian. Valentin. Theodoſ. *Nulli ſacrificandi tribuatur poteſtas, nemo Templa circumeat.* Nodum ex eodem Tertulliano ſoluo, non ſcindo. Quo ſenſu Tertullianus eo loci negauit Chriſtianos celebrare feſtos dies Gentilium, eoſdem Templa circuire diffitetur. Nec tamen ille ipſe vetat Chriſtianos pro Natalitiis Martyrum, oblationes annua die facere, quin iſtud apud fideles fieri aſſeuerat, libro de Corona militis. Neque vero Chriſtianos eodem ritu, Beatorum ſuorum natales dies coluiſſe, ac Gentiles ſuorum Deorum feſtos dies credere par eſt, hinc longe aliam & multum diſſimilem apud Chriſtianos veteres, ſeu Cœmeteria, ſeu Conuenticula, ſeu alia publicæ orationis loca, circumeundi ſiue ambiendi rationem extitiſſe, atque apud Gentiles, ſua Templa. Quamquam, vt verum fatear, Chriſtiani verbo, *Circumeundi*, abſtinuerint, ſed *procedendi* vſi ſint, quod vnam eandemque rem repræſentat. Tertulliano vox illa vſurpata, & vulgari quo nos vtimur ſignificatu, lib. 2. ad vxorem, quam difficile vxor Chriſtiana Gentili marito omnino in re familiari ſatisfacere poſſit, inter cætera iſtud recenſet. *Si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniat.* Sanctis Patribus retenta vox eadem notione, vt & illa, *Pergendi*. S. Hieronymus Epiſt. 22. Ad Euſtochium: *Rarus ſit egreſſus in publicum, Martyres tibi quærantur. In cubiculo tuo nunquam cauſa deerit, Procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe eſt, proceſſura ſis.* Et Epiſtola 61. aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani. *Cum de* Αναςάσει, (hoc eſt, de Eccleſia Reſurrectionis D.N.) *pergeretis ad Crucem, & ad eum omnis ætatis & ſexus turba conflueret.* S. Ambroſ.

Epistola 29. loquens de Monachis, à quibus Fanum Valentinianorum hæreticorum incensum asserebant. *Psalmos canentes ex consuetudine vsuque veteri, pergebant ad celebritatem Machabæorum Martyrum.* Gentiles pompâ quadam publicâ suos circumferebant Deos: Insignis istius descriptio habetur apud Athenæum lib. 5. c. 7. & Apuleium, Milesiarum lib. 11. & Lampridium in Commodo Antonino, Anubin Ægyptiorum Deum portante, & capita depilata Isiacorum grauiter obtundente ore simulachri. Meminit & Herodianus lib. 5. similis pompæ, Heliogabalo Imperatore illius auctore & actore præcipuo. A Iudæis hæc petita, qui ossa Ioseph Patriarchæ ex Ægypto in terram promissam variis mansionibus peragratis asportarũt. Quin & Arcam illam plane Cœlestem, in qua Deus requiescere dicebatur toties, siue in castris, seu variatis sedibus circumtulerunt. Et Arca ab ipsis Philistæis Deus vocatur, 1. Regum, c. 4. cum in castra Hebræorum adducta esset Arca & istud nossent Philistæi dixerũt, *Venit Deus in castra.* Est & illud de Iudæis in deserto totis quadraginta annis erronibus diligenter notandum, qui insanè valdè in Idololatriam propensi vicinarum quas attingebant gentium, seu consuetudine, seu æmulatione, Deos & colerẽt, & eorum simulachra in ipsis etiam castris sanctis deferrent. Auctor mihi Amos Propheta, apud quem legere est istud, c. 5. Et portastis tabernaculum Moloch Deo vestro, & Imaginem Idolorum vestrorum, Sydus Dei vestri Repham figuras quas fecistis vobis adorare eas. Sanctus Hieronymus in hunc locum scribit hinc nobis constare Israelitas impios & præuaricatores etiam in deserto ipsi Moloch, siue Melchom, siue Molech, quasi Melech dixeris hostias & sacrificia obtulisse

Sydus Dei veſtri Repham cuius meminit S. Stephanus, Actor. 7. Sanctus Hieronymus Hebraicè vocat כּוֹכָב & Luciferum, ſeu Veneris ſtellam Græcis, φωσφόρον interpretatur, quam Sarraceni .i. Arabes, ſuo tempore venerarentur.

§. 12.

Addam & illud Auctarij loco, Gentiles Principibus vrbem aliquam, ſui præſertim Imperij, ingredientibus obuiam ire ſolitos, non ſine Sacris ſuis. Antoninum Caracallam Imperatorem Alexandriam ingredientem excepere Sacerdotes Ægyptij, cum ſuis Sacris, auctor Xiphilinus, in Caracalla. Idem etiam præſtitum Veſpaſiano Imperatori, eandem Alexandriam ſubeunti, ac tum Sacerdotes illi Ægyptij non tantum Sacra ſua prætulerunt, verumetiam & memorandum Codicem, continentem leges ſuorum myſteriorum, vt narrat Philoſtratus, lib. 5. de vita Apollonij, c. 9. Exceptus eſt eodem ritu & pompa Rex Attalus Athenas adueniens, apud Liuium lib. 31. & Polybium Eclogis legationum, Eclog. 3. Iampridem iſtud à Iudæis factitatum, vt cum Iaddus Summus Iudæorum Pontifex, religioſo ornatu & apparatu maximo, non longe ab vrbe Hieroſolymitana, Alexandro Magno iuit obuiam, vt deſcribit Ioſephus lib. 11. Antiquit. c. 8. Non aliter Hieroſolymitani, Agrippam illum Augusti generum, Herode magno deducente, aduentantem exceperunt, apud eundem Ioſephum Antiquit. lib. 16. c. 2. Chriſtianos noſtros non iam Gentilium, ſed potius Iudæorum hac in parte imitatores eſſe dixero. Quod ſi quis reprehendat, maximo ſcelere & impietatis nota ſeſe obſtringere intelligat. Seruatori Chriſto, vero Regi Meſſiæ, Hieruſalem ingredienti itum eſt obuiam, à maxima Ciuium

multitudine, incredibili & festiua celebritate, acclamatum à viris, à pueris, ab omnibus deducentibus, in Templum vsque: *Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel;* Totum hoc approbauit Christus, Pharisæis, Principibus Sacerdotum, & Scribis istud ægrè ferentibus, & minimè probantibus. Matth. 21. Ioan. 12. Marci 11. Religiosum hoc exemplum pridem nostri Franci, vt cæteros sileam, æmulati sunt. Chilpericus Rex Lutetiam Parisiorum ingrediens, exceptus est ab omnibus ordinibus, Sanctorum Reliquiis, & vexillis præcedentibus, quemadmodum scribit Gregorius Turonensis lib. 6. historiæ Franc. c. 27. Itidem Guntrannus Rex Aureliam adueniens, susceptus, vexillis & signis præcedentibus, variis nationibus, pro cuiusque lingua & idiomate, Chorum cantantium instituentibus, Latinis, Syris, Iudæis, addita generali acclamatione, *Viuat Rex*. Episcopo nouo vrbem suæ Diœceseos in qua sedere deberet, ingredienti, pari festiuitate itum est obuiam. Itidem & Duci Regio in vrbem suæ curæ & administrationi commissam aduentanti, vt videre est apud Gregorium Turonensem, lib. 6. historiæ Françorum, c. 11. & lib. 10. c. 9.

§. 13.

Ad secundam huiusce Syntagmatis disputationem peruenimus, qua contendimus etiam Gentiles Christianorum ritus imitari voluisse. Quod antequam explicemus, non possum prætermittere quod de ea re generatim proditum est Constitut. Apostolicarum, lib. 2. c. 28. Gentiles nimirum in illis suis sceleratis & detestabilibus Sacris vsque in hunc diem Sancta, & quæ olim à Deo præcepta, atque vno nomine quæcunque sanctitatem & religionem habeant imitari. Narrat Sozomenus, lib. 5. cap. 15.

Hiſt. Eccl. Iulianum Imperatorem, & Chriſtianæ fidei deſertorem nefandiſſimum, Epiſtolâ ad Arſacium, Pontificem Galatiæ, ſcripta, præcepiſſe Gentiles ea omnia peragere & factitare, quæ apud Chriſtianos fieri conſueuerant, videlicet, Templa exornanda, ordines inſtituendos Doctorum & Lectorum, diſtinctorum per varios gradus & ſubſellia, tum preces adſignandas in certas horas, & dies, necnon Monaſteria virorum ac mulierum inſtituenda, itidem Xenodochia: Pœnitentiæ pro delictorum varietate varias leges & formas conſtituendas: Similiter à ſuorum Gentilium Antiſtitibus, literas pacificas, ſeu formatas, perſimiles Epiſtolis Chriſtianorum Epiſcoporum, conſcribendas: Denique eaſdem regulas pro diſciplina ſuorum Sacerdotum ſtatuendas, quæ apud Chriſtianos nil aliud erant quam Canones Niceni, & aliorum particularium Conciliorum, vt pote Laodiceni, Antiocheni, & ſimilium. Sed hoc vnum dubitationem omnem tollit, quod de Afris Gentilibus memoriæ proditum eſt: Illi ſiquidem in Sacris cœleſtis Deæ, quæ ab iis ſingulari religione colebatur, (ſeu Aſtarte Sidoniorum fuerit, ſiue Luna, ſeu Venus aut Iuno, quæ aliàs Vrania dicta eſt) vſurpabant formulas Eccleſiaſticas Chriſtianorum, *Pax vobis*, vel, *Dominus vobiſcum*, quas didicerant à Chriſtianis, & iis vtebantur in veneratione Idoli iſtius. De quibus iſta ſcribit Saluianus, lib. 8. *Quis non eorum*, Afrorum, *qui Chriſtiani appellabantur, cœleſtem illam, aut poſt Chriſtum adorauit, aut, quod eſt peius, multo antequam Chriſtum.* Paulo poſt: *Nam etiam ipſam quodammodo Eccleſiæ ſalutationem Idolo præſtiterunt, quia ſecundi loci officioſitas honori illius proficit, cui principalia deferuntur. Ecce quæ Afrorum, & maximè nobiliſſimorum fides, quæ religio, quæ Chriſtianitas fuit,*

dice-

dicebantur Christiani ad contumeliam Christi. Si quis argutulus ex iis verbis me antea non rectè Afros illos appellasse Gentiles contendat, cùm disertè Christiani vocentur à Saluiano. Nec à vero abhorret, & ita existimo, Gentiles, qui in illo cœlestis Deæ Templo versabantur, & Sacris aderant, cùm audirent Christianos in eodem Templo & Sacris præsentes, huiusmodi formula vtentes, eorum exemplum secutos. Quin illos Christianæ professionis, vt videbatur, homines, pseudo-Christianos, & ipsis Gentilibus hac in parte magis impios & detestabiliores testatur idem Saluianus iis verbis : *Quis illi Idolo* (cœlestis Deæ) *non initiatur? Quis non à stirpe ipsa, forsitan & natiuitate deuotus? Nec loquor de hominibus, sicut vita, ita etiam professione ac vocabulo Paganis; & qui sicut prophani erant errore, sic nomine. Tolerabilior quippe est, & minus nefaria Gentilitas in hominibus professionis suæ, illud perniciosius ac scelestius, quod multi eorum qui professionem Christo dicauerant, mente Idolis seruiebant.*

§. 14.

Et quoniam Sacrificiorum apud Gentiles nunc iniecta est mentio, non longiusculè à proposito digrediar, si de ipsorum Sacrificulis istud monuero, Gentiles præter singulares cuiusque Templi Sacerdotes, habuisse etiam Pontifices Majores, & in vnaquaque Prouincia Summum, qui Prouinciæ Sacerdos vocabatur. D. lib. 27. tit. 1. l. 6. ex Modestino. Vulgata lectio habet: *Gentium præsidatus Asiæ, Bythiniæ, Cappadociæ.* Corruptam illam esse docet vir vt dignitate, ita & eruditione clarissimus Antonius Augustinus, ad Modestinum, & *Prouinciæ Sacerdotium*, reponendum esse contendit, quandoquidem Pandectarum Florentinarum vera & genuina lectio sit, ἔθνους ἱερωσύνη.

Nam quæ dicuntur Asiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia, Sacerdotia sunt. D. lib. 50. tit. 5. l. 8. *Asiæ Sacerdotium* nominatur. Sic Constantinus Magnus, Cod. lib. 5. tit. 27. l. 1. *Phœniciarchiæ, vel Syriarchiæ Sacerdotia* dixit. Basilicorum lib. 38. tit. 1. Lex illa superius allata, D. lib. 27. tit. 1. ita ex interpretatione repræsentatur. *Sacerdotes Prouinciarum*, hoc est, Asiarchæ & reliqui, quamdiu hoc honore funguntur, vacationem habent. Scholiastes, *Perfectissimos* appellat, quæ res Antonij Augustini correctionem, *Perfectissimos*, pro *Præfectis*, emendantis firmat. Scholiastes, Sacerdotia eiusmodi vocat, *Ciuilia munera*, cùm Sacerdotes isti munera, hoc est, spectacula, ludosq; suis impensis edere tenebantur, vt apparet Cod. Theodosiani, lib. 15. tit. 9. de expensis ludorum, l. 2. in cuius fine hæc rem declarant, *Quorum, Alytarcharum, Syriarcharum, Asiarcharum, &c. nomen, votiua festiuitatis solemnitas dedicabit;* & festiuitatem initio legis *oblectamenta populorum* appellauit. Porro *Alytarchæ*, qui hîc memorantur, Sacerdotes erant Syriæ primæ, cuius Metropolis Antiochia. Apud Eunapium in Maximo, Chrysanthus Pontifex Lydiæ nominatur. Tertullianus, lib. de Idolol. Sacerdotes Prouinciales dixit. Nec alius existimandus est Arsacius ille Galatiæ Pontifex, ad quem Iulianus A. scripsit, vt antea indicauimus. Mitto apud Romanos Curionem Maximum, & Curiones minores, qui in singulis Curiis sacrificabant. Totum hoc ad exemplum Iudæorum compositum est, apud quos, præter Summum Pontificem, alij erant Pontifices minores, erant & Leuitæ, cæterique inferiores ministri. Illud vnum præ cæteris discrimen erat, quod apud Gentiles, illi Prouinciarum Pontifices nonnisi certo & stato tempore, Sacerdotio istius generis fun-

gebantur, At Iudæorum Pontifices erant perpetui. Et quoniam Ceremoniarum nostrarum & osores & reprehensores in iis vellicandis nimium quantum sese oblectant, ac singula quæque supra modum anxiè excutiunt, quidni formulam illam in priscis Liturgiis Latinis (vt Græcas idem sua lingua exprimentes omittam) vsitatam, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, explodant, vt pote à Seneca petitam, Epistola 12. *Agamus Deo gratias, maledicte parricida*, Annon locutio merè Christiana illis, vt cæteris omnibus recta sentientibus videbitur? At eâ vsa est Iulia Seueri Imperatoris vxor gentilis, cùm Caracalla allatum ouum purpureum, quod gallina in aula pepererat, applosum ad terram fregisset, quod erat velut omen Getæ à fratre suo Caracalla occidendi. Illa siquidem tunc exclamauit: *Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti*. Auctor Spartianus in Geta. Belli homines, quidni grauiter nostros carpant quod Sanctissimos Ecclesiæ Doctores, vulgari verbo, *Patres* vocent? Quoniam Lucretius lib. 3. initio, Epicurum *Patrem* vocet:

Tu pater & rerum inuentor, tu paria nobis
Suppeditas præcepta.

Cicero 3. de Natura Deorum, Zenonem Stoïcorum *Patrem* dixit. Idem legere est apud Horatium, de Chrysippo, .1. Sermonum, Satyra 3.

Cur optas quod habes? Non nosti quid Pater, *inquit,*
Chrysippus dicat?

Seneca lib. 7. Natural. Quæst. c. 32. seu Scholæ, seu Sectæ Magistrum & Doctorem, appellat *Antistitem*. Ab hac voce nescio qua religione abstinere voluit, qui suæ Sectæ Reuerendos in Christo Patres Symmistas & delegatos nominauit. Ante annos sexaginta, si quis aduersarum

partium suos Doctores his exornasset elogiis, mirum ni suorum zelotam aliquem reperisset, qui has cerebri æstuantis verminationes esse affirmasset, testes libelli famosi eo tempore editi. Sed iam serio nobis tandem agendum videtur.

§. 15.

Cœteris prætermissis, vnus nobis præsertim examinandus est ritus, qui omnium longissimè patet, & cuius vsus cæteros omnes antecedit, imo & concludit, cuius vim & energiam nonmodo singulis horis, quin potius momentis experimur. Signi Crucis ritus ille est, cuius vsum, an solis Christianis cognitum, cæteris tum Iudæis cum Gentilibus ignotum, expendere opere prætium videtur. Tertulliani aduersus Marcionem, lib. 3. ea disputatio est & digna vox. *Nihil à Deo subitum, quia nihil à Deo non dispositum.* In noua Christi Messiæ lege signum Crucis frequenter vsitatum videmus, istud itaq; & præuisum & prænunciatum oportuit, in veteri Testamento, à Prophetis, qui de Messia, & nouo ab eo condendo fœdere, cœterisque ad illud spectantibus, satis accuratè vaticinati sunt. Ista vero, à Prophetis de aureo Messiæ seculo prædicta, Dæmones non ignorasse contendit S. Iustinus Martyr, Apologia 2. Quin & Philosophos & Poëtas, illorum suggestione ex Prophetis, hæc prænunciata mutuatos commemorasse. De qua re fusissimè Iulius Firmicus, lib. de errore profanarum religionum, & ante illum Eusebius libris de præpar. Euangel. Sed vt antea monuimus, cùm Diabolus suis præstigiis & Poëtarum figmentis, actiones præclaras & admirandas Messiæ venturi in nonnullis repræsentasset, intellecto Crucis supplicio à Messia subeundo, & illud exhorruit, & indignum eo, qui Deus

habendus erat, iudicauit, & quoniam de Christo prædictum fuerat, Psalmo 95. *Dominus regnauit à ligno* (postrema hæc verba (*à ligno*) Dæmonis impulsu Iudæi erasêrũt, teste B. Iustino, Dialogo cum Triphone.) Diabolus istud apud Gentiles in ludibrium vertit, ac si Messias futurus esset quasi *Rex quidam lignarius*, vt loquitur Tertullianus. Sed de Crucis signo videamus, & omissis figuris, quamquam istud Iulij Firmici lib. de error. profan. religion. mihi nusquam lectum nec auditum, Mosem Crucem sibi fecisse ex virga dum cum Amalechitis prælium ab Hebræis commissum est, Exod.17. An quid hinc persimile in Mysteriis Gentilium, vel Iudæorum deprehendi possit, prædictum fuisse certum est, nec Iudæus diffitetur. Ezechielis, c. 9. Tertullianus sic locum expressit, & ad res nostras aptauit. *Dicit Dominus ad me, Pertransi in medio portæ, in media Hierusalem, & da signum Tau, in frontibus virorum. Ipsa enim est litera Græcorum Tau, nostra autem T. species Crucis, quam portendebat futuram, in frontibus nostris, apud veram & Catholicam Hierusalem, in qua fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos.* Psalmus 21. canit, ex persona ipsius Christi ad Patrem. Isidorus lib. 1. Originum, c. 3. id habet. *T. figuram demonstrans Dominicæ Crucis, vnde & Hebraicè signum interpretatur, de qua dictum est in Ezechiele per Angelum c. 9.* Deinde post allatas aliquot prophetias, & eam præsertim quæ est Malachiæ, c. 1. de Sacrificio noui Testamenti, ista subiungit ipse Tertullianus. *Quæ omnia cùm in re quoque deprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum Sacramenta, & munditiæ Sacrificiorum* (paulo antea has explicat, *Gloriæ relationem, & benedictionem, & laudem, & hymnos,* quæ Missæ periphrasis est) *debes iam erumpere, vti dicas spiritum Creatoris tuo Christo*

prophetasse; agit autem in Marcionem. Imitationis speciem aliquam apud vtrosque nunc exquiramus. Veteratoris istius ab initio Apostata, artes & dolos mirificè repręsentat Tertullianus, libro de Præscriptionibus. *Illic ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotiis Idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio gestiit, & potuit; Instrumenta quoque Diuinarum rerum, & Sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis profanè & æmulè fidei attentare.* Paulo antea speciatim ista explicat: *Diaboli sunt partes interuertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum Diuinorum, in Idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam vtique Credentes & fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic initiat Mithræ: Signat illic in frontibus milites suos; celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redemit Coronam.* Ex iis illud tantum nobis est excutiendum, quod eiusmodi verbis expressit, *Signat illic in frontibus milites suos,* An ad Crucis signum hæc pertineant, inuestigandum est. Interpretes Tertulliani hoc loco nihil nos docent. Nam Sacramentum Confirmationis repræsentari à Diabolo, non facile concesserim, cùm de vnctione nulla hìc penitus mentio, sed de puro signaculo. Est qui ad Magos seu maleficos bestiæ caracterem aliqua sui corporis parte gestantes referat. Prisca obsignatio Dæmoni vsitata, erga sibi addictissimos. Nota Epimenidis Cretensis historia apud Hesychium Illustrium, cùm mortuus esset, eius corporis pellis litterata notisque compuncta reperta est. Quis Magum illum fuisse dubitet, cùm ipsius anima, pro arbitrio & nutu, corpore excederet, &, cum vellet, regrederetur? At hoc nihil ad frontes à Dæ-

mone signatas. Tertulliano non aliunde quàm ab eodem Tertulliano lux, etsi non integra nec plane splendens, dicam tamen ex coniectura, eruditiores docebunt me, quibus idcirco gratiam habere velim. Tertullianus, lib. de Corona militis, ad finem, hæc scribit, *Mithræ miles cùm initiatur in spelæo, in castris vere tenebrarum, Coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi Mimum Martyrij, dehinc capiti suo accommodatam, mouetur obuia manu capite depellere, & in humerum, si forte, transferre, dicens, Mithram esse coronam suam.* Quid sibi hæc volunt, obuia manu Coronam capiti accommodatam capite depellere? quid est in humerum transferre? forsan modo hunc illum, & vno nomine Mimum, seu imitamentum Martyrij repræsentare. Mimicam mortem dixit Petronius Arbiter. Et certè, ni fallor, gesticulationes illæ manus, ad frontem scilicet, obuiæ, hoc est, seu cancellatis manibus. Seneca de Tranquillit. c. 11. Manibus oppositis ferrum recipi dixit, seu modo in dextram, modo in læuam, modo sursum, modo deorsum, quid aliud quàm Crucis figuram exhibebant. Non sunt ista Prætoris edicta sed coniectanea, quæ benignum lectorem boni consulere, pro sua comitate summopere percupio.

§. 16.

Nunc verpos nostros obstinatissimos dispiciamus, & an in Sacris suis, signum Crucis & quo ritu adhibuerint, exquiramus. In lege veteri hostiæ eleuatio in actione Sacrificij multoties imperatur. Leuitic. 18. 23. Numer. 5. 6. 8. & Exod. 29. præsertim iis verbis iuxta vulgatã. Post commemoratum sacrificium Arietis secundi hæc habet, *Tortam panis vnius crustulam, conspersam oleo, laganum de canistro azimorum quod positum est in conspectu Domini, ponesq; omnia su-*

per manus Aaron & filiorum eius & sanctificabis eos, eleuans coram Domino. Postrema hæc verba Santes Pagninus ex Hebræo ita vertit. *Et agitabis ea agitationem,* siue, *in eleuationem coram Domino.* Alij vertunt, *Ventilabis ea in oblationem ventilationis.* Et ex sensu vocis Hebraicæ, agitare, seu ventilare idem valent atque in sublime aliquid porrigere: hinc inde ad quatuor mundi plagas mouere, & quasi ventilare. Hanc agitationem vocant Thenupha. Septuaginta ἐπλέμα. B. Hieronymus eleuationem, interpretatur. Est autem ex Iudæorum sententia motus à dextra sinistrorsum, ante & retro, ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, quod satis apertè signum Crucis repræsentat. De qua re Petrus Alphonsus Hispanus, lib. de Concordia legum, tit.4.c.5. Vide Oleastrum in c. 5. Num. & Scholiastem Onkeli Paraph. in c. 29. Exodi. Fabianus Foghius Romanus, ex Iudæo Christianus, quem senem, & quidem humanissimum hominem, Romæ postremo itinere meo Romano noui, in Catechismo à se edito, c.54. scribit in Talmud, non vno loco, & præsertim in capite vbi agitur de compositione olei, referri benedictionem à Pontificibus Hebræis iam olim, etiam hoc tempore, dari solitam populo, quatuor digitis, secluso pollice, in duo diuisis, in formam Crucis, non rectæ & huic nostræ persimilis. Siquidem tradunt Doctores Hebræi, vnctionem Regis in capite fieri, circulari forma, in modum coronę, & vnctionem Sacerdotum in capite, in modum literæ Græcæ Chi. X. quæ est forma Crucis apud veteres. S. Hieronymus, in c.31. Hieremiæ; Decussare, est per medium secare, veluti si duæ regulæ concurrant ad speciem litteræ X. quę figura est Crucis. Isidorus lib. 1. Originum, c.3. X. litera, & in figura Crucem significat, & in numero decem

decem demonſtrat. Illud quidem pro comperto eſt in quibuſdam numis Conſtantini Magni, literâ X. Crucem denotari, aut vt alij malunt, Chriſtum, cum apud Græcos prima litera huius nominis ſit X. Iulianus Parabata, in Miſopogone, ſcribit Antiochenos ipſi exprobraſſe Chi X. & Cappa, K. id eſt, Chriſtum & Conſtantium nihil illis nocuiſſe. Nonnulli in ea litera Græca, cuius figura vngebant ſuos Pontifices Iudæi, myſterium iſtiuſmodi obſeruant, quod nimirum Meſſias nomen Græcum habiturus eſſet, cuius prima litera ſit Chi X. vt ſignificaretur illum futurum originem & principium Sacerdotij Nouæ legis à ſe inſtituendæ. Mitto locum Platonis in Timæo, quem profert S. Iuſtinus Martyr, Apolog. 2. & de filio Dei, qui Chriſtus eſt, ſuo quidem iudicio venit intelligendus, ἐχίασεν αὐτὸν ἐν τῷ παντί. Decuſſauit eum in vniuerſo. Decuſſationis formam litera Chi X. repræſentat, nec alia Decuſſatio iſta exiſtimanda ſit quam virtus, quæ primo & principi Deo proxima. Sed de his plus ſatis, quandoquidem multò copioſiorem ſermonem alioquin iſta deſiderarent.

§. 17.

Non ingratum illud futurum arbitror, aliquid de ſigno Crucis efformando ſubtexere: Nobis Chriſtianis mos eſt vel manu integra, vel tribus digitis Crucis ſignum efformare, & aliquando vnico digito vetitum: ſaltem Chriſtiani Catholici ab ea forma abſtinuerunt nonnunquam propter Monophiſitas hæreticos, qui vnico digito Crucem effingebant, quandoquidem ipſi in Chriſtò poſt vnionem duarum naturarum Diuinæ & humanæ, has in vnam coaluiſſe affirmabant; quod dum ſe vno digito ſignabant, ſatis apertè indicare viderentur, vt refert Ni-

cephorus, lib. 18. c. 53. Nobilis illa historia est Meletij Antiocheni Episcopi, apud Nicetam, lib. 5. c. 21. Thesauri Orthodoxæ fidei. Illi filium Patri Consubstantialem in Concione docenti, Archidiaconus Arrianæ factionis qui aderat manu os occlusit, at ille tribus digitis expansis singillatim, tum in vnum adductis, quod voce non potuit, signo declarauit, se Trinitatem Personarum Diuinarum, & vnicam Diuinam essentiam credere. At nos tandem huic dissertationi finem imponamus. Philonis Alexandrini, libro de migratione Abrahæ, disputatio mihi maximè probatur, qua docet Iudæis non satis esse præcepta Ceremonialia, de Circuncisione, de Festis, & similibus, secundum sensum mysticum obseruare, sed etiam secundum formam & ritum externum ac sensibilem, triplici quidem ratione. Prima, ab auctoritate eorum qui illas Ceremonias instituerunt. Secunda ab vtilitate quæ eis inest, cum sit exercitatio religiosa & pia. Tertia ad vitandum scandalum. Si de Iudæis ista dicta sunt, quibus omnia in figura contingebant, 1. Corinth. 10. & qui Heb. 10. vmbram non imaginem rerum habebant, nobis, certè quibus gratia & veritas per Iesum Christum facta est, teste Apostolo amantissimo, Ioann. 1. nulla maior cura, studium, & sollicitudo esse debet, quam Deum & quæ Dei sunt, omnibus pietatis officiis colere. Sacramentales, quas diximus Ceremonias, ab Apostolis traditas, ab vniuersa Ecclesia probatas, suæ sanctitatis origine commendatas nouimus, *quarum contemptus sacrilegos faciat, impiè siquidem contemnitur sine quo non potest perfici pietas*; vt asserit B. Augustinus lib. 19. contra Faustum Manichæum, cap. 11. Quarum vt & reliquarum omnium celebratione atque functione, *non Deo, sed nobis vtilia pietatis officia exercentur*,

vt docet idem S. Augustinus, epistola 3. ad Marcellinum. Rectissimè ab eodem Sanctissimo Episcopo, epistola 86. ad Casulanum, illud pronunciatum esse credamus. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Diuina, mos populi Dei, vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt.* Et ante B. Augustinum sic B. Hieronymus epistola 28. *Vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.*



CANTVS ECCLESIÆ.

§. 1.



CANTANDI *in publicis conuentibus Christianorum mos vel ab ipsis Apostolorum tēporibus inualuit. Varroni Musica duplex Assa voce & Organica. Platoni, Aristoteli, alijs, Musica triplex, & quæ. Gentilium alij, voce simul & saltatione, alij sola saltatione Deos suos venerabantur.*

§. 2.

Canendi in Sacris, ritus à Iudæis manauit. Gentilium in Sacris Cantus non sine harmonia. Christianorum veterum quis Cantus. Explicatio loci apud actus passionis S. Cypriani. Scholæ Cantorum.

§. 3.

Tertulliani locus variè explicatus. Explicationum quæ magis ad Tertulliani mentem faciet, iudicet lector.

§. 4.

Musica vocalis qualis in Ecclesia. Clementis Alexandrini locus subobscurus dilucidè expensus. Donatistarum quæ Cantica.

§. 5.

Chorus. Cantores multiplicis generis & variorum ordinum pro temporum varietate. Canonis Laodiceni explicatio & emendata versio Latina.

§. 6.

Lectores, adolescentuli, pueri, infantuli Cantores. Historia. Puerorum vocalium Ecclesiæ Carthaginensis, eorumque pro fide Catholica Martyrium.

§. 7.

Vocalis Musica cuiusmodi fuerit apud Christianos, nec nisi grauis. Gentiles in suis Sacris graues sonos adhibebant. Spondæus cur Pontificius dictus.

§. 8.

Franci veteres parum expoliti, & eorum Cantus aliquantum agrestior, à Pipino Rege primum, Romanum Cantum multo suauiorem & gratiorem suscipiunt. Cantum Romanum videri aliquando emendatum.

§. 9.

Principes olim Chorum Cantorum in comitatu habuisse.

§. 10.

Musica organica etiam in vsu apud Christianos veteres: sequentibus deinde seculis.

§. 11.

Canticum, Te Deum laudamus, *quando decantari cœptum, vocali & organica Musica.*

§. 12.

Quæ vocalis Musicæ species à Christianis probatæ; Chromatica damnata à veteribus. Vinnulata vox. S. Hieronymi locus forsan, nec sine ratione emendandus. Voces secabiles, collisibiles. Canon Concil. Nicæni 2. illustratus. Molliculæ vocalis Musicæ grauius reprehensio.



Cantus Ecclesiasticus.

§. 1.



IAM ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis, & quidem in publicis Christianorum conuentibus, Psalmos, Hymnos, & Cantica fuisse decantata, fidem facit Gentium Apostolus non vno loco, Ephes. c. 5. Coloss. c. 3. Morem hunc perpetuò in Ecclesia Dei retentum, Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores apertissimè produnt, nec Sectarij diffitentur. S. Augustini à multis prolata sententia est, tacitè in ea B. Pauli loca digitum intendentis, Epistola 119. c. 18. *De Hymnis & Psalmis canendis, cùm & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta, de Scripturis defendi potest.* Idem habet Concilium Toletan. 4. c. 12. Sed quoniam res huiusmodi à viris & pietate & eruditione præstantissimis abundè pertractata est, nos quasi spicilegium agentes, quis & qualis fuerit Cantus ille, disquirere instituimus. Quod antequam præstemus, vniuersim de Cantu aliquid prælibandum arbitror, vt certam de tota re disserendi viam ac rationem ineamus. Varro in Catone, seu de liberis educandis, duplicem statuit Musicam, vnam, quæ fit assa voce; alteram, quæ organica vocatur. Assam vocem ipse idem sic explicat: *Assum existimandum est, vt in obsoniis, siue pigmento saporis alieni, quemadmodum merum dicitur solum.* Aristoteles lib. 8. Politicorum, c. 5. Musicæ duo

genera facit, vnum quod vocat Μέλους, id eſt, concentus vocum; alterum Ρυθμοὺς, hoc eſt, numeroſos corporis motus. Columella, Præfatione librorum de re ruſtica, menſuras & numeros in Muſica dixit. Ariſtoteles idem libro de Poëtica, triplicem facere videtur Muſicam. Primam, quæ conſtet ῥυθμῷ. Secundam, quæ μέλει, harmonia, ſeu concentu: Martiano Capellæ, lib. 9. *Melos eſt actus acuti aut grauioris ſoni.* Tertiam, quæ μέτρῳ: quam nos vulgò recitationem appellamus, ſunt qui interpretentur, quàm rectè ipſi viderint. Ex Platonis lib. 3. de Republica, tres melodiæ ſpecies diſcimus, Orationem, quam cum Poëſi eandem eſſe vult; Harmoniam, & Rithmum. Aliter deſcribit Martianus Capella, lib. 9. Meminit Athenæus libro 8. & libro 14. non vno loco: necnon Fulgentius lib. 3. Mytholog. fabulâ Apollinis & Marſiæ. Caſſiodorus, tractatu de Muſica, ad id alludere videtur, cùm Muſicæ tres partes adſignet, Harmonicam, Rythmicam, Metricam. Aliter diſtinguit, lib. 2. variarum, Epiſtola 40. Rythmo, ῥυθμῷ, motum corporis coniunctum eſſe, ſed ad numerum, vt modo breuior & leuior, modo grauior & productior ſit, contendit Plato, vt & Ariſtoteles. Hæc omnia fuſiſſimè tractat Lucianus, Dialogo, περὶ ὀρχήσεως, de ſaltatione. Scribit eo loci, Gentilium alios, voce ſimul, & ſaltatione, ſeu numeroſo corporis motu, Deos ſuos precari. Plato, lib. 7. de legibus, iſtud exponit; & Agellius, lib. 20. c. 2. *Saltabundi,* inquit, *olim canebant, quæ nunc ſtantes canunt.* Alios, vt Indos, ſilentes, ſola ſaltatione Deos apprecari, adeo vt qui voce non poſſent, ſaltem ſaltatione illos venerarentur. Hinc tritum apud nos vulgi ſermone prouerbium: *Il ne ſçait ny chanter, ny baller.* Virgilius vtrumque coniunxit, 1. Georgic. loquens de ruſtica iuuentute,

Det motus incompositos, & carmina dicat.
Seruius, ibi, explicat motus illos incompositos, id est, saltationem aptam religioni, nec ex vlla arte venientem. Paulo antea, vbi explicat quid sit Chorus, Cantum cum saltatione coniungit. Apud Ausonium, Edyllio 4.

--- Et genitrix modulorum Musica triplex,
Mista libris, secreta astris, vulgata theatris.

Sed partitio hæc ad nostram dissertationem nihil confert. Aristoxenus apud Vitruuium, lib. 5. c. 4. modulationum tria genera facit. Primum genus Harmoniam vocat, Ἁρμόνιαν. Secundum, Χρῶμα. Tertium, Διάτονον: Latini, Harmonicam, Chromaticam, Diatonicam Musicam dixerunt. *Harmoniæ modulatio ab arte concepta, & ea re cantio eius maximè grauem & egregiam habet auctoritatem. Chroma subtili solertia ac crebritate modulorum, suauiorem habet delectationem. Diatoni verò, quod naturalis est, facilior in interuallum distantia.*

§. 2.

Nunc qualis, & cuiusmodi fuerit in Ecclesia Christi Cantus vsu receptus videamus, & Varronis togatorum doctissimi distinctionem secuti, de vocali primum, deinde de organica dicemus; ita tamen, vt de aliis generibus nonnihil subiungamus. Isidorus 1. Officiorum Ecclesiast. c. 14. à Iudæis petitum hunc canendi modum indicat: Scribit enim veteres Iudæos cantare solitos, quando victimæ immolabantur; Profertque eius rei firmandæ gratia, locum Ecclesiastici, cap. 50. *Sic enim porrexit Sacerdos manum suam in libationem, & libauit de sanguine vuæ, & fudit in fundamentum altaris odorem Diuinum excelso Principi, tunc exclamauerunt filij Aaron in tubis ductilibus, & sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam*

coram Domino. Verba ſunt verſionis Latinæ tempore Iſidori, & in Hiſpania vſitatæ. Addi potuit & verſus non proximè ſequens. *Et amplificauerunt pſallentes in vocibus ſuis, & in magna domo auctus eſt ſonus ſuauitatis plenus.* Non diſplicet verſio ex varia lectione contextus Græci. *Et collaudarunt Cantores Pſalmorum vocibus ſuis, multiplici ſono carminum modi dulcuerunt.* Variantem lectionem expreſſit doctiſſimus Hœſchelius, & alij. Plato in Theæteto, & refert Suidas, voce, Ἀναλαμβδούειν, ait Hymnos Deorum cani ſolitos ſecundum aliquam verborum harmoniam. Chriſtianis quis cantandi modus adhibendus ſit, Clemens Alexandrinus ex collatione Gentilium demonſtrat. Apud Græcos veteres, in conuiuiis ad compotandum comparatis, & irrorantibus poculis ad Hebraïcorum pſalmorum ſimilitudinem canebatur Canticum, quod appellabatur, σκόλιον, id eſt, obliquum, communiter omnibus pæanâ ſimul voce clamantibus. Non ita apud Chriſtianos, ſed duplex ſit noſtra in potu inuitatio, ex lege, & quidem beneuolentiæ gratia, ſiquidem diligas Dominum Deum tuum, deinde proximum tuum. Prior quæ eſt in Deum beneuola inuitatio, fiat per gratiarum actionem & pſalmodiam. Secunda, quæ eſt in proximum, per honeſtam vitæ conſuetudinem. Cætera quæ hîc attingit Clemens, poſtea expendemus. Porrò ſatis apertè innuit quando & quo tempore Chriſtiani, velut communi conſenſu, canere conſueuerint, cùm videlicet publica illa & ſolemnia conuiuia celebrabant, quæ Agapæ nominabantur. Quod confirmat Tertullianus Apologet. c. 39. *Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit, vocatur* Ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos eſt. Nil vilitatis, nil immodeſtiæ admittit; non prius diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægu-*

ſtetur,

ſtetur, editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt vtile, ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, vt qui ſciunt Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit. Videntur priſci illi Chriſtiani hanc ſibi conſtituiſſe regulam ex verbis Apoſtoli, Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Iſtud firmat S. Cyprianus. epiſtola 2. ad Donatum, cùm ait, *Sonet pſalmos Conuiuium ſobrium, & vt tibi tenax memoria eſt, & vox canora, aggredere hoc munus ex more.* Euſebius lib. 2. c. 17. loquens de primis Chriſtianis in Ægypto, (Sic enim Therapeutas cum ipſo Euſebio, & B. Hieronymo, tum antiquitatis veneratione, cum eruditionis publica laude inſignibus, quàm neſcio quos Iudæos minime Chriſtianos, cum recentioribus, parum piè, antiquitatem ſuggillantibus, interpretari malo) ita diſſerit, vt doceat illos Cantica & Hymnos, conſtantes omni metrorum genere, διὰ παντων μέτρων καὶ μέλων ῥυθμοῖς, in Dei honorem decantantes. Hæret mihi aqua, in eo quod apud Actus paſſionis S. Cypriani ſcriptum eſt, Beatiſſimum Martyrem, martyrio conſumpto, *cum Cereis & Scholaribus* ſepultum. Certè *Scholares* iſti Pſaltæ videntur. S. Gregorium, primum, omnium ſcholas Cantorum inſtituiſſe, ac ſi iſtud antea inuſitatum & ignotum fuerit, nemo tãtiſper Eccleſiaſticæ hiſtoriæ gnarus aſſerere audeat, cum ab Eccleſiæ primis ſeculis, præſertim in Eccleſia Orientali, Scriptores Eccleſiaſtici iſtud vſu receptum fuiſſe teſtentur. B. Gre-

gorius, huic instituto & ordini nouam quandam formam & distinctionem adsignasse videtur, vt pote excogitata & constituta duplici Cantorum schola, vna ad S. Petrum, altera in Patriarchio Lateranensi. Ita refert Ioannes Diaconus in eius vita, lib. 2. c. 6.

§. 3.

Sed ad priscum illum veteris Ecclesiæ vocalem Cantum redeo, & absoluo vno Tertulliani loco, libro de Oratione, sic autem habet: *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus, & Dominica Passione modulantes & orantes cõfitemur Christo.* Nicolaus Rigaltius, pari pietatis orthodoxæ & eruditionis singularis commendatione apud bonos omnes Clarissimus, aliam è suo, siue Agobardi, Tertulliano, paulò aliter legit: *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus & Dominica Passione modulatum.* Deinde grauiter eos errare contendit, qui *Modulantes* hîc accipiunt, quasi canentes aut psallentes. Nam cum de priuata, inquit, oratione sit sermo, quam sono vocis summisso atque subiecto fieri debere, ait Tertullianus, nihil opus fuit modulis musicis. Nos, ait idem, *Modulatum* interpretamur imaginem, figuram scilicet seu gestum orantis: hoc est, orantes non tantum attollimus manus, sed etiam expandimus *modum, seu modulum*, vel, vt ait Tertullianus, *modulatum*, quem exhibuit Dominus noster Iesus Christus, expansis in cruce manibus. Per humanitatem Rigaltij optimi liceat istud tantisper disquirere. B. Hieronymus ad B. Augustinum scribens, *In Scripturarum campo, si placet, sine nostro inuicem dolore ludamus*, quanto rectius & securius, in vnius Tertullianici loci explicatione, innoxiè digladiari licet? In primis non de sola oratione priuata Tertullianum hoc libro agere contendo: Nam præter

quam quod Oratio Dominica, non tantum in priuatis, verumetiam in publicis precibus recitabatur, quod omnes norunt. Tertullianus multa hîc congerit, quæ nonnisi ad publicos Christianorum conuentus vix referri videntur. Omitto quod de manibus abluendis ante orationem scribit. Nam quanquam domi oraturi id facerent, at multò magis in publica Synaxi, in qua, si non sumpturi, saltem in manus SS. Eucharistiam accepturi erant, vt hîc tradit Tertullianus, & morem hunc expressit S. Chrysostom. homil. 52. in Mathæum, & 61. ad Pop. Antioch. S. Augustinus sermone 152. de tempore. Deinde ritum post orationem adsidendi, non ad domesticam tantum sessionem, sed publicam in Ecclesia referendum esse grauissimi auctores produnt. Addo & istud, quum ita scribit: *Quid amplius referent isti, qui clarius adorant (adorare* veteribus pro *orare) nisi quod proximis obstrepunt?* Sed illud, quod sequitur, omnem ni fallor dubitandi rationem adimit, cum illam exagitat consuetudinem, qua ieiunantes habita oratione cum fratribus, solemni Christianorum cœtu, subtrahebant osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quid igitur vetat *Modulatum*, seu modulationem illam Tertulliani, suo, hoc est, genuino significatu, explicare, cum certum sit, etiam profanorum scriptorum testimonio, vt Plinij Iunioris, Christianos in suis conuentibus cecinisse, ac Martiano Capella auctore, *Modulatio est soni multiplicis expressio.* Glossæ veteres, ῥυθμίζω *Modulo, formo*, quæ voces concentum Musicum indicat. Addam & istud quod arbitrarium esse cupio, Tertullianum hoc libro Sacrificium disertè commemorare, in quo Christi Corpus accipiatur, & istud quidem publica Synaxi ac cœtu fidelium. At hoc, seu Orientalis, seu Occidentalis

Ecclesiæ iudicio, aliud non est quam Liturgicum, quodque *Passio Christi* appellatur, vt scribit B. Cyprianus, epistola 63. ad Cœcilium: *Passio est Domini sacrificium quod offerimus.*

§. 4.

Nostram Musicam vocalem in Ecclesia postea vsitatam videamus. Socrates lib. 2. c. 8. narrat cum Syrianus Dux cum militibus Gregorium Arrianum in Ecclesia Alexandrina collocare & inducere pro Episcopo tentaret, & S. Athanasium eiicere, tum Sanctissimum Episcopum, illis in Ecclesiam irruentibus, imperasse Diacono vt Psalmum inchoaret, quod cum suauiter & cum concentu fecisset, hinc Beatum virum vnà cum populo per aliam Ecclesiæ portam euasisse. De Cantu Christiano mihi certe perobscurus occurrit locus Clementis Alexandrini, lib. 2. Pœdagogi c. 4. Versio Latina est. Diuinum ministerium separans, psallit spiritus. Primo loco λειτουργίαν θείαν memorat, quam, Grecæ Ecclesiæ more, intelligendam arbitror, pro externo illo Corporis Christi Sacrificio. Sed quid sibi vult, spiritus separans hanc Diuinam Liturgiam & psallens? Gentianus Heruetus, vir de Christi Ecclesia optimè meritus, iis verbis nihil aliud significari ait, quàm concentum illum voce prolatum, in hoc Diuinæ Lyturgiæ ministerio & officio, ipsum secernere & distinguere à prophanis ministeriis. Ego vero, si in re obscura coniicere licet, arbitror Clementem exprimere voluisse discrimen harmoniæ & Canticorum, quibus Gentiles in suis comessationibus vtebantur, & eorum quæ Christiani in Diuina Liturgia adhibebant. Nam illi omnes velut temulenti, quasi victoriale carmen simul canebant, ac postmodum per Cantici vices propi-

nationem circumagebant. At longè aliter apud Christianos, cum omnia ad omnem modestiam & temperantiam comparata essent. Ita enim lib. 6. Stromatum, c. 5. ait, Christianos psallendo in conuiuiis sibi inuicem propinare, prauos affectus incantantes, & Deum glorificantes, nec sit concentus ille continuus, sed religionis ergò intermissus, vt tradit Concilium Laodicenum, Can. 17. Quod eleganter representat S. Augustinus, Epistola 119. c. 18. *Quando*, inquit, *non est tempus, cum in Ecclesia fratres congregantur, Sancta* cantandi, nisi cum legitur, aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio, voce Diaconi, indicitur. Et quod discrimen adsignat Clemens inter Cantica Gentilium & Christianorum, idem B. Augustinus statuit inter Christianos Catholicos & Donatistas, etiam in Diuinis officiis. *Donatistæ*, inquit, *nos reprehendunt quod sobriè psallimus in Ecclesia Diuina Cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad Canticum Psalmorum, humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment.*

§. 5.

Nunc Cantorum ordinem dispiciamus, & quoniam, vulgari verbo, *Chorum* appellamus; B. Augustinum vocem illam explicantem audiamus. In Psalmum 149. *Chorus*, ait, *quid significat? Multi nouerunt Chorum & quia in ciuitate loquimur, prope omnes norunt: Chorus est consensio cantantium: si in Choro cantemus, concorditer cantemus.* Seneca epistola 84. Nonne vides quam multorum vocibus *Chorus* constet? Vnus tamen ex omnibus sonus redditur, aliqua illic acuta est, aliqua grauis, aliqua media, accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ, singulorum illic latent voces, omnium apparent. Idem S. Episcopus in Psalmum

148. Quid in Choro Christiano agendum sit ita declarat: *Hymnus scitis quid est, Cantus est cum laude Dei. Si cantas & non laudas Deum, non dicis hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, & si cantando laudes, non dicis hymnum: hymnus ergo tria ista habet, & Canticum, & laudem, & Dei.* Cantores isti varij generis extiterunt pro temporum varietate. Quamquam multa iampridem de ea re ex SS. Patribus descripta sint, & à quamplurimis, velut serie quadam, vsurpata, ne ingrata repetitione lectori sim molestus, ab eiusmodi abstinebo, nisi forte dicendorum ordo me in eam deducat necessitatem, vt iam dictum referre oporteat, quod & raro & pudẽter faciam. Cantandi qui olim mos in veteri Ecclesia extiterit, ex vno duntaxat B. Basilio intelligi posse arbitror. Epistola 63. ad Neocæsarienses, docet vir sanctissimus, toto Oriẽte, apud Ægyptios, Thebeos, vtriusque Libyæ accolas, Palestinos, Phœnices, Syros, Arabes, Christianos, communes Psalmodias in vsu & pretio fuisse, & vnum quidem has inchoare, cæteros prosequi ac succinere, quin aduersus reprehensores ritus huius generis, contendit doceri non posse istud factitatum non fuisse tempore S. Gregorij Taumaturgi, Neocæsariensis Episcopi, hoc est, ante Constantinum Magnum. Lectores, (sic enim eos nominare veteribus placuit) canendi in Ecclesia olim, & in primis munus sustinuisse innuere videtur Martinus Braccarensis Episcopus, in Collectione Capitulorum Græcarum Synodorum, c. 45. *Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati.* Desumptum Capitulum ex Canone 15. Concilij Laodiceni, cuius versio Latina Dionysij Exigui est huiusmodi. *Quod non oporteat amplius, præter eos qui regulariter Cantores existunt, qui & de*

Codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere. In primis obſeruandum eſt, voces has Græcas, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων (*ex membrana legunt*) Latine Gentianum & alios vertiſſe, cum (*Pſallentes ſeu Cantantes* vertendum fuit) quod in Zonaræ ſcholiis obſeruatum eſt. Synodum Laodicenam, non multo poſt Nicænam primam habitam fuiſſe in confeſſo eſt, ex qua corruptelam illam ſuperiorum temporum intelligimus, qua Laïci cantandi, ſeu Diuina Cantica inchoandi, vt habet Balſamo, munus in Eccleſia ſibi arrogaſſe dicuntur, iſtud emendari vult Synodus, vt nonniſi κανονικοὶ ψάλται, Cantores Canonici, hoc eſt, in Clerum adſcripti, canendi ius habeant. Apud nonnullas gentes, Lectores longe poſtea hunc morem retinuiſſe, docet Concilium Braccarenſe primum, c. 11. *Placuit vt Lectores in Eccleſia, in habitu ſeculari ornati, non pſallant, neque granos Gentili ritu dimittant.* Non vetat Concilium Lectores in Eccleſia canere, ſed habitum ſecularem in hoc Diuino miniſterio geſtare minime probat, & ſerio prohibet. Quod hîc de *granis* dicitur, Loaiſa aptè ex Iſidoro indicat: ſed an locum Iſidori intellexerit ſubdubito, quandoquidem ex ingenio plane ridiculam affert interpretationem, eruditiſſimo Sirmundo hac in parte meritò vapulauit Loaiſa. Poſtmodum Diaconi cantandi in Eccleſia ius ſibi vendicarunt, quod B. Gregorio minimè placuit, nam Concilio Romano, ſub hoc Sanctiſſimo Pontifice, c. 1. ita ſtatutum eſt: *Præſenti Decreto conſtituo, vt in ſede hac ſacri altaris miniſtri* (Diaconi) *cantare non debeant, ſolumque Euangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exoluant. Pſalmos vero ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas exigit, per minores ordines exhiberi.* Sic Canon hic conceptus eſt in Con-

ciliorum nonnulla editione, ſed apud B. Gregorium, lib. 4. epiſtola 44. ſeu c. 88. Caput hoc paulo diffuſius habetur eiuſmodi: *In Sancta Romana Eccleſia dudum conſuetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri altaris miniſterium Cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti, modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium & eleemoſinarum ſtudium vocare congruebat.* Poſtea ſequuntur quæ deſcripſimus antea.

§. 6.

Lectores deinde qui inter minores ordines recenſentur, Cantorum officio functi ſunt, imo & *Adoleſcentuli*, vt iam alij monuerunt, ex B. Hieronymo, in c. 5. ad Epheſios, quin & *Pueri*. Hinc noſtris in Capitularibus, lib. 1. c. 72. *Vt ſcholæ legentium puerorum fiant, Pſalmos, Notas, Cantus, Compotum, Grammaticam, per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia, diſcant.* S. Gregorius, auctore Ioanne Diacono in eius vita, lib. 2. c. 6. ſcholam Cantorum duplicem inſtituit, vt ſupra dictum. Sed addit Diaconus, ſuo tempore, hoc eſt, ſub Ioanne 8. P. R. & Carolo Caluo, Imperatore, aſſeruatum flagellum, quo pueris diſcentibus Sanctiſſimus Pontifex minabatur. In Eccleſia Pariſienſi *pueros* inter Cantores, nominatos fuiſſe tradit Fortunatus Epiſcopus Pictauenſis, & nos poſtea iſtud pluribus explicabimus. Sed illud ſempiterna dignum memoria videtur, quod narrat Victor Vticenſis, lib. 3. de perſecutione Vandalica, de pueris phonaſcis Eccleſiæ Carthaginenſis. *De multitudine*, inquit, *pergentium Confeſſorum* (hoc eſt Chriſtianorum Catholicorum in exilium actorum, edicto Hunerici Vandalorum Regis Arriani in Africa) *id eſt*, *Eccleſiæ Carthaginis Clericorum, ſuggerente quodam ex lectore Teuchario perdito, quos ille nouerat vocales ſtrenuos, atque aptos modulis Cantilenæ,*

cantilenæ, designatione sua debere dicit duodecim Infantulos separari, quos ipse, dum Catholicus esset, tunc discipulos habuit. Statim, illo suggerente, sub festinatione, viro dimittuntur & vi barbarici furoris, bis senus numerus puerorum de itinere reuocatur. Segregantur corpore, non spiritu, à grege Sanctorum. Qui timentes præcipitium (hoc est, defectionē à fide Catholica,) *cum suspiriis lachrymarum, ne diuellerentur, constringebant manibus genua sociorum. Quos violentia tamen hæretica, minacibus separans gladiis, Carthagini reuocauit. Postea indignantur ob hoc grauiter Arriani, & se superatos à pueris erubescunt. Vnde accensi, subdi fustibus iubent, quos iam, ante paucissimos dies, variis verberibus dissipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rursum pœna restaurata crudescit. Factum est, Domino confortante, vt nec ætas minor deficeret in dolore, & magis animus cresceret roboratus in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, Chorum conspicit puerorum. Vnà degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur.* Mihi certè nunquam temperare potui, quin tam illustrem, tamque incredibilis Christianæ constantiæ in pueris historiam integram recenserem.

§. 7.

Pergamus nostram excutere Musicam vocalem in Ecclesia, &, vt ego existimo, non vnius generis & modi fuisse videtur iste concentus musicus, siue harmonicæ, siue diatonicæ Musicæ aptus & conueniens, nam Chromatica repudiata est, vt postea demonstrabimus. Ad duas itaque priores illas referenda sunt ista B. Augustini, Confessionum lib. 10. c. 33. *Eloquia Diuina cum suaui & artificiosa voce cantari.* Tum quod eodem loco scribit, B. Athanasium Episcopum Alexandrinum iussisse lectorem Psalmi

tam modico flexu vocis ſonare, vt pronuntianti vicinior eſſet quàm canenti. Cui rei reſpondet quod tradit Martianus Capella, lib. 9. c. de voce: *Carmina neque continuo modo, neque diuiſione frequenti recitari.* Aut qualis erat leuis illa Muſica Mœcenatis, hominis diſcincti & ſoluti, de qua ita Seneca, libro de Prouidentia, c. 3. *Mœcenas ſomnium capiebat per Symphoniarum cantum, ex longinquo lenè reſonantium.* Vt vt ſit, non eſt dubitandum non aliam in Eccleſia vocalem Muſicam vſu receptam fuiſſe, quam quæ Chriſtianam grauitatem, cum omni pietatis ſenſu coniunctam, redoleret. Iſtud apertè teſtatur Clemens Alexandrinus, lib. 2. Pædagogi, c. 4. dum ait, Chriſtianis dignam videri Muſicam, quæ ſit, Αὐστηρὰ καὶ σωφρονικὰ μέλη: Modulatio grauis, & temperantiæ plena. S. Chryſoſtomus, homilia in illud Eſaïæ, *Vidi Dominum*, grauiter perſtringit eos, qui in Eccleſia Cantica Diuina non pluris quàm prophana & vulgaria facientes, inconditas voces emittebant, tumultuantes & velut in furorem conuerſi, manus indecenter iactarent, pedibus ſubſultarent, toto corpore circumacti, quæ in Theatris aut audierint aut ſpectarint in Eccleſiam inducere cogitarent. Et certè Gentiles olim in ſuis Sacris graues quoſdam ſonos adhibebant, qui magna parte ſpondæo conſtabant, & hic propterea Pontificius dictus eſt, auctore Terentiano Mauro, lib. de literis, &c. c. de pedibus diſſyllabis:

Quidquid in Templis canorus à ſono vocis malæ,
Auribus libantis obſtat & fauet σπονδεῖος eſt.

Plebis inconditam canendi rationem nil moror. De Romana plebe iſtud pronuntiauit B. Hieronymus, Præfatione in lib. 2. Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas: *Romæ ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui amen roboat.*

§. 8.

Noſtros veteres Francos ante Carolum Magnum, verè rupicones, & quaſi in ſcrupea canendi ſchola inſtructos vltro fatendum. Apud B. Hieronymum, Præf. lib. 2. Comment. in Epiſt. ad Galatas. S. Hilarius, Gallus, Pictauis genitus, Gallos indociles vocat in Hymnorum carmine. Carolus, ab itinere Romano, voluit Cantores ſuos ediſcere *Notam Romanam*, quam nunc vocant *Notam Franciſcam*, quam non plenè & perfectè poterant exprimere Franci naturali voce, frangentes in gutture voces potius quàm exprimentes. Sic habet Chronicon Engoliſmenſe. Sed Gallici ſeu Francici Cantus emendationem, & cum Romano conſenſionem, longè antea à patre ſuo Pippino procuratam fuiſſe, ipſemet teſtatur Carolus Magnus, Capitularium lib. 1. c. 80. *Monachi vt Cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, ſecundum quod beatæ memoriæ genitor noſter Pippinus Rex decertauit vt fieret, quando Gallicanum Cantum tulit, ob vnanimitatem Apoſtolicæ Sedis, & Sanctæ Dei Eccleſiæ concordiam.* Nec certè Cantus iſte Romanus ſemper ſuis omnibus numeris abſolutus fuit, ſi vera & legitima eſt illa Damaſi, P. R. Epiſtola ad B. Hieronymum, qua ipſum rogat, vt ad ſe Græcorum pſallentiam mittat, ac ſi concinnior & perfectior eſſet ipſa modulatione Romana: Siquidem vt habet Epiſtola huiuſmodi, *Nec pſallentium mos tenetur, nec Hymni decus in ore noſtro cognoſcitur.*

§. 9.

Et quoniam de vocali Muſica ſermo eſt, non iniucundum videbitur, ſi velut parergon aliquod, iſtud ſubiiciamus. Principes Cantorum Chorum apud ſe habere ſolitos, non eſt quod Dauidem ipſum Diuinorum Cantico-

rum auctorem commemorem. Certum est Psalmi 4. titulum esse eiusmodi ex Hebræo, Victori in melodiis. Camius exponit, Præfecto Cantorum seu Præceptori, qui modum dabat, & voce cantantibus, & instrumenta Musica pulsantibus. Sozomenus, lib. 7. c. 23. narrat Theodosium Magnum valde Antiochenis ciuibus iratum, eo quod seditione populari statuas Imperatoris & coniugis eius illi deiecissent, & fune iniecto per vrbem traxissent, non aliter placatum fuisse, quàm cùm ipsius Cantores, qui ad eius mensam canere solebant, cantilenas, Antiochenis euenturas miserias ob culpam admissam, denuntiantes & deplorantes, decantarunt, concentu & modulatione adeo lugubri, vt ipsi Theodosio lachrymas extorserint, vnde illico placatus ignouit Antiochenis. Forsan & ea causa fuit, vt Musicæ audiendæ studio ita teneretur Theodosius Magnus, quod vndique conquiri & inuestigari iuberet omnes qui eleganter voce canere nossent, vt tradit Suidas, voce φωνασκεῖν. Si quis de Theodosio Iuniore canendi valde studioso, istud Suidæ explicare malit, non repugnabo. Gregorius Turonensis, lib. 8. historiæ Franc. cap. 3. meminit Clericorum cantantium in Regis prandio. Is erat Rex Guntrannus. Posteriora tempora non attingo.

§. 10.

Hactenus de Musica vocali, nunc de organica videndum, & paucis, cùm alij iampridem occuparint. Clemens Alexandrinus, Pædagogi lib. 2. c. 4. non censet reprehendendum esse Christianum, qui in publicis illis Christianorum Agapis seu conuiuiis ad lyram & cytharam, si modò artem nouerit, cecinerit, quandoquidem Dauidem Regem imitetur, qui Deo vel maximè gratus fuit. Vni-

cum proferam & illustre vsus istius organicæ Musicæ exemplum, in Ecclesia Parisiensi, hoc est, omnium Gallicanarum, vt nobilissima, ita clarissima. Sic habet Fortunatus Episcopus Pictauensis, lib. 2. Elegia 10. ad Clerum Parisiacum, tum B. Germano Parisiensium Episcopo:

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde senex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalinæ voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.
Tympana rauca senum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Antea Clerum & Chorum describens Parisiensem, præsentemque S. Germanum, ista refert:

Celsa Parisiaci Cleri reuerentia pollens,
Ecclesiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Dauidico Diuina poëmata pangens,
Cursibus assiduis dulce reuoluit opus.
Inde Sacerdotes, Leuiticus hinc micat ordo,
Illos canicies, hos stola pulchra tegit.
In medio Germanus adest Antistes honore,
Qui regit hinc iuuenes, subrigit inde senes.

§. II.

Ac quoniam in Ecclesiis nonnunquam vocalem Musicam organicæ subiungi in vno eodemque Cantico contingit, quod nos vulgò, *Te Deum laudamus*, nominare solemus, de huius antiquo vsu pauca dicamus. Concilio apud Theodonis villam, sub Carolo Magno, anno Christi 812. in Capitulo Ecclesiastico, memoratur, quo pacto finito Concilio, Ecclesiastici Hymnum, *Te Deum*, decantarunt. Vitæ Ludouici Pij Imperatoris incertus auctor, sed qui eo tempore vixit, narrat cùm Stephanus

Papa Remos, vbi erat Ludouicus Pius, venisset, Papa Ecclesiam ingrediente, comitante illum Ludouico Imperatore cum Antistibus & Proceribus, decantatum fuisse, *Te Deum laudamus.* Concilio Triburiensi, sub Arnulpho Imperatore, anno Christi, 896. initio Synodi, post orationem ab Imperatore habitam ad Patres Concilij, & post acclamationes, *Exaudi Christe. Arnulpho magno Regi vita*, sonantibus campanis, *Te Deum laudamus*, decantatum fuisse. Hactenus Musicæ vocalis vsum vtrique Ecclesiæ communem explanauimus, eumque à SS. Patribus laudatum ostendimus, cum teste B. Augustino, Epist. 119. c. 18. *Res sit tam vtilis ad mouendum piè animum, & accendendum Diuinæ dilectionis affectum.* Addo eiusdem Sanctissimi Episcopi eximiam sententiam, lib. 10. Confess. cap. 33. cùm exponit quid distent Psalmi Dauidici cantati à non cantatis, & quem fructum ex illis colligamus: *Aliquando*, inquit, *amplius mihi videor honoris eis* (Psalmis & Canticis Ecclesiæ) *tribuere quàm decet, dum ipsis sanctis dictis religiosius & ardentius sentio moueri animos nostros in flammam pietatis, cùm ita cantantur, quàm si non ita cantarentur; & omnes affectus nostri spiritus, pro sui diuersitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur.*

§. 12.

Nunc quid in illo concentu Patres reprehendendum censuerint, videamus. Clemens Alexandrinus, lib. 2. Pædagogi, c. 4. Musicam Chromaticam omnino damnat, atque à Christianis nullo pacto vsurpandam. Ac si Diatonicen & harmonicen probet. Plato lib. 3. de Republica, ab illa quam constituit ciuitate, amandat Lydiam mixtam, Lydiam acutam, Ionicam, Doricam, Phrygiam

modulationem, quia molles & effœminatæ ſint. Atque idem lib. 4. de Repub. cauendum eſſe ait, ne noua Muſicæ ſpecies inducatur, ſiquidem nuſquam Muſicæ modi mutantur, abſque maximarum Legum Ciuilium mutatione. Certum eſt ex eorum ſententia, qui de Muſica ſcripſere, Chromaticen nimium delicatam, mollem, ac veluti elumbem canendi rationem continere. Illa enim eſt quæ *vinnulata* voce exprimitur, quæ Iſidoro 3. Originum, c. 19. Leuis, mollis atque flexibilis exponitur, ſic dicta à *vinno*, hoc eſt, cincinno molliter flexo. S. Hieronymus, in c. 5. Epiſtolæ ad Epheſios, *In iſto canendi modo haberi*, ſcribit *guttur & fauces dulci medicamine colliniendas.* Interim iſtud obſeruandum, cum Beatiſſimus, his verbis, Perſium imitari voluerit, eo loco Satyræ 1.

—— *Liquido cum plaſmate guttur*
Mobile collueris.

Emendandum videri, *colluendas*, non, *colliniendas*, & forſam *modulatione* non *medicamine*; nec enim huic loco Perſij, aut medicamen, aut vlla potio quidquam facit, Turnebo altero Galliæ ocello auctore. *Vinnulas* voces illas, Chronicon Engoliſmenſe, *Colliſibiles, vel ſecabiles* appellat. Balſamo in Canonem 15. Concilij Laodiceni, μλωυ-είσματα vocat. Zonaras in Canon. 22. Concilij 2. Nicæni, explicat vocem illam Canonis, λυγίσματα, quæ damnantur, aitque ſignificare, vel ἀσέμνους ὀρχήσεις, vel ταῖς ᾠδαῖς λυγίσματα τῶν φωνῶν, ſeu inhoneſtas ſaltationes, aut vocum in cantilenis modulationes, ſeu flexiones. Sed ante hos omnes Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædag. c. 4. τὰς καμπὰς τῶν φθόγγων κακοτεχνοῦντες, flexuras, ſeu flexiones vocis improbè efficientes. Quamquam non negem in Harmonica & Diatonica, canendi mollitiem eiuſmodi

ipsius Cantoris, seu artificio, seu lenocinio, aliquando deprehendi. Alij ad modos musicos ista referunt.

§. 13.

Ioannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis lib. 1. de Nugis Curialium, c. 6. postquam asseruit ad mores instruendos, & animos exultatione virtutis traiiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed & instrumentorum modos, Sanctos Patres Domino applicādos censuisse, cum Templi seu Ecclesiæ reuerentiam dilatarent, ac præterea Ecclesiæ triumphatricis exemplo proposito; Subiungit, *Nihilominus, Phrygium modum & cætera corruptionis lenocinia, sanæ institutionis non habere vsum, sed prodere malitiam abutentis, ipsum cultum pietatis incestare, quandoquidem ante conspectum Domini in ipsis penetralibus Sanctuarij, lasciuientis vocis luxu, quadam ostentatione sui, muliebribus modis notularum articulorumque cæsuris, stupentes animulas emollire Cantores id genus nitantur.* Interea quæ de Phrygio modo scribit, tanquam eneruato & molli, non omnibus istud probabit. Ac ne Senecæ quidem potissimum, apud quem de Phrygij modi efficacia ista scribuntur, epistola 108. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo, nec aliter concitantur, quàm Phrygij tibicinis sono semiuiri, & ex imperio furentes.* Aristoteles lib. 8. Politic. c. 5. Phrygium Diuino furore afflare dixit. Scio modos Lydium, Dorium, Phrygium, plurimum à primæua sui origine & institutione deflexisse: Quod eleganter demonstrat Athenæus, lib. 14. c. 5. Nec istud Apulei in floridis, *Æolium simplex, Asium varium; Lydium querulum, Phrygium religiosum, Dorium bellicosum*, semper & constans, & verum fuit. Sed ad nostrũ Sarisberiensem redeo. Interim

quæ

quæ de sui seculi his in nugis corruptela, hoc loco prodit, obiter describere non incongruum videbitur, imo non sine fructu eius, quem sincerus & sine fuco cultus delectat Diuinus. *Quæ mentes emolliunt moresque subuertunt, à nostra ætate vndique adsciscuntur, licet ipsa vltra quam satis est vitiis suis abundet.* Subiungit historiam memorandam. *Quidam venerabilis vir circiter septingentarum Monialium pater, hanc Monasteriis suis præscripsit legem, vt omnia earum Cantica totius melicæ pronunciationis exuant modos, & vt sola Psalmorum & laudum sint significatiua pronunciatione contentæ. Suspecta equidem fuit sancto viro voluptati cognata mollities, eo quod voluptas parens libidinum est.* Iuuenalis Satyra 6.

——— Quod enim non excitat inguem
Vox blanda & nequam.

Absoluo vnius Isidori viri optimi eleganti oratione lib. 3. Sentent. c. 7. dum Christianum *non vocis modulatio, sed tantum verba Diuina quæ ibi dicuntur debeant commouere, nescio quo tamen pacto modulatione canentis maior nascitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui Cantus suauitate commoti, sua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectentur ad lachrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suauissima.*

CONSCIENTIA.

CONSCIENTIÆ definitio multiplex. Conscientiæ actus varij. Conscientia iuxta regulam iudiciorum expendenda. Conscientiæ monentis exemplum, Eua, Genes. 3. Conscientia vice Numinis. Deum nil latere. Conscientia nostri comes perpetuus, nostra omnia nouit. Conscientia testis; Iudex. An propriæ Conscientiæ iudicio standum, an aliorum existimationi. Conscientiæ examen quotidie constituendum. Auctores ad id, qua Sacri, qua Profani. An Iudex reprehendendus si innocens damnetur. Innocens male damnatus an infamis. Conscientia vltrix malefactorum. Exemplum ex Genes. 42.

CONSCIENTIA.

QVOD à Plinio de hominis, si non calamitoso, saltem parum læto, nec satis boni ominis, in hanc vitam ingressu & ortu pronunciatum est, vere equidem illud dictum, lib. 7. Præfat. *Hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abiicit* (natura) *ad vagitus statim & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas & has protinus vitæ principio. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt & omnium membrorum nexus: At homo infœliciter natus iacet, manibus pedibusque deuinctis, flens, animal cæteris imperaturum, & à suppli-*

cius vitam auspicatur, vnam tantum ob culpam, quia natum est. Quid si Plinius Christianæ fidei mysteria nouisset, non humanæ natiuitati culpam hanc adsignasset, sed originali noxæ & primi parentis à Deo præpotente ingratissimæ defectioni: Quin multo periculosiorem & grauiorem hominis ab ipsâ natiuitate, in postremũ vsque vitæ diem conditionem intellexisset, cum triplici iudicio sit obnoxius, Diuini Numinis, legum humanarum, & Conscientiæ propriæ. Sed duobus prætermissis prioribus, tertium nobis est discutiendum. De Conscientia, Iudice domestico, dicturis nobis prius ab ipsius vocis explicatione & descriptione initium ducendum videtur. Dorotheus Grecus scriptor, ex cuius lectione nemo nonnisi melior redire debet, Doctrina 3. scribit Deum, cum formaret hominem, illi inspirasse nescio quid Diuinum, mentem videlicet, illustrem, seu lumine aliquo præditam ac feruidam, hoc est, ad agendum alacrem, quæ hominem perspicue edoceret, malum à bono secernere, quæ *Conscientia* vocetur, quæque lex naturalis dicenda sit. Apud Ioannem Abbatem Raythu, suis in Ioannem Clymacum notis, longe clarior & accuratior extat Conscientiæ descriptio: nam in illa Dorothei aliquid desideratur, est autem eiusmodi. Conscientia est scintilla Diuini luminis, in homine condito subseminata à principio, quasi quædam cogitatio feruentior & illuminatiua, rationem lucis in se continens, & ostendens ei bonum & malum. Quod à Deo homini inditam vterque dixit, Tertulliano, *Animæ à primordio Conscientia Dei dos vocatur*, lib 1. contr. Marcion. Scintillæ istius Diuini luminis ita meminit S. Augustinus lib. 11. ciuit. c. 27. *Lucem illam incorpoream* (Diuinitatis) *contingere nequeunt* (animantia) *qua mens nostra quodammodo irradiatur,*

vt de his omnibus rectè iudicare possimus. S. Basilius in principium libri Prouerbiorum Salomonis istud exponit, quod homo apud se iudicium quoddam naturale habeat, per quod bona à malis, iusta ab iniustis facile discernat, cui necesse sit in agendorum electione & optione, rectas & iustas rerum differentias constituere. Iudicium naturale vir Sanctissimus appellauit, quandoquidem menti seu rationi vis quædam & energia indita sit, quæ nos vel benefactorum, vel secus, admoneat, non tantum, verumetiam rectè facta vel improbè, certissime iudicet & damnet. Sed quoniam hæc non sunt vnius generis & temporis, nulla faciliori via & ratione explicari possunt, quàm eâ quæ à B. Thoma, Scholæ nostræ Principe, tradita est; & quidem Conscientia in primis aliquid faciendum vel non faciendum iudicat, monet, stimulat, quod futurum respicit, & hanc Conscientiam ligantem atque incitantem vocamus: De qua Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. Aut in memoriam reuocat quicquid à nobis actum est, & de actione præterita testimonium profert. Tertio sub examen aduocat quod actum est, ac tum an rectè & iustè, an contra iustitiæ regulam admissum fuerit, diiudicat. Ex quibus Conscientiæ descriptionem huiusmodi constituere licet. Conscientia est actus rationis, quo applicamus nostram cognitionem seu scientiam, ad id quod agimus, istud præscribendo, monendo, suadendo; vel egimus, per recordationem, vel faciendum iudicauimus, approbando, vel minime faciendum, damnando. Hinc multiplicem Conscientiam licet colligere. Sed ne in immensum excrescat oratio, & quæ sunt Moralis Theologiæ singula quæque, huic quæstioni conuenientia, anxiè nimium, nec sine tædio, inuestigemus; in Conscientia expendenda iu-

diciorum ordinem & rationem ſequemur. Eſt autem huiuſmodi, vt primum aliquis conſtituatur reus, cuius cauſa in iudicium deducta diſceptari debeat. Reus vel crimen admiſſum fatebitur, aut negabit. Si primum, aut ſeipſum auctorem culpæ agnoſcet, aut in alterum velut impulſorem & conſultorem culpam trãsferet. Si negauerit, teſtes adhibendi, quibus auditis Iudex vel excuſat & abſoluit, vel damnat, hinc ſupplicium & pœna irrogatur. Eſt igitur nobis excutienda Conſcientia, primum quidem mouens & incitans, deinde accuſans & teſtis, tum Iudex abſoluens vel damnans. Extra controuerſiam illud eſt, rem obiectã iudicium, ſeu dictamen rationis mouere, adeò vt nobis ſuadeat ipſam aſſequendam. Huius rei nulla vel expreſſior, vel conuenientior imago ſtatui poteſt, quàm quæ Geneſis 3. deſcribitur. Cùm Eua vidiſſet *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditque viro ſuo*, illecta mulier Dæmonis oratione, necnon fructus pulchritudine ac ſuauiſſimo guſtu, comedit, virumque qui pari voluptate frueretur, impulit. At vbi illicò aperti ſunt oculi amborum, & ſe nudos eſſe cognouerunt, necnon ſeſe à facie Domini Dei abſcondere tentauerunt, tum accuſantem & teſtem defectionis Conſcientiam vltro ſenſerunt. Ac quanquam in alium culpæ partem maiorem transferre conarentur, nihilominus & Dei æquiſſimi Iudicis, & propriæ Conſcientiæ ſententiam acerbiſſimam experti ſunt. Sed teſtem Conſcientiam vniuſcuiuſque noſtrum, paulò fuſius explicemus. Mamertinus, Panegyrico ad Iulianum A. vere illud dixiſſe viſus eſt. *Ad vicem Numinis nobis noſtra Conſcientia eſt.* Quis vero tam à ratione alienus eſt, qui non intelligat Deum nihil latere:

S. Irenæus, 1. aduersus hæreses, c. 6. *Deus totus est cogitatus, totus sensus, totus oculus, totus auditus, & totus fons omnium bonorum.* Clementi Alexandrino, lib. 7. Stromatum, & aliis idem visum. Sed reliquos lubens omitto, quos recensere facillimum est, si de Diuina Prouidentia instituta esset dissertatio, vnum aut alterum addam duntaxat. S. Augustinus, epist. 111. *Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est: Totus oculus est, quia omnia videt: Totus manus est, quia omnia operatur: Totus pes est, quia vbique est.* Sibylla, apud Theophilum ad Antolycum, Deum vocat, πανεπόπτην μάρτυρα πάντων, Omnia videntem, & testem omnium. Tertullianus, lib. de Pœnitent. *Quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est.* Sic Iuuenalis Satyra 8.

Carpento rapitur pinguis Damasippus & ipse,
Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul.
Nocte quidem, sed Luna videt, sed sydera testes
Intendunt oculos.

Tantum non Christianè Quintilianus, Declamatione 314. *Licet nulli hominum prospexerint oculi, licet nulla cuiusquam mortalium Conscientia interuenerit, sub cœlo tamen fecistis, & ille fusus per omnes rerum naturæ partes spiritus adfuit, erat illic potentior testis.* Non alia nostræ Conscientiæ conditio, quam nemo nostrûm fallere potest, quæque non tantùm actiones nostras peruideat & contempletur, imo iis sese vltro immiscet. Seneca solens & more suo grauissimè ita censet, lib. de Tranquillitate, c. 2. *Sequitur se ipse, & vrget grauissimus comes.* Ea certè Conscientia est, quæ nos dies noctesque, & vbiuis locorum comitetur; Illam idcirco pœdagogo comparat Epictetus, apud Stobæum, Sermon. 106. Parentes pœdagogo, inquit, nos pueros tra-

dunt, qui vbique obſeruent ne quid lædamur. Ita Deus inſitæ Conſcientiæ nos tradit, quæquidem cuſtodia & conſeruatio nequaquam contemnenda eſt, quoniam & Deo diſpliceret, & Conſcientiæ noſtræ ipſi hoſtes eſſemus. *Sceleratis naturale eſt alienam Conſcientiam fugere*, aiebat Quintilianus, Declamat. 381. *At tuam quî effugies? Tegunt nos parietes, non abſcondunt. Vix quemquam inuenies, qui poſſit* (aut velit) *aperto oſtio viuere. Ianitores Conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit. Sic viuimus, vt deprehendi ſit ſubito aſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum aureſque vitare? Bona Conſcientia turbam aduocat; mala etiam in ſolitudine anxia & ſollicita eſt. Si honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant; ſi turpia, quid refert neminem ſcire cùm tu ſcias? Te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem.* Aptiſſimè hæc Stoïcus Romanus, epiſt. 43. B. Hieronym. epiſt. 47. *Bona Conſcientia nullius oculos fugit.* Præclarè B. Ambroſius, Serm. 46. & quidem Tertulliani imitatio eſt lib. 2. contra Marcionem: *Velut latenti & celanti, à Diuinitate Adæ dicitur: Adam vbi es? Non quod Adam conſpectum Domini latere potuerit, ſed quod peccatrici Conſcientiæ nullus locus tutus vel certus ſit, dum metuit deprehendi.* Senecæ ita viſum, epiſt. 27. *Scelera etiamſi non ſint deprehenſa cùm fierent, ſollicitudo non cum ipſis abit.* Et ea ipſa Conſcientia eſt teſtis flagitij. Senecæ eidem, 1. de Ira, c. 14. *Nemo inuenitur qui ſe poſſit abſoluere, & innocentem quiſque ſe dicit, reſpiciens teſtem non Conſcientiam.* Seneca ipſe apud Lactantium, lib. 5. c. 24. *Quid machinaris? Quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur, alium tibi peregrinatio ſubduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hîc, quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi contigiſſe vt oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodeſt non habere conſcium*

habenti Conſcientiam? Minutius Felix, in Octauio: *Vos conſcios timetis, nos etiam Conſcientiam ſolam, ſine qua eſſe non poſſumus.* S. Auguſt. epiſt. 15. *Cùm malum perpetratur, hoſtis eſt intimus, etiamſi nullius intimi loquacitate, aut lite vulgetur.* Non probo iſtud Calpurnij, Declamat. 47. *Etſi interim euaſit alicuius criminis conſcius quiſpiam, inueniet illum poſtremo vel fama.* Imò à propria iam deprehenſus Conſcientia, quamquam alioquin, humano quodam vitio, *Multi famam, pauci Conſcientiam vereantur,* vt ſcribit Plinius Iunior, epiſt. 20. lib. 3. Verùm vt eſt apud B. Ambroſium, epiſt. 44. *Abundat ſibi locuples teſtis Conſcientia.* Eorum quæ à nobis aguntur, teſtem Conſcientiam vidimus, nunc domeſticum Iudicem diſpiciamus. S. Chryſoſtomus, concione 4. de Lazaro, ait, Deum nobis in animo Iudicem perpetuò vigilantem & attentum conſtituiſſe, longè humanis Iudicibus diſſimilem. Hi ſiquidem pecuniis corrumpuntur, aſſentationibus deliniuntur, metu permouentur, multaque alia occurrunt, quæ rectum illorum iudicium deprauant. At Conſcientiæ tribunal nulli hominum cedit, ſed de noſtris & actionibus, quin etiam cogitationibus iuſtam illa fert ſententiam, adeo vt qui peccatum admiſit, ſeipſum condemnet, etiamſi nullus alius accuſet. Iuuenalis, Satyra 13.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori, prima hæc eſt vltio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Ita B. Ambroſius, epiſt. 44. *Sibi ipſum vnuſquiſque animum ſuum ſeuerum Iudicem, ſui vltorem ſceleris, & vindicem criminis habet.* Sed nobilis iſta quæſtio moueri ſolet: An vnius duntaxat Conſcientiæ iudicio ſtandum ſit, an

præterea

præterea famæ & aliorum existimationis aliqua ratio habenda sit. Sunt qui vni & soli Conscientiæ totum tribuendum esse putant. Seneca, 1. de Clement. c. 15. *Quilibet nostrum aduersus opiniones malignas, satis fiduciæ debet habere in bona Conscientia.* Sanctus Augustinus, epist. 15. *Cùm falsum quid à maledico fingitur, aut omnino non creditur, aut certe integra salute, sola fama vexatur.* Ac si famæ vel nullam, vel exiguam sollicitudinem haberi velit vir planè Diuinus. Vnde eiusdem istud est, lib. contra Secundinum Manichæum, c. 1. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei Conscientia non accuset.* Eodem pacto ille ipse in Psalmum 37. *Custodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit causam tuam. Præualebit in te falsum testimonium, sed apud homines.* Taciti consilium ea in re, lib. 2. *Relinquendum rumoribus tempus quo senescant, plerumque innocentes recenti inuidiæ impares.* Apud B. Hieronymum, epist. 30. *Celata virtus & Conscientiæ sota secreto, Deum solum Iudicem respicit.* Ita S. Zeno, Sermon. de Susanna. *Sufficit pudicitiæ Conscientia, testis est Deus.* Ista non placet exceptio B. Hieronymo, epist. 22. apud quem, *Illæ, quæ, sub virginali nomine lucrosius pereunt, solent dicere, Omnia munda mundis. Sufficit mihi Conscientia mea.* Quàm grauiter Ageruchiam dehortatur ab ea sententia, epistol. 11. *Nec paratum habeas illud è triuio: Sufficit mihi Conscientia mea, non curo quid de me loquantur homines. Et certè Apostolus prouidebat bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne per illum, nomen Dei blasphemaretur in gentibus,* 2. *Corinth.* 8. Ita SS. Patribus visum est, non vni duntaxat Conscientiæ propriæ consulendum, verumetiam famæ & existimationi. Tertull. lib. de Cultu fœminarum. *Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verùm & videri.* S. Augustinus, lib. de bono

viduitatis, c. 22. *Non sunt audiendi, siue viri sancti, siue fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere Conscientiam, existimationem hominum, non solum impudenter, verumetiam crudeliter contemnentes, cum occidant animas aliorum.* Concludit tandem. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Eodem sensu ille idem, c. 9. Tractatu de Ouibus. *Conscientia tua coram Deo est, conuersatio tua coram fratre tuo.* Sic epist. 225. *Nostra purganda vobis est fama, si est Domino purgata Conscientia.* Abunde pertinaci cuilibet, qui aliter senserit, ista eiusdem Beatissimi Episcopi sufficient. Post allatum Apostoli locum 2. Corinth. 8. de quo suprà: subiungit Serm. 49. de diuersis. *Propter nos Conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite; Duæ res sunt, Conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens Conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est.* Ita S. Ambrosius, epist. 44. *Fugiat Conscientia etiam mala opprobria; etiamsi se credat non posse conuinci.* Lactantius lib. 5. c. 12. Istud Carneadis damnat, qui affirmabat malle sapientem malum esse cum bona existimatione, quàm bonum cum mala. Seneca optimè, epist. 70. *Vitam aliis approbare quisque debet: Nam nemo non benignus est sui iudex,* aiebat ille idem lib. 2. de Benef. c. 26. Quanquam nostra hæc Conscientia sæpius iudicio Diuino aliter sit obnoxia atq; humano. Sic apud Senecam Patrem, lib. 1. Controu. 2. *Aliter Deorum Numini subiecta vniuscuiusque Conscientia est, aliter nostræ æstimationi.* Illud certè in primis cogitandum esse nemo nescit, vniuscuiusque nostrum Conscientiam ad Dei nutum & voluntatem componendam esse,

De qua re Senecæ locus elegans extat apud Lactantium lib. 6. c. 24. Senecæ mirabilis ſententia; *Magnum neſcio quid, maiuſque quam cogitari poteſt, Numen eſt, cui viuendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodeſt incluſa Conſcientia, patemus Deo. Cœleſtis prorſus oratio, niſi antecederet ignorantiæ confeſſio, nihil prodeſt incluſam habere Conſcientiam, patemus Deo. Nullus ergo mendacio, nullus diſſimulationi locus eſt, quia parietibus oculi hominum ſubmouentur, Dei autem Diuinitas nec viſceribus ſubmoueri poteſt, quominus totum hominem proſpiciat & norit. Et quanquam rectè & ad Dei iuſſum noſtram conſtituerimus Conſcientiam, puſillorum tamen ſcandalum vitandum eſt, nec quidquam à nobis vel agatur, vel inſtituatur, quod non ſit ad ædificationem proximi.* Diuinè, vt ſolet, B. Bernardus, lib. 3. de Conſiderat. c. 4. *Intereſt malas res, & malas ſpecies deuitare: In altero Conſcientiæ, in altero famæ conſulendum.* Quanquam optimus quiſque, & qui ſua omnia ad omnem honeſtatem & virtutem, addo & vtilitatem publicam, inſtituit & refert, non tam hominum exiſtimationi laboraſſe, quàm officio ſuo, & publicæ ſaluti, ac Reipublicæ non defuiſſe videri malit. Vnde Plinius Iunior, epiſt. 8. lib. 1. *Maiore animo honeſtatis fructus in Conſcientia, quàm in fama reponatur.* Senecæ præceptum eſt, lib. 3. de Ira, c. 41. *Conſcientiæ ſatisfiat, nil in famam laboremus.* Et lib. 4. de Benef. c. 21. *Conſcientia* (propoſiti boni alicuius agendi) *etiam obruta delectat, quæ concioni ac famæ reclamat, & in ſe omnia reponit, & cum ingentem ex altera parte turbam contra ſentientium aſpexit, non numerat ſuffragia, ſed vna ſententia vincit.* Verum equidem illud Senecæ in Hyppolito, *Fama vix vero fauet, Peius merenti melior & peior bono.* Hactenus Conſcientiam noſtram Iudicis officio fungi demõſtrauimus, nunc

quo pacto vel nos absoluat, vel damnet videamus. S. Chrysostomus, in Psalmum 50. Conscientiam nostram Codici, in quo rationes quotidianas describamus, persimilem esse dixit; at singulis diebus, si sapimus, hunc domesticum Codicem examinare debemus, vt accepti & expensi ratio certa constet: Idem quotidie in Conscientia nostra excutienda faciendum. Vnde os istud verè aureum vnumquemque admonet, cùm in lectum se coniicit antequam somnus irrepat, Codicem hunc Conscientiæ consulat, & peccata in eo descripta examinet, & quid vel opere, vel sermone, vel cogitatione admisit diligenter expendat, opportunum tempus istud nobis oblatum cogitemus. Nam interdiu ob ingruentia vndique negotia, seu domestica, seu externa, non licet. Antea illud idẽ scripserat, S. Basilius, Sermone priore de Institutione Monachi, & S. Ephrem, Sermone ascetico, seu de vita Religiosa, singulis diebus, mane & vesperi, cum nostra Conscientia ineundam esse rationem contendit. Istud iam olim à Gentilibus, & profanis hominibus factitatum esse legimus. Pythagoræorum dogma fuit, vt refert Iamblicus, de vita Pythagoræ, c. 35. necnon B. Hieronymus, Apolog. 3. aduersus Ruffinũ. *Duorum*, inquit, *temporum quammaximè habendam curam, manè & vesperi*, id est, eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gesserimus. Ac forsan eius rei exemplum peti potest ex c. 24. Genes. vbi habetur Isaac inclinata iam die egressum in agro ad meditandum: Alij ex Hebræo vertunt ad orandum. Ausonius Edyllio 8. virum bonum ita describit, ex Pythagoreorum doctrina, vulgaribus carminibus expressa.

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.

Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque à vespere cuncta reuoluens
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.

Ab his non longè abeunt, quæ Chiloni, Sapientum vni tribuit Ausonius:

Noctu diuque quæ geras, quæ gesseris
Adusque puncti tenuis instar, quærere.

Aurea planè sunt ista Senecæ, lib. 3. de Ira, c. 36. *Animus quotidie ad rationem reddẽdam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt, cõsummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad Iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quàm tranquillus, altus ac liber, cùm aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui, censorque secretus cognoscit de moribus suis. Vtor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cùm sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior.* Sed quis huius nostræ Conscientiæ discussionis fructus ad nos perueniat, indicant SS. Ephrem & Chrysostomus, cùm ex illa quotidiana & vespertina peccatorum repetitione & recordatione, lachrymarum non tenuis exoriatur copia, quæ nobis ad absolutionem viam parat, tanto faciliorem, cùm Confessioni adiuncta fuerit. Siquidem Tertulliano auctore, libro de Pœnitentia: *Tantum releuat Confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confeßio enim satisfactionis consilium est, dißimulatio contumaciæ.* Sed quoniam de Conscientiæ nostræ iudicio disserere cœpimus, non abs re videbitur illam excutere

quæstionem, an Iudex ex Conscientia iudicare debeat, an ex rationum & probationum momentis. Non leue est, inter nonnullos Iuris Ciuilis, & Pontificij Scriptores, de ea re dissidium, de quo copiosissimè Didacus Couarruuias, Episcopus Segobiensis, vir summus, variar. lib. 1. c. 1. Addo Iulium Clarum, Sententiar. lib. 5. quæst. 8. qui contendit Iudicem non posse damnare eum, quem propriis oculis flagitium aliquod perpetrantem conspexerit, nisi aliter probetur. Veteris Scholiastæ, apud Harmenopulum, lib. 1. tit. 4. Scio istud, *Leges, non facta, Iudicem cognoscere debere.* Ac quamquam Iurisconsultorum nostri æui facilè princeps obseruat lib. 12. c. 19. in eam propendeat sententiam, vt ex actis & probatis iudicandum esse videatur: contrariam tamen acutissimè, & certè vehementissimè tuetur Ioannes Corasius, Iurisconsultus magni nominis, lib. 4. Miscellaneorum, c. 20. Siquidem affirmat, nullo casu ex actis contra Conscientiam, hoc est, certissimam scientiam eius rei quæ in animo nostro versatur, iudicandum esse. Rationes quas affert, tanti ponderis & momenti esse puto, vt facilè dissolui nequeant. Addo Cod. lib. 2. tit. 11. l. vnica, istud firmari, quandoquidem ita statuit: *Non dubitandum esse, Iudicem, si quid à litigatoribus, vel ab his qui negotiis adsistunt, minus fuerit dictum, id supplere, & proferre quod sciat, legibus & iuri publico conuenire.* Et certè à Liuio, lib. 32. verè pronuntiatum est, *A veritate Ius nimis sæpe laborare, extingui nunquam.* Rei, aut inter reos delati, reapse insontis, innocentia firmis probationibus si caruisse visa fuerit, quidni ergo Iudex, cui res optimè cognita fuerit ex Conscientia, innocenti subsidium ferat? Etenim, *non ius, sed probatio deficit,* ait Paulus I. C. Censuit humanissimè Trajanus, D.

lib. 48. tit. 19. l. 5. *Satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.* Quin iis adtexere licet, quod scripsit B. Chrysostomus, homil. 2. Oper. Imperf. in Mathæum, Iustius esse iniustum iustè euadere, quàm iustum iniustè perire, quia etsi reus semel euaserit, iterum potest perire; innocens autem si semel perierit, iam non potest reuocari. *Iudicem in probationibus & nonnunquam in damnatione Innocentis caligare, falli, labi, hominis miseriam* appellat S. Augustinus, lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 6. & quanquam totum caput ad hâc quæstionem faciat, ex eo quod præcipuum videtur, subiiciam. *Quid quod aliquando & ipsi qui arguunt* (accusatores) *humanæ societati, fortasse ne crimina impunita sint, prodesse cupientes & mentientibus testibus, reoq; ipso contra tormenta durante immaniter, nec fatente, probare quod obiiciunt non valentes, quamuis vera obiecerint, à Iudice nesciente damnantur. Hęc tot & tanta mala non deputat esse peccata. Non enim hęc facit sapiens Iudex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi, & tamen, quia cogit humana societas necessitate etiam iudicandi. Hæc est ergo, quam dicimus, miseria certè hominis, etsi non malitia sapientis. Quantò consideratius & homine dignius agnoscit in ista necessitate miseriam, eamque in se odit, & si pie sapit, clamat ad Deum: De necessitatibus meis erue me.* Absoluo tandem propositam quæstionem de Iudice, non ex actis, sed ex Conscientia pronuntiante, nouo quodam Iacobi Menochij, alioquin Iurisconsulti Clarissimi, commento, lib. 1. de arbitrar. Iudicum causis, qu. 8. dum scribit Iudicem non propriam in iudicando, sed communem & publicam sequi posse Conscientiam. Distinctionem istam Conscientiæ in propriam, seu priuatam, & communem, seu publicam examinandam relinquo Lytis Iustinianeis. Neque vero istud omittere pos-

ſum, non ſemper in Iudices conferendam culpam, ſi innocens ab iis damnetur, ſiquidem, vt habet Quintilianus, Declamat. 266. *Aliquando teſtis corrumpitur, aliquando parum diligenter cauſa defenditur, aliquando reo nocet ipſa fiducia.* Apud Tacitum, & alios hiſtoriæ ſcriptores, non deſunt harum rerum exempla. Sed illud obſeruatione dignum maximè, Innocentem malè interemptum veterum iudicio, infamem idcirco non videri. Ita cenſet Arnob. lib. 1. *Nemo vnquam innocens malè interemptus, infamis eſt. Nec turpitudinis alicuius commaculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem.* Sic Plautus Captiuis, Act. 3. *Qui per virtutem perbitat* (perit) *non interit.* Epictetus, apud Arrianum, lib. 3. c. 18. *Iudicis ſententiâ pro impio damnatus es? An id de Socrate iudicatum non fuit? Nunquid ad te pertinet quid Iudex de te pronuntiet? Nam damnari, vel non damnari, vt alterius eſt opus, ita quoque malum eſt alterius. Te damnabit iniuſtè? Igitur miſer cenſendus, qui fert ſententiam.* Plato, epiſt. 7. ad Dionis propinquos, Dionem licet interfectum, honeſtè periiſſe affirmat, quandoquidem viro, qui præſtantiſſima quæque ſibi patriæque affectat & molitur, nil vnquam niſi rectum pulchrumque poteſt accidere. Nihilominus tamen, *Sera poſt damnationem Innocentiæ defenſio eſt,* ait Quintilianus, Declamat. 372. Philetas, apud Curtium, lib. 6. *Vincti hominis* (addo & de quo pronuntiatum ſit) *non ſuperuacanea tantum, ſed etiam inuiſa defenſio eſt, quæ Iudicem non docere videatur, ſed arguere.* Seneca, Medea: *Vox conſtituto ſera decreto venit.* Poſtremam, quæ ſupereſt de Conſcientia damnante & vltrice diſputationis partem, breuiter attingemus; res enim notiſſima eſt, & quæ in Rhetorum ſcholis non ſine tædio ampliſſimam declamandi

mandi materiam suppeditare consueuit. Seneca, epist. 97. *Prima & maxima peccantium est pœna peccasse, nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc & illa, secundæ pœnæ premunt ac sequuntur, timere semper & expauescere, & securitati diffidere.* Illud antea docuerat, vt & epist. 105. *Tuta scelera esse possunt, secura non possunt.* Quandoquidem pro fortunæ amplitudine & dignitatis splendore, alicui improbo & facinoroso vis facilè inferri non potest, ita vt ab inferiorum conatibus tutus sit, apud se vero securus nullo modo existat. Vnde subiungit. *Consentiamus mala facinora Conscientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo vrget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Multos fortuna liberat, metu neminem.* Epist. 105. *Confusam vitam & perturbatam impotentes agunt; tantum metuunt quantum nocent, nec vllo tempore vacant. Trepidant enim cum fecerunt: Hærent. Conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat pœnas quisquis expectat; quisquis autem metuit, expectat.* Tertullianus libro quarto contra Marcion. *Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine Conscientia sui.* Sic Apuleius, Apolog. *Quod si à cæteris silentium est, ipsi sibimet conscij sunt, posse se merito increpari.* Elegans ad eam rem B. Zenonis Veronensis locus, Sermon. 2. ad Neophyt. *Peccator pædorem sui secum carceris portat, qui carnificem sentit antequam videat, qui nomen Iudicis pertimescit, qui sicundè susurrus ingruerit, se quæri, se existimat inueniri, cui securitati profectus est nullus, etiamsi contingat ei accusatore carere, teste conscio, cum seipso carere non possit, quia violentior omni tortore Conscientia, nunquam*

ſuum deſerit peccatorem. S. Auguſtinus epiſt. 259. loquens de iniquo Iudice, qui duos fratres ſupplicio affici iuſſerat, vbi alterius fratrum, quem à probitate morum, religionis ſinceritate, cæteriſque virtutibus mirificè commendat Sanctiſſimus Epiſcopus carcerem, cum honore ſeu dignitate Iudicis minime comparandum eſſe contendit, iſta ſubiicit: *Cum ille fureret ſublimatus, iſte gauderet incluſus, horrendis & pœnalibus tenebris omnes non tantum carceres, ſed etiam inferos vincit ſcelerati hominis Conſcientia.* Vltricis Conſcientiæ exemplum ſingulare adducit S. Chryſoſtomus, epiſt. 7. & magiſtrum ſecutus Iſidorus Peluſiota, lib. 3. Epiſt. 115. Simeonis Patriarchæ, Iacob filij, Is iubente Ioſeph, in Ægypto, coniectus eſt in carcerem, & dum illi parantur vincula, ad fratres, qui aderant, conuerſus, ait, Geneſ. 42. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus, idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio.* Simeon, poſt Ruben primogenitum, cæterorum natu maximus fuit, qui ſi ſe Ruben, ipſum Ioſeph ab aliorum iniuria liberare cupienti, adiunxiſſet, facilè reliquos in ſuam pertraxiſſet ſententiam, & eo facilius, cum in fratrum ſerie quartus Iudas, idem ſentiret cum Ruben. Tradit autem S. Chryſoſtomus Simeonem iſtum auctorem & aſſertorem fuiſſe apud Patrem Iacob Patriarcham, fabulæ, de Ioſeph à fera peſſima deuorato. Meritò itaque in vincula coniiciendus, meditati & peracti in fratrem Ioſeph ſceleris, grauiſſimas in animo & vltrice Conſcientia pœnas ſenſit. Rectè Pacatus Drepanius, Panegyrico: *Habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex Conſcientia.* Luculentiſſimus huius rei teſtis Tyberius Imperator, ſua ad

Senatum Epistola, apud Suetonium in Tyberio, c. 67. *Quid scribam vobis, Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam. Hoc tempore? Dij me Deæque peius perdant, quàm quotidie perire sentio, si scio.* Præclara quæ sequuntur apud Tacitum Annal. 6. *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant, Tyberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.* Istud alio loco delibauimus. De Nerone & Domitiano, qui *Neronis portio* vocatur Tertulliano, Apologet. c. 5. Apud Suetonium nimis multa, & Tacitum Annal. 15. Istud de Gallo Cæsare, Iuliani Apostatæ fratre, à Marcellino, lib. 14. grauiter expressum. *Galli Cæsaris per inducias naturæ conquiescentis sauciabantur sensus, circumstridentium terrore laruarum, interfectorumq; cateruæ, Domitiano & Montio præuiis, correptum eum, vt existimabat in somnis, vncis furialibus obiectabant.* Nec illud silentio prætermittendum quod narrat Eunapius, in vita Maximi Philosophi, Festum, qui Maximum ipsum supplicio affecisset, asseuerare, sibi visum Philosophum hunc, qui numella collo iniecta, ipsum ad Orcum pertraheret, sistendum Plutonis iudicio. Non sunt ista Quintiliani, Declamat. 314. spernenda, *Sunt illa vera quæ extremo miseri spiritu dicebantur: Dabis mihi scelerate pœnas, persequar quandoque & occurram. Nec illa mihi vana quorundam videtur esse persuasio, qui credunt non extrinsecus has Furias venire, nec vllius Deorum impulsu, hanc mortalibus incidisse dementiam, sed nasci intus, Conscientiam esse, quæ torqueat, animum esse, qui vrat.* Seneca Hyppolito.

Quid pœna præsens, conscius mentis pauor,
Animusque culpâ plenus & semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.

Mellitissimi B. Bernardi ardentissima ad Deum precatione absoluo, lib. de Interiori domo, c. 31. *Eripe me ab homine malo, id est à meipso, à quo recedere non possum. Nam quocumque me verto, vitia mea me sequuntur; vbicumque vado, Conscientia mea non me deserit, sed præsens adsistit, & quidquid facio scribit. Idcirco quanquam humana subterfugiam iudicia, iudicium propriæ Conscientiæ fugere non valeo. Et si hominibus celo quod egi, mihi tamen, qui noui malum quod gessi, celare nequeo. Proprij reatus Conscientia me non requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet, & de die iudicij vehementius terret. Nam in die illa cum Dominus ad Iudicium venerit, vniuscuiusque Conscientia ad testimonium adducetur, & aperto libro Conscientiæ, omnis culpa ante oculos reducetur, atque ita cogente Conscientia, vnusquisque erit accusator & Iudex suus.*



REGIA MAIESTAS
Sacro-Sancta.

§. 1.

RELIGIO *metu constat, ita Maiestas & honor Regi, & honor simul & timor exhibendus.*

§. 2.

In eos qui maledictis & libellis famosis Reges ac Principes insectantur: Principes licet hæc non attingant: an Poëtis, quibus mentiri peculiare, istud liceat. Nonnullis infœliciter istud cessit.

§. 3.

Historicis quibus pro scopo veritas, an istud permissum, & quomodo.

§. 4.

Fanaticorum hominum in Principes etiam defunctos scribendi audacia & proteruia, quid de scriptis eiusmodi statuendum. In parricidas Regum stylus stringendus.

§. 5.

An Princeps liberas populi voces prohibere debeat. Verborum aut scriptorum petulantiam olim leges coercuerunt. Quid de lege Theodos. Arcad. Honor. Impp. Cur adeo benigna Magistratus pro legum veterum seueritate agat, nec Princeps id curet.

§. 6.

Quid si Princeps sua potestate abutatur, scripto læsus, an Reipublicæ, an priuatam vlcisci debeat iniuriam. Magnificè contemnet. Attamen libero monitore eoque familiari, si sapiat, carere non potest.

§. 7.

Principem lædi non posse sine Diuini Numinis læsa religione.

§. 8.

Formula Sacramenti militaris præstiti Imperatoribus à militibus Christianis. Rex Francorum, Rex Sacerdotalis, vel Pontificalis.

§. 9.

Principes parentes publici, in quos non aliter affectus populus quàm liberi erga parentes. Parentes etiam paulò morosiores ferendi.

§. 10.

Principes tutores publici, subditi pupilli, quibus in tutores

nefas moliri quidquam. Quid vnctio Sacra, & cuius energia in Regibus. Principis ſalus omnium ſalus, & contrà.

§. 11.

Quid Principi agendum, ſi quis ſuorum res nouas moliatur. Principibus innata quodammodo Clementia. Principem ſuſpicacem eſſe decet, nec motiuncula illum rerum caput omittere cogat.

§. 12.

Princeps non tantum ſibi ſed etiam fidiſſimis Conſiliariis proſpicere debet. Non perfecta modo verum & cogitata ſcelera, maxime in Principem, vindicanda.

§. 13.

Publica adminiſtratio non eſt abſque Inuidia. Princeps cuncta exploret, ſed omnium potiſſimum tacitus & ſilens. In ingratos ſeuerus. Eſt miſericordia puniens, eſt crudelitas parcens.

§. 14.

Principi quo pacto Eccleſiæ benignitas propoſita. Qualis hæc deſcribitur. Et quouſque illam Princeps æmulari debeat. Princeps cui Superiori ſubiicitur.

§. 15.

Apoſtolorum quodnam in fideles imperium. Eccleſia Dei placatrix eſt, non exacerbatrix. Quid de turbone potentiſſimo agendum, an iudiciorum mos & forma ſeruanda. Princeps ſibi ſimul ac toti Imperio confeſtim caueat.

§. 16.

Principis tutela certiſſima eaque multiplex à Cælo, ab innocentia, à pietate.



REGIA MAIESTAS
Sacro-Sancta.

§. I.

INCREDIBILEM huius seculi stuporem non possum non vehementer mirari, neque placent, quanquam ingenio & doctrinâ præstantes viri, qui illud ad summam perductum solertiam pronuntiarunt. Ac quamuis de ipsis disciplinis & artibus aliquis esset dubitandi locus, cùm eas sic excultas, sic illustratas hoc tempore videamus, vt meras à maioribus pro luce oblatas nobis esse, magnâ parte, tenebras, non immeritò asseuerare audeamus. Sed si Religionis & sinceri cultus Dei ratio habeatur, nescio quo veterno hominum, qui nunc sunt, mentes non leuiter & occupatas & oppressas facilè deprehendemus. Ecclesiæ veri ac germani filij veram se religionem spirare existimant; abdicati filij, nil nisi passim religionem iactant: hos tandem aliquando sanates nominari magnopere exopto & percupio. Fortes verò illos Catholicos Christianos adeò parum de religione cogitare quis credat? aut quomodo illud ipsum agnoscatur, præsertim videndum est. Religio metu constat. Ita Septimius Florens: *Dominum simul cognoueris, timeas; simul inspexeris, reuerearis.* Lactantius paulò fusiùs & *Tertull. de Pœnit.*

Lactant. de ira Dei, c.8. ornatiùs istud explicat: *Quomodo*, inquit, *religio ipsa sine metu teneri aut custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur; quod contemnitur, vtique non colitur: ita fit vt religio, & majestas, & honor metu constet.* Et alio quidem loco, Lactant. Epitom. c.2. sapientiam & religionem ita coniuncta esse affirmat, vt sapientia spectet ad filios, quæ exigit amorem; religio verò ad seruos, quæ exigit timorem. Inde loci istius Apostolici, 1.Petr.2. *Deum timete*, interpretatio petenda est, vt nemo, quâ par est pietate, Deum præpotentem colere existimetur, nisi qui eundem pertimescat. Quemadmodum *Promerendi artificium, obsequium est*, vt Tertulliano placet: Tertull. de Patient. ita religiosi metus hoc certissimum argumentum. Quàm diuinè, quàm sapienter, non Iudæis modò, sed vniuersis Math.22. mortalibus istud edixit Seruator Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et quanquam gentes plurimæ Cæsari, hoc est, Romano Imperatori, minimè tunc temporis subessent, suos nihilominus Cæsares, id est, Reges & Principes habebant. Etiam multi hoc tempore, Patris æternam Sapientiam Christum Dominum audiendum magis quàm auscultandum censent. Rom.13. Nec pluris faciunt quæ à B. Paulo tam disertè, tam accuratè disseruntur: *Nullam esse potestatem nisi à Deo; & qui resistat potestati, Dei ordinationi resistat; tum quisquis resistat, ipse sibi damnationem acquirat:* Principem Dei ministrum esse, vindicem in iram ei qui malum agit; ipsi itaque subditos necessariò esse debere Christianos omnes, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, non tantùm quia vi quadam externâ & legitimâ, cùm Dei vices agant, animaduertendi in facinorosos potestate cogantur, verumetiam interno conscientiæ foro, & ipsa dictante conscientia obligentur. Apostolorum Princeps vno

vno & altero verbo rem totam complexus eſt: *Deum timete, Regem honorificate.* Siquidem diuini metus nomine, omne illud quod ad religionem, & in Deum pietatem ſpectat, ex iis quæ à nobis ſuperius propoſita ſunt, facile intelligitur: Quod autem de Rege honorificando ſubiungitur, à priori illa, de Deo timendo, ſententia, nullâ omnino ratione ſeiungi poteſt. Sic enim apud B. Paulum iſta copulantur, vt qui poteſtati timórem, eidem & honorem tribuendum pręcipiat. Ac certè Tertulliano, quaſi in hunc locum digitum intendenti, ita viſum his verbis: *Timor hominis, Dei honor eſt.* Nec aliter de Regibus ac Principibus ſentiendum: quin quod de Deo Opt. Max. ſcripſit Chriſtianus ille Cicero, ad Principes ipſos meritiſſimè transferri poſſe, nemo niſi planè ſecors negauerit, *Deo ab homine duplicem honorem*, id eſt, amorem cum timore, *deberi.* Vt igitur Deum timere, hoc eſt, ſummâ nos veneratione & honore proſequi profitemur; ita viciſſim Regem honorificare, id eſt, pro ea quam è cœlo accepit poteſtate, & veluti diuina legatione, illum, iuxta regulam Apoſtolicam, reformidare debemus.

1. Petr. 2.

Tertull. de Pœnit.

Lactant. Epit. 2.

§. 2.

Ecquis igitur religionis ſenſus in iis deprehendi poteſt, qui omni contumeliarum & conuitiorum genere Reges inſectantur? An Deum timere exiſtimandi ſunt, qui Regi præcellenti, qui Poteſtatibus ſublimioribus, qui Dei ordinationi obluctantur? ſic enim iſta duo inter ſe connexa ſunt apud Apoſtolos iſtos primarios, vt qui ab horum altero diuortium fecerit, alteri repudium dixiſſe neceſſum ſit. Quamobrem ex his quæ à nobis hactenus dicta ſunt, apertiſſimè conſtat, dum Reges & ſeculi Poteſtates incredibili contemptu proſcinduntur, reli-

gionem ipsam Christianam grauiter labefactari, ac penè conuelli. Istud paulò latius explanare par est, ac videndum Reges & Principes non vno modo oppugnari ab iis, quos vel cæca ambitio, vel immanis furor penitus dementauit, aut enim stylum stringunt in eos, aut parricidale scelus meditantur. De stylo prius videndum: sic enim cogitant fanatici homines, vbi eorum maledica scripta in manus hominum, quos plus æquo vaniores dixeris, quàm stolidiores, peruenerint, fore vt postpositâ omni erga Principem obseruantiâ & metu, ad quiduis audendum & audaciores, & paratiores euadant. Libros istos pestilentissimos expendamus. Cremutij Cordi, apud Tacitum, nonnullis placet illa sententia: *Carmina Bibaculi & Catulli referta contumeliis Cæsarum leguntur, sed ipse D. Iulius, ipse D. Augustus & tulêre ista & reliquêre, haud facile dixerim moderatione magis, an sapientiâ: namque spreta exolescunt, si irascare agnita videntur.* Nec enim ista Principes excelsiore loco positos attingunt, nec magis conspurcant, quàm si quis Solem conspuat. Principem maiorem esse quàm vt cuiusquam contumeliâ minui possit, aiebat Seneca. Poëtarum impulsioni nonnihil donandum aiunt. *Poëtis & fallere & mentiri familiare.* Seneca appositè: *Poëtæ non putant ad rem pertinere verum dicere, sed aut necessitate coacti, aut decore corrupti, id quemque vocari iubent quod bellè facit ad versum.* Hinc Dion Chrysostomus Homerum dixit, lenocinio versuum suorum homines κατα-γοητεύειν, incantare; Ita enim Lactantius interpretatur, quis sit Poëticæ licentiæ modus, & quousque fingendo progredi liceat. Sed seu furere, seu lasciuire Poëtis concessum esse dictitent, ab ipso Principe, si sapiunt, abstineant omnino; Meminerint Pollionis istius Romani, in

Tacit. l. 4.

Senec. 1. de Clem.

Senec. 1. de Benef. 3.

Dio Chrysost. Orat. 12.

Lactant. 1. c. 19.

Macrob. l. 2. Satur. c. 4.

Macrob. l. 2. c. 4.

quem cùm Augustus fescenninos scripsisset, prudenter respondit: *At ego taceo; Non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere.* Verissimè & aptissimè dictum,

Nunquam sunt grati qui nocuere sales. Catalect.

Infœlicissimus Sotadis Poëtæ exitus, supra cæteros fidem facit. Is cùm importunam quandam scribendi libertatem in Reges aliquot exercuisset, ac potissimùm Ptolemæum Philadelphum, ob incestas cum sorore Arsinoë nuptias, grauissimè perstrinxisset, Alexandriâ ejectus, à Ptolemæi duce aliquo comprehensus, in amphoram plumbeam coniectus, in mare præcipitatus est. Taciti aurea sententia: *Acerbarum facetiarum apud præpotentes in longum memoria est.* Huius rei historia insignis habetur apud Hesichium Illustrium. Daphidas Telmissæus Grammaticus vnumquemque conuitiis lacessebat, ipse, irrisionis gratiâ, Pithiam Apollinis Sacerdotem interrogauit, an equum esset inuenturus, cùm nec amisisset, nec quæreret, respondit illa, non multò post equum esse ipsum repertūrum. Quod cùm irrisisset, accidit vt inde digrediens, obuium haberet Attalum Regem, qui eum exosum habebat ob perpetuum maledicendi studium, cuius iussu è rupe confestim præceps actus est, & huic loco nomen erat, *Equus.* Tacit. l. 5. Annal.

§. 3.

Historiæ scribendæ ratio longè diuersa, quamquam paucos videam, quos partium studia non inflexerint aliquantulum. Verè Tacitus: *Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi fœdum crimen seruitutis, malignitati falsa species libertatis inest, hinc veritas pluribus modis infracta; primùm studio politiæ nouandæ, mox odio aduersus dominantes, aut libidine assentandi.* Meo quidem iudicio rectè Tacit. l. 1. Histor.

Senec. Consolat. ad Marc.

Seneca, & nos Commentario *de Idololatria politica*, copiosius disseruimus: *Fama liberrima Principum Iudex.* Non quæuis tamen, non infimæ plebeculæ & imperitæ sermonibus constans: sed peritiorum, sed qui rerum gerendarum causas & momenta non ignorent. Si quid à Principe summæ authoritatis arbitrio peccatum sit, doceat Historicus, at verbis minimè contumeliosis. Verùm vt cuiuis historiam scribere non est concessum, ita & Principum vitia insectari cuilibet historię scriptori non licet, si modo licet. Deinde quæ nonnullis vitia videntur, aliis minimè ea censentur reprehensione digna: quin & externi, & ciuis dispar atque dissimilis ratio est, & scribendi scopus nonnunquam discrepans. Tum aut Principis vita functi, aut qui adhuc in communi hominum luce & consortio versetur, historia texitur, nec parem in vtroque scribendi libertatem admiserim. At quî ferendi qui in omni scriptione, etiam ab historica narratione omnino aliena, in quosuis Reges & Principes incurrunt. Scitum istud Senecæ: *Nullum sine venia placuit ingenium.* labi homines quis non fatetur? Et apud eundem Senecam: *Peccauimus omnes, alij grauia, alij leuiora, alij ex destinato, alij forte impulsi, aut aliena nequitia ablati.* At Principis Majestas seu facto, seu dicto, aut scripto, ne quidem leuiter lædi debet. Scio legem illam clementissimam Imperatorum Theodosij, Arcadij, & Honorij: *Si quis modestiæ nescius & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid, neq; asperum volumus sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est, si ex insania, miseratione dignissimum, si ab iniuria, remittendum.*

Senec. epist. 115.

Senec. 1. de Clem.

Cod. ad l. Iul. Maiest.

§. 4.

Conuitium ab vna trium harum causarum profectum veniâ dignum censent Augusti: sed non est quod quis idcirco in Principem libellum maledicentissimum exornet: non est simplex & temerè effusum maledictum: cura, studium, & meditatio in scribendo adhibentur. Adde, quod est omnium grauissimum, in demortuum Principem debacchari, id planè belluinum esse censeo. Vidimus nostro æuo tot libros editos, quibus Regum vita, nomine Tyrannorum & deuotorum, vniuersim quidem oppugnabatur. Caium Cæsarem Caligulam aiunt duos habuisse libellos, quos Protogenes crudelissimus eius scelerum administer circumferebat; nomen vni Gladius, alteri Pugio erat. Iam non duo, sed permulti, iique varii, nostris temporibus editi sunt libelli, quibus edocetur quo iure, qua via & ratione maleferiati homines iugulum pectusque Principum sicâ & pugione petant. Eleganter Varro; alia sunt quæ facilius intra parietes, in schola, quàm extra, in foro, ferre possunt aures. De Tyrannis quàm sæpè in scholis declamatorio more habentur controuersiæ? hæc scriptis mandare isto seculo parricidarum feracissimo, nullo modo fas esse putem. Si quis obiter, si quis præter rem subiectam, stylo currente, nonnihil de hac quæstione delibauerit, impunè illi cedat. Nam, vt cum patre Seneca dicam, *Multa donanda ingeniis puto, sed donanda vitia, non portenta sunt.* Annon maximum istud portentum est, omnes illas de Regibus è medio tollendis quæstiunculas & dubitatiunculas indagare, perscrutari, euulgare? Volunt se lectoribus diligentes, accuratos, & planè eruditos, atque adeò exactissimi iudicij homines probare, si in eiusmodi quæstionibus nihil intentatum

Sueton. Calig. 49.

Varro 1. rer. diuin.

Senec. præfat. lib. 10. Contr.

Seneca contro. 9. l. 2.

intactumque relinquant. Audiant à Seneca patre; *Non sunt commiseratione digni, qui tanti putant caput potius quàm dictum perdere.* Damnandos esse libellos id genus, nullus, nisi cui parricidium arrideat, dubitabit.

Iuuen. Satyr. 1.

——— stulta est clementia, cum tot vbique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Senec. Præf. l. 10. contr.

De libris istis ex hominum vsu & memoria abolendis grauiter Seneca pater, loquens de Labieni oratoris Romani (qui à perpetuo maledicendi studio, per adliterationem, Rabienus nominatus est) libris, primis omnium igne damnatis; *Bono herclè publico ista in pœnas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inuenta est.* Sed verendum, aiunt, ne ex hoc de libris improbatis supplicio, vt est hominum natura, maius illorum visendorum desiderium excitetur;

Tacit. l. 14.

Quandoquidem, ait Tacitus, *Veientonis libri*, postquam illos exuri Nero iussit, *conquisiti, lectitatique, donec cum periculo parabantur, mox licentia habendi obliuionem attulit.* Istud quidem in famosis duntaxat libellis ferendum nonnulli arbitrantur; si modò probra tantum, & conuitia etiam è triuio petita, quæ tranquillitati non officiant publicæ, complectantur. At vbi in iis multa disseruntur aduersus vitam salutemque Principum, suorumq; Statuum, omni operâ & studio enitendum est, vt totum hoc, quidquid sit, Vulcano tradatur, repetitâ læsæ maiestatis lege, quâ in auctores libellorum, tum eos venales exhibentes, quin etiam lectores seuerissima & grauissima cognitio exerceatur. Discant homines, non modò qui Principum Maiestatem violarint acerbissimis pœnis coercendos, verum etiam de ipsis studiis, licet innoxiis, attamen infœlicibus, supplicium sumi. Verum enimvero historiæ scriptores qui absolutam suisque omnibus numeris constantem

historiam ſcripſiſſe videri volunt, cur non maiorem diligentiam & vberiorem dicendi diſſerendiq; copiam adhibeant in exagitandis aduerſus Principes coniurationibus. Cur non Theopompino ſtylo hominum poſtremiſſimos illos inſectantur, qui de Principe è medio tollendo nefanda ineunt conſilia? Cur non ipſos diris furiiſque vltricibus obſeſſos iri, iratas minaceſque vmbras ob os oculoſque illorum fumantes infernis ignibus tædas & crepitantia torto angue flagra quatientes affuturas apertè demonſtrant. Cur non iſtis legem parricidarum ob oculos ponunt? Eſt autem huiuſmodi, *vt lucem viuo, fluctuanti mare; naufrago portum, morienti terram, defuncto ſepulchrum neget.* Hiſtoriæ lex illa eſt quam Liuius indicat, *vt inde nobis quod imitemur, capiamus, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vitemus.* Eleganter Pacatus Drepanius, *Pertinet ad ſecuritatem omnium ſeculorum quod ad factum videri, vt ſi quis vnquam* (aduerſus Principem & Rempublicam) *nefaria vota conceperit monimentis noſtrorum hominum recenſitis, per oculos hauriat innocentiam.*

Panegyr.

Quintil. Declamat. 29.

Liuius l. 1.

Pacat. Paneg.

§. 5.

Sed quoniam totum hoc maledicendi genus non vnius modi eſt, nam liberè loquendi alia ratio eſt, & liberè ſcribendi altera; Nę ille fallitur Princeps, qui vulgo ſtolido & inſanienti loquendi libertatem adimere cogitat. Quàm acerbè Tacitus de ſui ſeculi infœlicitate iſtud ſcripſit in vita Agricolæ. Vetus ætas vidit quid vltimum in libertate " eſſet, ita nos in ſeruitute, adempto per inquiſitiones lo- " quendi audiendique commercio. Apud Ælianum, Tyrannus quidam, nomine Tryzus, cùm vellet omnes coniurationum & inſidiarum vias intercludere, legem tulit, ne quis ciuium cum altero, ſeu priuatim ſeu publicè, col-

Ælian. l. 14. c. 22.

loqueretur. Ciues animi sui sensa, miro quodam artificio, mutuo sibi aperire excogitarunt, oculorum videlicet ac manuum gestibus. Tyberius Principum omnium callidissimus, in ciuitate libera linguam mentemque liberam esse debere iactabat. Sed quoniam istam silendi omninò necessitatem suis Princeps imperare non potest, nisi in desperationem subditos adducere velit: quod quàm periculosum existat, omnium ferè gentium historiis & publicis monimentis edocemur. De maledictis & obloquendi petulantiâ multa olim, seu duodecim tabularum legibus, seu ab Augusto & posterioribus Imperatoribus sancita sunt, quæ Arnobius generatim ita complexus est; *Maiestatis sunt*, inquit, *apud vos rei, qui de vestris sequiùs obmurmurauerint aliquid Regibus. Magistratum in ordinem redigere, Senatorem aut conuitio prosequi, suis esse decrestis periculosissimum pœnis. Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, Decemuiralibus Scitis euadere noluistis impunè. Ac ne vestras aures conuitio aliquid petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniuriis.* Quibus Arnobij verbis satis apertè intelligimus, non modo priuatis actionibus, famosa carmina & scripta vindicata esse, verum etiam, vt est à Tacito proditum, specie legis Maiestatis Augustum exercuisse eam cognitionem de famosis libellis, & quidem publico iudicio. Paulus Iurisconsultus eò respexisse videtur, cum ait, crimen istud imminutæ Maiestatis, non solùm factis, sed & verbis impiis, aut maledictis maximè exacerbari. Et quanquam Theodosij ac filiorum lex, de qua nos suprà, totum hoc quidquid sit condonasse videatur, ita nec alia mente ab iis Augustis lata est lex eiuscemodi clementiæ & benignitatis plenissima, nisi quòd eo tempore id ita suis rebus conducere

Suet. Tib. 28.

Ar.nob. l. 4.

Tacit. l. 2.

Paul. 5. Sent. tit. 29.

ducere existimabant. Nihilominus nouis quotidie succrescentibus insidiis & in Principes coniurationibus, veterum legum læsæ Maiestatis seueritatem repetendam & retinendam, nemo sanæ mentis dubitabit. Symmacho, *Tantum denuò legibus seueritatis addendum est, quantum flagitia creuerunt.* Principi, vt in eam curam, ac solicitudinem incumbat, minimè conuenire arbitror. Tyberij, alioquin truculenti Imperatoris, hâc in re & patientem & ciuilem animum laudo vehementer, qui Senatu ab eo de conuitiis & maledictis in ipsum vulgatis cognitionem flagitante, in hæc verba respondit; *Non tantum otij habemus, vt implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiæ hoc prætextu ad nos deferentur.* Principem cuiuslibet Magistratus officium & munus implere penitùs indecorum. De his famosis libellis Principi neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non Ædilis, aut Prætoris, aut Consulis partes sustineat: maius aliquid & excelsius à Principe postulatur. Ita prudenter apud Tacitum censuit idem Tyberius. Probra id genus & maledicta in Regem vltum eat quilibet Magistratus, alioquin & suæ in Principem fidei, & muneri suo defuisse proculdubio videbitur. Rex interim si satisfieri sibi percupiat, tantaque maledicendi petulantia eius animo aliquantùm insederit, eúmq; commouerit, Mœcenatis consilium Augusto datum sibi dictum putet. Sic ille, apud Dionem, alloquitur Augustum. *Quod conuitium aliquis tibi fecerit, aut tibi obtrectauerit, neque deferente aliquo audire, neque vlcisci debes,* Turpe enim fuerit te credere, iuuentum, qui te, neminem lædentem, omnibus benefacientem, ignominia affecerit: idque soli faciunt mali Principes, qui ex cõscientia sua veritatem

Symmach. l. 2. Epi. 23.

Suet. Tib. 28.

Tacit. l. 3.

Dio. l. 52.

dictorum colligunt. Deinde iniquum est egrè ferre velle, quæ, si vera sunt, præstat non admisisse; sin falsa, dissimulare expediat: cum multi hæc vindicantes pluribus, ac grauioribus de se sermonibus occasionem præbuerint. Nec decet hanc opinionem hominibus de te subiicere, reperiri qui in te contumeliosus esse ausit, vt iam idem de te quod de Deo immortali, esse te venerandum, iudicetur. Princeps optimus, & qui ad omnem virtutem efformatus videtur, suæ sibi innocentiæ & rectè factorum conscius, ista conuitia nulla omnino ratione reformidare debet. Istud Senecæ cogitet, *Vt quisque contemptissimus, & vt maximè ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est.* Tito beneficentissimo & moderatissimo Imperatori apud Tranquillum ita visum, Bonum Principem iniuria affici non posse. Sed addo & istud grauiter dictum à B. Paulino, *Maiore impietate læditur, qui nescit offendi.*

Senec. quod in Sap. c. 11.

Sueton. Tit.

S. Paulin. Ep. 13.

§. 6.

Quid si Princeps multa contra ius & æquum admittat, subditos miris diuexet modis? Istam ne insectandi & maledicendi licentiam impunem esse patietur? Minimè omnium, sed vt *fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu,* ac veluti totius exercitus tumultus & seditio, militum aliquot decimatione sedatur, non aliter in homines procacissimæ linguæ, sed præcipuos animaduerti placet. Nec quisquam istud excipiat, eum qui nocentem infamarit, non esse bonum æquum ob eam rem condemnari: *Peccata nocentum nota esse & expedire, & oportere.* In homine priuato illud vtcumque concedi potest, quanquam nec semper, nec de quouis delicto legem explicare par sit. At in Principe legitimo, sua alioquin potestate abutente, locum nulla omnino ratione habere potest, qui si

Senec. de Clem.

D. Iniur. l. 18. & fam. lib.

huiusmodi probra dissimulet, homines credant non tam clementia, quàm conscientia mala ad contumelias illas conniuere? Ita est profectò cum hominum communis sit sententia, priuato omnes iniurias esse prosequendas, ne vel contemptui habeatur, vel opprimatur: Principem verò debere ea quæ in Rempublicam peccantur vlcisci, priuatim in se admissa tolerare, quum qui ita deliquerint neque ex contemptu, neque ex incursu, possent ipsum tanta septum custodia damno afficere, vt Augusto suo prudentissimè Liuia apud Dionem indicabat; Stultis quidem quasi negligere videatur, exemplo Claudij Imperatoris, indulgeat, vel quoniam vbi furor adest, ibi intellectus abest, furentes istos ac mente captos ad agnatos, & gentiles remittat, ac vno nomine innocentissimus Princeps canes istos latrantes, & regiè & magnificè contemnat. Eximiè S. Chrysostomus, nihil adeò maledicos mordet & frænat quàm illatæ contumeliæ contemptus; Neq; verò Principem conuitiandi morbum istum despicientem ita fingimus, aut à magistratu grauissimè coërcendum affirmamus, vt Princeps ipse omnino loquendi & consulendi apud se libertatem interdicat. Fidelissimo quoque consultore Rex, si saluus esse velit, carere non potest, huic monendi liberam potestatem faciat. Discat vnius Alexandri Magni exemplo, post Clytum, ab eo, minimè sobrio, interfectum etiam seruatorem suum, quàm necessum sit aliquos penes se habere, quorum prudentiæ & fidei se suáque omnia committat, quos non leuissimis suspicionibus, aut maleuolorum & inuidorum falsis criminationibus facilè ab se segreget, sed constantissimè retineat; nec horum frequentes mutationes sibi vsui fore, quin potiùs certissimo exitio futuras sibi persua-

Dion. l. 55.

S. Chrys. ho. 22. Ep. ad Rom.

Curt. l. 8.

deat. Quis enim iam liberè aut Principem audeat, aut quod è re illius suiue Imperij fuerit, eloqui audeat? Dicam istud Curtij, neminem cum ipso sociare sermonem postea ausurum; *Viuendum esse in solitudine, velut feræ bestiæ, terrenti alias, alias timenti.* Augustus, Iuliæ filiæ adulteria non tam vindicanda Principi quàm tacenda parum potens iræ publicauerat: cum in locum iræ subiisset verecundia, gemens quòd silentio non illa pressisset, sæpe exclamauit, *Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mœcenas vixisset;* ita tot habenti hominum millia, duos fidissimos consiliarios reparare difficilè est. *Principes cætera omnia facilius quàm sua cognoscunt,* apud Dionem.

Senec. 6. de Benef. c. 22.

Xiphil. August.

§. 7.

Hactenus conuitia, probra, & vno nomine maledicta Principi obiecta excussimus: de maleficiis nunc agẽdum. Apud Tacitum, Lepidus, *Vana à scelestis, dicta à maleficiis differre* dixit, Quintiliano aliter visum, *qui maledicum à malefico, non nisi occasione distare affirmat:* sed maledicum huius generis intellige, qui solens, suo more, id est, perpetuò, alterius famam passim vellicare consueuerit, cui innatum quodammodò obtrectandi studium. Equidem nemini recti iudicij dubium esse potest, qui postposito omni pudore, imò & veneratione erga Principem, in illum & sermone & scripto inuehi solet, ipsum ad nefandum aliquod scelus patrandum satis procliuem videri; vnde enim sempiternum de Principe malè, vel scribendi, vel dicendi studium, nisi ex acerbissimo in eum odio, quod non nisi ipsius Principis pernicie expleri potest? Veruntamen homines id genus, quibus mens tantummodò mota sit, non omninò erepta, istud in primis expendere velim, non nisi læsa Diuini Numinis religione,

Tacit. l. 3.

Quintil. 12. c. 9.

Regem aut Principem lædi posse. Quemadmodum enim prisci illi Gentiles Deos suos Regis nomine velut honorifico compellarunt, ita vicissim Reges Dij nominati sunt, quod ex Sacris literis perspicuum est, vt omnes intelligant Regiam dignitatem cum Dei optimi maiestate, non minimam habere cognationem. Hinc illud Homeri de Rege τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστιν, honor à Ioue summo. Diuinitùs dari Imperia, idcircò aiebat Imperatorum vt doctissimus ita sapientisimus M. Antoninus Philosophus: sic Vitiges Gothorum Rex in Italia, apud Cassiodorum; *Omnis prouectus, potissimum Regius, ad Diuinitatis munera referendus est.* Nos plura quæ ad id faciunt, alio loco congessimus. Cuius rei insigne habemus exemplum in veteri Testamento, cùm Samuel Dei iussu Saülem, in caput eius effuso oleo, Regem populi Israëlitici constituisset, vt ipse electionem & consecrationem suam, non nisi Diuino mandato factam esse intelligeret, signo seu euentu triplici totum hoc comprobari voluit Propheta, Diuinæ reuelationis beneficio; Primum signum fuit, quod Saül ad suos rediens, obuios habiturus esset duos seruos patris, ipsum quæritantes; Secundum, eidem Saüli tres occursuros, ad Deum in Bethel, religionis ergò, proficiscentes, & ei duos panes oblaturos. Tertium, Saülem tandem obuium habiturum cœtum Prophetarum, cum quibus ipse pari modo Numine Diuino afflatus prophetaturus esset; quæ omnia reapse contigerunt.

Iliad. 2. *Vulcat.* *Auid. Cass.* *Cassiod. 10. ep. 31.* *Cassiodor. 10. ep. 31.* *1. Reg. 10.*

§. 8.

Quin iurisiurandi seu sacramenti militaris, sub Christianis Imperatoribus formula, eadem religione, & Diuinum Numen, & Principis Maiestatem simul cōplectitur. Ista sunt Vegetij, *Iurant* (milites) *per Deum, & per Christū,*

Veget. c. 25.

& per Spiritum Sanctum, & per Majestatem Imperatoris, quæ secundùm Deum humano generi diligenda est & colenda. Nam Imperatori, cùm Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo fidelis est præstanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus, vel militans seruit, cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat authore. Si Imperatori nomen Augusti adtributum duntaxat, præsentem & corporalem Deum quempiam refert: quid in nostro Christianissimo Rege sacra illa ac planè cælestis vnctio efficiet? An non veluti Deum aliquem, sed mortalem repræsentabit? quin longo post se interuallo cæteros omnes orbis Christiani Reges relinquere, nullus sanæ mentis dubitabit. Non immeritò itaque Gersoni Christianissimo Doctori, Rex Francorum dicitur *Rex Sacerdotalis, vel Pontificalis*, per miraculum consecratus, per sanctam Vnctionem, quæ venit de cœlis, cuius rei gratia, *Rex Christianissimus paulùm ab Angelis imminutus*, ab eodem pronuntiatur. Quæ vna res Ludouicum Christianissimum Regem nostrum omninò sacrum nos dicere compellit, hoc est nulla penitus vi iniuriaque violandum, Cassiodoro, *Hoc sacrum est, quod nulla permittitur commotione violari.* Addo & supra omnem admirationem, in ipso Rege & ea quidem ætate ad omnem licentiam nimium quantum procliui, vnà cum summa potestate, cui omne quod lubet licet, incredibilem moderationem, continentiam, qualem in nullo alio Principe parem reperies, quin & reliquarum virtutum chorum vniuersum, quæ omnia illum planè suspiciendum, vt pote supra humanæ sortis fastigium collocatum, cuilibet non suorum modò, sed etiam extraneorum propositum esse testantur, ita vt qui hæc aspernetur minusve cogitet, in belluam

Gerson. pro hosp. Paris.

Cassiod.

hunc commigrasse credendus sit. *Rarum omnino bonum est*, ait Cassiodorus, *Dominum triumphare de moribus*, *&* *hoc* *consequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia* *Caßiod. l. 3. ep. 4.* *peruenire.* Hic est Regiæ dignitatis cum cœlo consensus, hæc Regiæ venerationis & obseruãtiæ cum ipsa in Deum pietate connexio, quam qui dirimere tentat, maximo impietatis scelere sese obstringit.

§. 9.

Proximus in Deum pietatis gradus ille est, qui ad parentes spectat, *&* *secunda post Deum fœderatio* nominatur à B. Hieronymo, quin & Hierocli Pythagoreo, parentes *S. Hieron.* nihil aliud sunt quàm ἐπίγειοι θεοί, terreni Dei. Ita præ- *ep. 47.* stantissimus ille Philosophiæ magister Aristoteles paren- *Arist. 9.* tibus itidem ac Deo honorem esse tribuendum; sic ora- *Ethic. 2.* tori summo, parens non multò secus liberis sit quàm Deus. Vnde Plato Philosophorum Princeps: parentes *Plato 11. de* negligere, neque Deum, neque hominem mentis com- *leg.* potem cuiquam vnquam aut suasisse, aut impulisse pronuntiauit. Sed illud Senecæ condonandum dum ita scri- *Senec. l. 4.* bit: *Nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet: super-* *de Benef.* *uacuum est enim qua natura imus impelli.* Vt enim veri Dei *c. 17.* cognitionem minimè habuit, aut, vt nonnullis placet, dissimulauit, alioquin præter à natura inditam ingenitamque de honorandis parentibus impulsionem, Diuinum illud præterea de ea re præceptum edictum est. At illa magis placent eiusdem Senecæ, *Parentes suos non ama-* *Senec.* *re, impietas est; non agnoscere, insania.* Ita Petrus Chrysologus: *A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, pater-* *Chrysol.* *næ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus*; & hunc ad ex- *serm. 2.* tremum impietatis gradum de Deo explodendo peruenisse affirmat S. Gregorius Nazianzenus. Vnde non im- *Nazianz. distich.*

meritò istud à Quintiliano pronuntiatum est: *Ad tantum nefas parricidij magna oportet serie parricida veniat, & per hominum Deorumque contemptum ad vltimum nefas conscendat.* Principes omnium publicos esse parentes, veterum quam multi grauiter & copiosè demonstrarunt, & nos de ea re aliquantum Commentario *de Idololatria politica* disseruimus. Ecquis igitur in Reipublicæ parentem quidpiam nefandi sceleris molietur? quis probum & munificum Principem de medio tollendum iudicabit, nisi qui planè hominem exuerit? De malo Principe ne id quidem cogitandum. Latinæ elegantiæ Princeps quàm verè istud, *Non modò reticere homines parentum iniurias, sed etiam æquo animo ferre oportere.* At longè elegantius Epictetus ipse: *Pater est, præcipitur curam eius agendam, cedendum ei in omnibus, si conuitietur, si verberet, ferendum esse.* At pater malus est, nunquid igitur naturâ cum bono patre coniunctus es? Non, sed cum patre. Tu igitur munus tuum erga ipsum tuere, nec quid ille agat considera, sed quibus rebus agendis tuum institutum naturæ futurum sit consentaneum. Hoc Simplicius mirum in modum illustrauit, cùm scripsit: *Verbera patrum æquiori animo filiis ferenda, quàm seruis dominorum.* Itaque veteres Romanorum leges, tum excellentiâ naturæ consideratâ, tum expensis laboribus quos filiorum causâ parentes suscipiunt, liberos omnino patriæ potestati subjecisse, & vendendi illos, si vellent, potestatem dedisse parentibus, quin & impunè occidendi. S. Ioannis Chrysostomi inde petita est illa sententia: *Patrem qui habet, etsi mille patiatur incommoda, omnia patris reuerentia conteget.* Sed alio loco ista copiosius & suo more eleganter explicat: *Naturæ leges & ab hominibus institutæ sic præscribunt, etiamsi flagris cedat pater, si à mensa depellat,*

Quintil. declamat. 377.

Cicer. pro Cluent.

Epictet. Enchir. 37.

Simplic.

S. Chrysost. hom. 21. ad Tim.

pellat, si ædibus exigat, si quocumque modo puniat, iubent omnia fortiter perpeti filium, nec vllam ipsi veniam concedunt, ni paruerit & pertulerit, ac quantumuis filius ejulabundus conqueratur, illi ab omnibus istud reponitur: Pater est qui cedit ac Dominus, habetque potestatem in te quiduis faciendi. Neque verò propterea quispiam suspicetur iustam aliàs in patrem sibi actionem concessam esse: nam parentes in ius vocare prohibitum legibus omnium Gentium. Eutyphron apud Platonem, aduersus patrem instituere homicidij actionem, impium esse dixit. *Plato Euthym.*

§. 10.

Quis laudet pupillum, in tutorem suum velut alterum parentem, sæuientem? & Principes Regesque seu quocumque alio nomine, sunt tutores status publici, itaque nil mirum ipsos amari vltra priuatas etiam necessitudines, hoc est, supra liberos, & eos etiam à quibus procreati sumus. Addo & multò magis vltra eos qui nobis quocumque agnationis vel cognationis iure coniuncti sunt. Stupendam illam & admirabilem vocem cœlestem exaudiant & reformident mortales omnes, & ij præsertim qui Christo nomen dederunt: *Nolite tangere Christos meos.* Id omnium optimè quo pacto ad Reges ipsos referendum sit, ex Eusebio discere possumus: Ait enim, ipse, Prophetas Dei iussu Reges oleo perfundentes, Christos, id est, vnctos effecisse, velut Christum siue Messiam specie repræsentantes, quandoquidem illi effigiem & imaginem Regiæ ac primariæ Potestatis, quæ in vero Christo Messia ac Verbo Diuino suapte natura inest, per se ipsi exprimerent. Sed quoniam vniuscuiusque actionis finis ac scopus spectari debet, quid vtilitatis ex Principis parricidio ad ipsam redeat Rempublicam vniuersam, expendamus.

Psal. 104. *Euseb. 1. hist. Eccl.*

Nam si quis priuatus priuatam à Principe acceptam vltum eat iniuriam, is sibi maximum accersit malum, & ipsi Reipub. grauissimum inflixit vulnus. S. Ioan. Chrysostomus istud non obscurè indicat, cùm ait: *Si quis ouem iugulet, gregem quidem imminuere; at qui pastorem de medio sustulerit, totum simul gregem dissipare.* Quibus ista Senecæ copulanda sunt: *Non hic est sine ratione populis vrbibusque consensus sic protegendi amandique Reges, & se suaque iactandi, quocumque desiderauerit imperantis salus. Nec hæc vilitas sui est aut dementia, pro vno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus vnam animam redimere, nonnunquam senis & inualidi* (addo & pueri.) Nec immeritò: quandoquidem, *Hæc immensa multitudo, vnius animæ circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio* (vnius) *sustineretur.* Sic Themistius rectè dixit, *Regiam potestatem à Deo in terras è cœlo transmissam, vt ab immota constantique lege, ad spirantem atque viuam hominibus esset perfugium constitutum.* Qua in re plurimùm esse discriminis apparet inter alicuius priuati hominis cædem, & Principis. Neque si cuipiam Princeps iratus sit, & de eo necando cogitare videatur, idcirco priuatus ipse prior id facere occupet. Siquidem vt præclarè Agellius: *Humanæ vitæ negotia, & actiones, & officia vel occupandi, vel differendi, vel etiam vlciscendi, vel cauendi, similia esse pugnæ gladiatoriæ: nam gladiatori composito ad pugnandum, pugnæ hæc proposita sors est, aut occidere si occupauerit, aut occumbere si cessauerit.* Alludit Petronius:

S. Chrysost. homil. 1. ad Timot. 1.

Senec. 1. de Clem. c. 3.

Themist. orat. 5.

Agell. 7. c. 3.

Et qui non iugulat, victor obire solet.

§. II.

Hominum autem vita non tam iniquis, neq; tam indo-

mitis necessitatibus circumscripta est, vt idcircò prior iniuriam facere debeas, quam, nisi feceris, pati possis. Et quamquam in reliquis hominibus istud probari queat, at in Prncipe nullo pacto concedi potest. Sit aliquis maximæ existimationis cui cuncta Principis displiceant, opes non mediocres comparet, qui apud militum præfectos & strenuos quosque duces nomen sibi rerum gestarum magnitudine & gloriâ parauit, quem ipsi milites libenter audiant, libenter videant, ac proinde in Regni affectati suspicionem veniat; infelix, quid tam auidè & ambitiosè persequatur, ex Petro Chrysologo sanctissimo Archiepiscopo discat: *Regnum velle, inquit, seruum crimen est; adire, periculum, temeritas non timere*: Nam vt habet Tacitus, *Imperium cupientibus nihil medium inter summa & præcipitia.* Ac quantumuis ille boni publici & publicæ libertatis causam tueri populumque ab intolerandis nec non grauissimis indictionibus subleuare se velle, ementito certe prætextu, non iam tacitè profiteatur, quod omnibus cuiuslibet regni perduellibus familiare est, vt disserit Themistius; hinc multi & imprimis credulum vulgus iam sibi veluti blandientem fortunam somniet, attamen Ennodio Ticinensi, *Minus diligo prospera quæ sumunt à desesperatione principium.* Addo & istud Taciti falso libertatis vocabulum obtendi ab jis *qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.* Princeps & si minimè cunctandum ratus, sibi suóque Imperio quam primùm consulere apud se statuat. Qui sui conscius, à Rege sibi cauendum esse ducet, quandoquidem vt visum est S. Hildeberto Turonensi Archiepiscopo, *Semper suspecta est offensa potestas*, illúmne idcircò interficiendum curabit? ac si non nisi capitis alterius periculo, vitam suam tueri

Petr. Chrys. Serm. 23.

Tacit. l. 2. hist.

Themist. orat. 9.

Ennod. Panegyr.

Tacit. lib. 11.

S. Hildeb. Ep. 50.

queat! hoc enim prius cogitare debet, innatam ingenitamque ipsis Principibus clementiam, nec facilè proinde familiarium sermonibus exasperari, quorum aspectus benignitatem spiret, nec illos, tanquam malum aliquod vel noxium animal è cubili prosiliens, refugiant subditi, quin potiùs tanquam ad clarum & beneficum sydus certatim aduolent. Elegantissimè pauculis verbis istud ex-
Themist. orat. 9. pressit ex Platone Themistius Principes rationi persimiles esse, milites vero iræ. Quidni igitur quisquis ille sit Principem ad ignoscendum magis quàm ad perdendum suópte ingenio, procliuem suspicabitur? Ponat sibi ante oculos hunc Regis casum publicæ pacis exitium futurum hunc florentissimi Regni fortunam in ruinas acturum, nec se tantæ cladi superstitem fore speret. Quantò rectius Principem suspicacem esse decet, cuius vnius vita tot insidijs, coniurationibus, factionibus, non tam suorum quàm externorum odio & malignitate petitur: Sagacem & prouidum ista demonstrant, cum Cassiani illi & Nigriani non iam apertè sed tectè & obliquè Principi pestem exitiúmque moliuntur, vel domesticis seditionibus vel alicuius Prouinciæ aut Ciuitatis nefariâ defectio-
Tacit. li. 3. ne. Taciti eâ in re consilium vltrò amplectatur. *Non decorum*, addo nec tutum *videri Principi, si vna alterave ciuitas turbet, omißâ vrbe, vnde in omnia regimen.* Prudentis-
Tacit. li. 1. simè Tiberius apud eundem Tacitum, auditâ seditione militari Germanicâ & Pannonicâ, *immotum fixumque ipsi Tiberio fuit, non omittere caput rerum* (Romam Imperij sedem) *neque se remque publicam in casum dare.*

§. 12.

Neque verò Rex pro sua tantummodò, sed etiam suorum salute excubare, credendus est, & eorum præsertim

qui maximo fidei suæ experimento illi sunt à consilijs. Tacitus eleganter, *nomina summæ curæ & medicamenta* vocat. Quorum opera & fide Princeps nullo modo carere potest, si quidem Tacito *pleraque in summa fortuna auspicijs & consilijs quàm telis & manibus geri*. Illud autem vel in primis Imperatores Arcadium & Honorium ad legem Iuliam cauisse videmus ijs verbis: *De nece etiam virorum illustrium qui consilijs & consistorio nostro intersunt, Senatorum etiam (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cuiuslibet postremi qui nobis militat, quisquis cogitauerit, (eadem enim seueritate voluntatem sceleris quâ effectum, puniri iura voluerunt) ipse quidem, vt pote Maiestatis reus, gladio feriatur*. Interim liceat id quod hoc loco de voluntate interseritur obiter & paucis excutere. Voluntatem sceleris non secus ac effectum puniri iura ciuilia & Romana voluisse ait lex, quò referenda sunt ista Apuleij, *in maleficijs etiam cogitata mala, non perfecta adhuc, vindicantur, cruentâ mente, purâ manu*. B. Basilius id firmat à simili, de eo qui lorica armatũ, gladio interficere voluerit, nec idcircò potuerit: neque enim opus tantùm, sed & voluntatem iudicat lex. Tertulliani imitatio est. *Voluntas ne tunc quidem liberatur cùm aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit*. Seneca pater, *Scelera quanquàm citra exitum subsederunt, puniuntur*. Quintilianus, *Lex mentem punit*. Seneca filius, *exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit*. Prosper Aquitanicus.

Cui nimis hoc solum quod voluit, nocuit.

Paulus Iurisconsultus, *Consilium vniuscuiusque non factum puniendum est*. Ille idem alio loco. *Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possint, propter voluntatem perniciosæ libidinis, extra ordinem puniuntur*. Quantò æquius in om-

Tacit. l. 15.
Cod. 9. tit. 8.
Tacit. l. 13.
Ad l. Iul. Maiest. Cod. l 9.
Apul. Florid. 4.
S. Basil. l. de Virginit.
Tertull. l. de Pœnit.
Senec li. 4. Contr. 7.
Quintil. declam. 372.
Senec. 5 de benef. c. 13.
Paul. sent. l. 5 tit. 29.
Paul. 5. t. sentent. ti 4.

nium atrocissimo & grauissimo scelere quod in caput Principis conceptum est, istud exerceri congruit? Nec enim simplex cogitatio aut pura voluntas eiusmodi fingi aut excogitari potest, cum ea in re vel verba ipsa minus cogitatè prolata, vel leuissimi quique rumores captandi sunt, neque dissimulandi. In suo quemque periculo magnum animum habere, *cùm de salute Regis timetur, nos credulos esse debere; vana quoque deferentes admittere*, prudentissimè monet Curtius; Curt. l. 6.

§. 13.

Hæc nos seriò pro Principe tangat sollicitudo, quem pro suis, ac præsertim fidissimis consultoribus, quibus arcana Imperij committat, non minimum sollicitum esse conuenit. At eò magis si quem nactus sit, cuius fides turbulentissimo rerum suorum statu comprobata fuerit, & omnium voce ac præconio perspecta sapientia, de qua publicum istud votum libenter meritò auditum sit: *Vnius sit cura viri quodcumque rubescit Occasu, quodcumque dies sublimior ambit*. Etsi illum, dum publicæ rei integerrimè & generosissimè consulit, multis displicere audit Princeps. Istud Quintiliani cogitet; *hanc esse conditionem omnium qui administrationem Reipublicæ aggrediuntur, vt ea quæ maximè pertinent ad salutem communem, cum quadam sui inuidia* (& sæpius odio) *efficere cogantur*. Et quanquam Rege indignum esse scripserit Aristoteles, inquirere in sermones vulgi, veruntamen nihil prætermittendum videtur, quominus hominum de se studia exploret, quibus facile dignoscat, qui vel Rege inscio læsi, aliqua vlciscendi cupiditate, vel rerum nouarum studio ducantur, quibus cautioribus magis quàm acrioribus consiliis prospiciat, nec se loquendi facilitate prodat, ac dum tectum &

Quintil. declam. 348. Aristot. Polit. 5 c. 11.

obscurum illius ingenium, qui illum circunsistunt obseruarint, non tam facile ab obsequio & fide in Principem desciscant, cùm nihil eorum quæ moliantur, Principem latere posse, sibi persuadeant. Neque verò vt confestim in iracundiam prorumpat, si quid machinamenti fuerit nuntiatum, committendum est; ita nec omnem clementiæ & moderationis rationem repudiasse, videri debet. Senecæ istud sibi ob oculos ponat: *Facilius esse excludere pernitiosa, quàm regere; & non admittere, quàm admissa moderari.* Quamquam non vnius generis sint, qui in illum peccent. Non dico qui oderint: *Nam maleuolentiæ quid inuiolatum esse potest, cui sacer nec Rutilius fuit, nec Cato?* Seneca auctore. Cum eo qui semel lapsus sit, benignius agendum esse nemo nescit. At obstinatiores, in quibus *seminatum delictum,* vt loquuntur Iurisconsulti, deprehensum fuerit; Et in quos maxima atque quamplurima ab ipso Principe collata fuerunt beneficia, legum seueritatem omnino experiantur. Ad horum omnium præcipuos & sacrilegæ factionis primarios duces ista Pacati Drepani Galli eloquentissimi spectant: *Publici parricidæ qui oblita fide, Dominorum sceptra cœpistis, & periculo non minori quàm scelere, Imperium* (Regnum) *vita paciscentes, sanguinis pretio nomen emistis.* Præclarè & verè dictum: Nam illi *auidè Regna desiderant, quos soluta legibus delectat vita, quorum crudelitas indamnatos* (inauditos, indefensos) *necandi, cupiditas priuata capiendi, libido honesta fœdandi ius atque impunitatem requirunt.* Istis adnumerentur, qui parricidio inferendo destinati, vicariam sibi quærunt operam, de quibus ista pronuntiat Tacitus: *Puniendos rerum atrocium ministros, vbi pretia scelerum adepti, scelera ipsa alijs delegant.* Præclarè B. Augustinus: *Sicut est aliquando*

Senec. l. 1. de Ira, c. 7.

Senec. lib. de vit. beat. c. 18.

Pac. Pan.

Tacit. l. 13.

Plin. Pan. *misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.* Vt Plinius Iunior, *Mitis seueritas, non dissoluta clementia.* Sic apud Cassiodorum, *Quodammodo nascitur de pietate crudelitas, si quem negligis admonere, postea cogaris exigere.* Audiendi præsertim hac in re Imperatores, Valentinianus, Theodosius, Arcadius. *Crimina impunitate coalescere: Remoueantur itaque patrocinia, quæ fauorem reis & auxilium scelerosis impertiendo, maturari scelera fecerunt.* Antea Diocletianus & Maximianus AA. *Non remitti pœnam facile publicè intersit, ne ad maleficia temere quisquam prosiliat.* Et prudenter quidem Cassiodorus: *Benigni Principis est non tam delicta velle punire, quàm tollere, ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leniter agendo putetur improuidus.* Sed audiendus Seneca. *Exorari in perniciem rogantum, scæua bonitas est.* Nam quod sui exitium vocat reus supplicio afficiendus, publica medicina est. *Castigatio non nocet*, ait Seneca, *sed medetur specie nocendi*, siquidem permultis & aliquando toti Regno illos perire, vel maximè intersit. Ita vnius scelestissimi proditoris supplicio, tot populorum strages, tot ciuitatum direptiones & euersiones, tot innocentum vitæ, tot denique quà sacra quà prophana redimuntur; cui venia concessa, non modo toti Imperio, sed ipsi procul dubio Principi pestem pernitiemque allatura sit.

Casiod. l. 3. Epist. 8.

Cod. Theo. l. 1. tit. 10. l. 3.

Casiod. l. 1. Epist. 30.

Senec. l. 2. de benef. c. 14.

§. 14.

Scio Christianum Principem, Ecclesiam communem nostrûm omnium parentem sibi imitandam proponere debere. Ea certè *pia mater* audit, *cuius est incruenta disciplina*, teste B. Augustino. Et lepidum istud Iuliani Apostatæ dictum, apud Socratem; cum enim prohibuisset lege latâ, ne Christiani in Prouincijs vllos Magistratus gererent, rationem subjunxit Vrbanus Scurra, *nam lex illorum vetat gladio*

Cod. de Ep. & Cler. l. 10

Socrat. l. 3 c. 11.

dio vtendum, contra eos qui scelera digna morte admiserint. Ad clementiam Ecclesiasticam redeo, quam lex nos docet, cuius ea vox est: *Episcopo sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit.* Ennodius Ticinensis ita Regem suum Theodericum commendat: *Exhibes robore, vigilantia, prosperitate, Principem, mansuetudine Sacerdotem.* Hinc illa Macedonij ad B. Augustinum: *Officium Sacerdotij est interuenire pro reis.* Reos intelligit qui in leges peccent. Vnde ipse B. Augustinus respondet: *Iudices non irâ propriâ concitatos, sed legum ministros; nec suarum, sed alienarum examinatarum iniuriarum vindices esse debere.* Ista est Ecclesiæ mansuetudo, quam eatenus Princeps æmulari debeat, quatenus & status publici tranquillitas, & leges ipsæ patiantur. Quamquam alioquin Principis existat, legum seueritatem mitigare. Hoc loquitur Valentinianus tertius A. *Imperatoriæ vis maior laudis est, aliqua decreta mollire.* Eleganter Themistius: *Aliam Regis, aliam Iudicis laudem ac virtutem,* esse prodit. Quandoquidem Iudex secundum legum præscriptum pronuntiare debeat, Regis verò sit leges interdum emendare, earumque seueritatem & acerbitatem temperare. Libanius, idcirco, *Principes legum dominos* esse dixit: *Leges autem maiestate sua ipsos potentiores efficere.* Meritò itaque Vlpianus, *Principem legibus solutum esse* scribit, & fatetur B. Augustinus. De pœnariis legibus Græci hanc explicant, quin & Latini scriptores sacri. Arnobius Iunior, dum istum ex Psalmo illo Dauidicæ pœnitentiæ versum, *Tibi soli peccaui*, interpretatur, ista refert: *Omnis qui sub iudicio viuit, cùm deliquerit, peccat Deo, peccat & legibus mundi: hic autem Rex sub nullo alio nisi sub Deo solo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, Deo soli peccauit.* Non aliter Cassiodorus, vt alter ab al-

Cod. de Ep. Eccl. l. 10.

Ennod. Panegy.

S. August. epist. 54.

Valentin. Nouell. 16. de Afr.

Themist. orat. 5.

D. de legib.

S. Aug. epist. 69.

Arnob. in Psal.

Cassiod. ibid.

Cassiod. ep. 31. l. 10. tero desumpsisse videatur. Apud eundem Cassiodorum Vitiges Rex, *causa Regiæ potestatis supernis est applicanda iudiciis, quandoquidem illa è cœlo petita est, ita soli cœlo debeat innocentiam.* Nec est quod quisquam mihi litem moueat de Ecclesiæ (cuius Rex filius est) auctoritate: nam illa tota spiritalis est, atque à cæde & sanguine omnino abhorrere certum est. Cuius rei apertissimum argumentum cernere est in Clerico, qui grauioris alicuius criminis conuictus & damnatus, ab Episcopo exauctoratus, & ordine Ecclesiæ spoliatus, nos degradatum vulgari vocabulo appellamus, Magistratui Politico, extremo afficiendus supplicio traditur. Elegans de hac re Canon extat Conc. Tol. 11. c. 6. Concilij Toletani vndecimi: *His à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet, & ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententiâ propriâ iudicare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum, quibuslibet personis, aut per se inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut Ecclesiæ suæ familijs, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore priuetur, & loco suo.* Quàm piè, quàm clementer B. Gregorius ad Sabinia- S. Greg. l. 7. ep. 1. num: *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.*

§. 15.

Hinc illos frustra esse contendimus, qui defendunt Apostolos merum imperium & ius gladij in corpora exercuisse, quandoquidem B. Petri voce & execratione Ana-

nias & Saphira repentina morte occubuerint, ac B. Paulus Elymam Magum excœcarit. Aptissimè, vt ego arbitror, Gratianus: *Miracula sunt admiranda, non in exemplum nostræ actionis trahenda.* Quis non hæc extraordinaria fuisse animaduertit, solius Dei motione ac spiritu administrata, ita vt in argumentum non magis adduci debeant, & ad alios homines transferri, quàm factum Phinees Sacerdotis interficientis, & vno ictu conficientis Zambri Principem, cognationis & Tribus Simeonis, simul cum Cosbi filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum? Nihil igitur causæ est, quod Rex ab Ecclesia omnis benignitatis & lenitatis scaturigine sibi timeat aut caueat, nisi ipsa Neronianum, vel Domitianicum seculum reuocasse videatur: quod tam ab Ecclesiæ mansuetudine abhorret, quàm materna pietas ab odio nouercali. Saluiano: *Ecclesia Dei placatrix est, non exacerbatrix.* Neque vllus tam parum de pietate Christiana cogitans, qui Christum neget Ecclesiæ formam & regulam cum suis agendi tradidisse. Christus quàm ab omni sæuitia & diritate alienus esset, apertissimè profitetur, cùm omnium, id est, fidelium pastorem se affirmet, ac proinde minime furem, qui non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat; Ille verò vt oues propriæ vitam habeant, & abundantius habeant. Addit & lupo multo magis se dissimilem esse, cuius est rapere, & dispergere oues. Sic B. Paulus vult spirituales, cæteros qui lapsi fuerint, *in spiritu lenitatis* corripere & instruere. Ista hactenus Regi ab Ecclesiæ Christi sponsæ benignitate sit securitas. Externis, præsertim æmulis, nullam omnino fidem adhibeat, nisi quantum illorum fidem punicam & sublestam æstimandam iudicauerit. Suorum si quos turbones, rebelliones, & Impe-

Act. 5. *Act. 13.* *2.q.7.c.41.* *Salu.l.3.de gubern.* *Galat. 6.*

rij auidos, quibus nulli vnquam status publici caruerunt, fortè deprehendat, in eos lege agi sinat, nec exorari aut flecti se patiatur, cùm illorum absolutio Regem ipsum in suæ vitæ certissimum discrimen adducat necessum sit, & eorum salute, Principis salus periclitetur. Æuo nostro parricidarum Regiorum ferocissimo, amplectenda Aurelij Victoris sententia: *Ea delictorum quæ grassari immodicè cœperint, plus pœnæ quàm seuerè excitanda esse.* Quamquam si in immensum excreuerit eorum numerus, Antonini Pij Imperatoris congruum videri consilium, Necesse non esse sceleris in Principem cupidos pertinacius indagari. Ne fortè in tanta multitudine aliquis deprehendatur eius criminis conscius, vel suspectissimus, vt lex loquitur, ob quem in custodiam tradendum non modo Princeps, verumetiam vniuersum eius Imperium in apertissimum discrimen adducatur. Tum enim ista non erit longi subsellij iudicatio & mora, quandoquidem, si Vlpiano credendum, *Seditio prærupta, factioque cruenta, vel alia iusta causa moram non recipiant, non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa; tunc enim punire permittitur, deinde scribere.* Sic enim auctore Tacito, *Securitati, antequam vindictæ consulendum est.* Istud idem docent nostri Theologi. Etiamne, inquies, nondum conuictus, nondum confessus hostis, sapienter Tacitus: *Opportunos magnis conatibus transitus rerum, nec cunctatione opus, vbi perniciosior sit quies, quàm temeritas.* Meritò Quintilianus: *Quædam sunt Reipublicę lesę ad quorum pronuntiationem soli oculi sufficiunt.* Vno nomine apud Senecam, *Tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est.* Quauis ratione sibi consulat Princeps, & minimo quoque momento pestem perniciemque à parricidis sibi imminere credat. Et quam-

Vict. Alb.

Vlpian. D. 28. tit. 3. l. 6. §. 9.

Tacit. l. 11. Annal.
Syluest. homicid. §. 1. num. 5.
Tacitus 1. hist.
Quintil. decla. 260.
Seneca ep. 121.

quam citra exitum cogitata subsederint, attamen imprimis caueat ne desperati hominis ista vox exaudiatur: *Tu fortuna facies quod occurrerit, iam non potes efficere vt pœniteat.* Cogitet Princeps ex vnius vel alterius parricidæ supplicio quantum emolumenti ad ipsum eiusque statum vniuersum perueniat. Tertuliani vera vox: *Miserum secari & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate anxiari: tamen quæ per insuauitatem medentur, & emolumento curationis offensam sui excusant, & præsentem iniuriam superuenturæ vtilitatis gratia commendant.* Sic vnius aut alterius impij parricidæ vltima necessitate & exitio sibi totique statui fœliciter cauisse, saluum se saluamque Rempublicam permansisse certissimè Princeps existimet.

Quintil. declam. 270.

Tertull. l. de pœnit.

§. 16.

Audiant cæteri quod in persona sapientis, omnium mortalium sapientissimus Salomon, vnumquemque subditorum nosse voluit, atque adeò profiteri: *Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei* (hoc est sacrum iusiurandum:) *Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis?* Ridicula Imperatorum Gentilium opinatio, qui se à vi qualibet & iniuria tutos existimabant Tribunitiæ potestatis dignitate susceptâ, quandoquidem ipsi Tribuni plebis sacri, hoc est, inuiolabiles haberentur, Rex Christianus sibi longè meliùs & certiùs cauisse putandus est, cum præter externum quo vallatus sit præsidium, tutelam videlicet sui peculiaris, & quidem potentissimi Angeli, qualis Principibus, Deo iubente, assignari solet, atque Angeli totius Regni custodis, qualem è numero Principum Angelorum existere, nemo qui sapiat dubitare au-

Eccl. 8.

deat; domesticum apud se comparet, sempiternum videlicet omnib. in rebus agendi Diuini Numinis metum. Quibus validissimis adiumentis nixus ac sustentatus, multò rectiùs quàm M. Antoninus Imperator ista vsurpet, DEVS ME TVETVR, DEO PIETAS MEA CORDI EST. Quàm lubens itaque acclamationum veterib. vsitatarum formulas illas vsurpem, quibus Amalarius Fortunatus Episcopus Treuerensis Ludouicum Pium Caroli Magni filium excepit. Sic igitur quantâ vocis contentione potero, vt me omnes boni & verè Galli exaudiant, Henrici Magni filio Ludouico Pio occinam. DIVO HLVDOVICO VITA. NOVO DAVID PERENNITAS. DA PRINCIPI DOMINE VITAM. IPSI NOVO SALOMONI FOELICITAS. PAX MVNDI VOS ESTIS. PIO PRINCIPI PROSPERITAS. DOMINE VITAM IPSI CONCEDE. VESTRA FIDES VOS SERVET. CHRISTVS QVEM VOS HONORATIS IPSE VOS SERVET. POTESTATEM VESTRAM DEVS CONSERVET. DEVS PACIFICET REGNVM VESTRVM. VITA VESTRA TVTELA OMNIVM EST. VESTRA FIDES ECCLESIARVM EST GLORIA.

Vulcat Ant. Cass.

Amal. præf. l. de off. Eccle.

VXOR IVSTA.

CAPVT PRIMVM.

VXOR Iusta quæ dicatur. Vxor columna quietis. Prius Sperata, Pacta, Sponsa. Sponsalia aliquando Matrimonio æquata. Adulterarum triplex genus apud Hebræos, & suum cuique adsignatum supplicium. Apud Græcos Sponsalia penè iuris eiusdem cum nuptijs. Quàm pudicè Sponsus erga Sponsam se gerat. Perit mente virginitas. Matrimonium à Diuini Numinis inuocatione auspicandum. Publicè in Ecclesia celebrandum. Latinis, Græcis. Apud Græcos Sponsalia benedictione sacra peragi. Matrimonium publicè in Ecclesia celebrandum.

CAP. II.

Nuptiarum aliæ legitimæ aliæ prohibitæ, & hæ in triplici differentia. Matrimonij definitio. Vxor quæ iusta, quæ legitima. Matrimonij bonum triplex.

CAP. III.

Consensus in Matrimonio qualis. Magnatibus Rege inconsulto vxorem ducere non licet. De Matrimonio inter personas disparis cultus. Quæ legitimæ personæ ad Matrimonium contrahendum. Auaritiæ ratio nulla habenda ex varijs. De vetulis nupturientibus. De formæ studio.

CAP. IV.

Matrimonij bonum primum quod est fidei explicatur. Mulierum delicta ex duplici fonte presertim, Ambitionis & Auaritię. Mulierum habitus vel ad Cultum vel ad ornatum refer-

tur. Mundus muliebris diuersus ab ornatu. Luxus vestium muliebrium reprehensus. Etiam impudicarum pudor aliquis. De gemmis & coma. Medea prima pilos tingere excogitauit. De vnguentis. Mulieres quo pacto viris suis placeant. Mos patrius quis seruandus. Calis Græcæ nobilissimæ luxu perditæ mors infœlix.

CAP. V.

Vxorum ornatus immoderatus quantum fidei coniugali officiat. Argumentum deformitatis pudicitia, vulgi sententiâ. Andronici Comneni Imp. historia. Fœmina amissâ pudicitiâ, ad peiora audacior. Moderatus mariti erga vxorem amor.

CAP. VI.

Coniuges sibi mutuam pudicitiæ, & fidei coniugalis legem debent. Explicatio loci Apostol. 1. Corinth. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Ad id insignis historia ex B. Augustino. Marito non licet, quod vxori non licet. Mariti in vxorem quale imperium. Ex Pythagora, quo pacto vxor in viri potestatem venit. Seruiendi verbum, in vxoribus à B. Augustino vsurpatum, benignè explicatum. Penes vxores domus cura. Mulieres olim solæ panem pinsebant.

CAP. VII.

Bonum prolis. Nuptias non concubitus, sed consensus facit In veteri Testamento. Cur Matrimonio tantum tributum fuit, quadruplex ratio. De Essæis. Adamo duæ filię, nuptæ Caïn & Abel, ex B. Chrysost. An proles aut expectanda, aut concupiscenda. Matrimonium à matre non à patre dictum, & cur. Puerpera nonnisi cum vitæ discrimine. An mater proprios lactare debeat liberos. Græci Μάμμας, Matres ita Latini vocarunt. Mamma Ægyptijs primum matris lac. Liberi cuiusque familię firmamentum.

CAP.

CAP. VIII.

De secundis nuptijs. Debiti coniugalis appellationes varię. Aduersus repetitas nuptias Scriptores quà sacri, quà prophani aliquantum acerbiores. Mense Maio cur veteribus nuptię improbatę. Secundę nuptię SS. Patribus cur minùs laudatæ. Maritus etiam seruus appellatus.

CAP. IX.

Sacramentum, bonum tertium Matrimonij quale sit. Nexus inter coniuges quanti faciendus. Benedictio nuptialis cuiusmodi, & varius inde ritus. Quandiu vxor absentem maritum expectare debeat antequam alteri nubat.



VXOR IVSTA.

CAPVT PRIMVM.

QVÆ vna res apud nos Christianos Catholicos plus venerationis & firmitatis, seu sacros religionis ritus, seu communem pactorum conuentorúmque fidem spectes, obtinere debuit, ea hoc tempore & pietatis & constantiæ non leuem fecisse iacturam deprehenditur. Matrimonium dico, quod in dies singulos vel leui de causa, vel ementita quæsiti iuris imagine nullo negotio solui perspicimus. Neque verò de Matrimonio vniuersim disserere animus est: plus satis & nostris Theologis, & Iurisconsultis res ista pertractata est, nos alia via & ratione, Iustæ Vxoris solidam & expressam ima-

ginem repræſentare inſtituimus, vt inde quod optimum firmiſſimúmque matrimonium exiſtimandum ſit, quiuis vel mediocri ingenio præditus intelligat. Eſt igitur primo loco quid ſit Iuſta Vxor explicandum, quæ meo iudicio non alia exiſtimari debet, quàm quæ iure, & prout leges dictitant, alicui viro nubit, quæque ſecundum iuſti & honeſti rationem in ipſo matrimonio ſeſe gerit. De priore illa parte primùm dicamus. Veterum non-nemo Matrimonium iuuentutis portum eſſe dixit: nec abludit Scriptura Diuina, quæ Matrimonium Requiem appellat,
Eccleſ 36. & Vxorem, columnam quietis. Rem ita ſe habere om-
Ruth. 3. nibus perſpicuum eſt, cùm poſt tam varios, tamque multiplices adoleſcentiæ & iuuentutis æſtus ac iactationes, tandem aliquis in tutiſſimum coniugij, quod ſibi quæſiuit, portum ſeſe recepit, vbi placidiſſimâ reliquo vitæ tempore quiete fruatur ac conquieſcat. Requiei & ſecuritatis illius aſſequendæ ſpes non aliunde affulget quàm à
Non ſperata. ſponſalibus: hinc enim quæ expetitur, *Sperata* nominatur, dehinc interpoſita ſtipulatione, *Pacta*, *Sponſa*, quamquam Speratæ nomen retineat, vſque dum, vt olim, vſu, farre, coemptione, nunc verbis præſentibus & conceptis, ſacro præeunte Miniſtro, adhibitis teſtibus nuptiarum fœ-
Arnob. 4. dere iungatur. Ridet Arnobius Deorum Gentilium coniugia, *Vxores Dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt antequæſitis? vſu, farre, coëmptione, genialis lectuli ſacramenta condicunt? habent Speratas, habent Pactas,*
S. Aug. Confeſſ. 8. cap. 3. *habent interpoſitis ſtipulationibus Sponſas?* Sic B. Auguſtinus: *Et inſtitutum eſt vt iam Pactæ, Sponſæ, non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpirauerit Sponſus dilatam.* Atque vt ne quis leuem, nec ſatis certam conquieſcendi ſpem ex Sponſaliorum conditione ſuſpicetur,

illud obseruandum est, Sponsalia aliquando matrimonio æquata fuisse. Tertulliani acumen, *Desponsata quodammodo nupta, tamen inter quodammodo & verum satis interest.* Concilio Trullano istud firmatur. Cuius Canon inter postremos est eiusmodi: *Qui alteri desponsam mulierem, eo adhuc viuo cui desponsa est, in nuptiarum ducit societatem, adulterij crimini subijciatur.* Quærit Balsamo cum Zonara quo pacto adulterium in ea admittere aliquis possit, quæ nondum sub potestate mariti existat. Respondent Zonaras & Balsamo, Olim si osculum à viro in Sponsalibus cum arris sponsalitiis mulieri præbitum esset, iure fiebat, vt qui viro superstite hanc Sponsam duxisset, adulterij reus ageretur, ac tum Sponsalia rescindere, & mulctam ex condicto præfinitam exigere licebat. Nondum verò rescissis Sponsalibus Sponsa adhuc erat, quam qui sibi matrimonio copularet, adulterij crimine non immeritò damnabatur. Addit insuper Balsamo, in lege Mosaica Sponsalia pro nuptiis reputata fuisse, & Sponsæ nomen etiam post nuptias retentum. Siquidem in Deuteronomio habetur: *Si puellam Virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in Ciuitate, & concubuerit cum ea, vtrumque educes ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur; puella, quia non clamauit cum esset in Ciuitate; Vir, quia humiliauit Vxorem proximi sui. & auferes malum de medio tui.* Quibus verbis iam intelligimus quæ tantummodo Sponsa esset & Pacta, Vxorem nominari, & vitium illi factum, adulterium vocari, & supplicij genus adulteris destinatum: quanquam, vt adulteræ omnes eiusdem conditionis non erant, ita non eodem supplicij genere afficiebantur. Hebræorum Doctores triplex adsignant pro triplici adulterarum genere, siquidem mulier matrimonio copulata, adulterij

Tertull. de vel. Virgin.

Concil. Trull. 99.

Balsa. Concil. Trull. Zonar. ib.

Deute. 22.

rea præfocabatur, mappa collo iniecta, & faucibus præclusis, testibus hinc & illinc eam distrahentibus, donec præfocaretur. Secundi generis erat adultera, Sponsa illa de qua locus allatus Deuteronomij agit. Tertij generis adultera dicebatur filia Sacerdotis quæ alicui nupta, si adulterium admisisset, viui-comburium patiebatur. Sed vt ad nostra Sponsalia redeamus, etiam apud Græcos illa ferè in omnibus perfectis Nuptiis æquiualere cognoscimus, ex Nouella Alexij Comneni Imperatoris Constantinopolitani. Ex qua quæ ad rem præsentem faciunt, ista licet commemorare: *Cum Ius Vetus Sponsalia duntaxat in contrahentium voluntate constituat, nec quicquam amplius, quàm de consensu & subsequentibus hunc instrumentis ac Sponsalitiis arris sollicitum sit*, vt habet Nouella Leonis Imperatoris, *Nobis autem per Dei gratiam ad multò elegantius atque sanctius incrementum vitæ negotia peruenerint, ideoque non in nuptiis tantum, verumetiam in Sponsalibus sacræ preces concipiantur & adiungantur.* Tandem definit illa esse propria Sponsalia, ac proculdubio eandem cum nuptiis vim habentia, secundum Synodalis subtilitatis considerationem, quæcunque tempus illud, quod Imperatoris Domini Leonis Constitutio determinauit, integrum habuerunt, sacrasque preces comitantes agnouerunt, quibus in Sponsalibus tomi Synodalis obseruatio locum habere debet. Porro tomus ille Synodalis nihil aliud indicat quàm sententiam de Sponsalibus pronuntiatam à Ioanne Xiphilino Patriarcha Byzantino, in Synodo habita Constantinopoli, qua definit Sponsalia loco Nuptiarum habenda, variasque ad id firmandum affert rationes. Sed illud non leue habendum est, quod omnes qui aderant Metropolitani & Episcopi communi consilio statuunt: *Qui alteri*

Nouell. Alex. Com.

Nouell. Leon. Ius Græco Rom. l. 2.

Ius Græco Rom. 4.

desponsatam, necdum matrimonio copulatam, in vxorem duxerit, eum pro bigamo habendum, nec vnquam ad Sacerdotij gradum promouendum. Hactenus de Sponsalibus secundum posteriores Græcorum sanctiones, quanquam Balsamonem hac in re aliquantisper varium animaduerto, vt videre est in Scholiis ad epistolam B. Basilij ad Amphilochium. Interim operæ pretium videtur, vt Sponsaliorum honestatē & modestiam repræsentemus, quatenus Sponsus erga pactam & Sponsam adeò purè pudicéque se gerat, vt ipso solemni, in Ecclesia, ritu, celebrati matrimonij die, planè signatam, & à viro integram se Virginem nactam esse glorietur. Quam in illa sua Sperata integritatem desiderat, eam ille doceat, nec intemperanter, & immodestè cum ipsa versetur. Nouerit istud S. Hieronymi, *Tactus, iocos, nutus, esse morituræ Virginitatis principia.* Videat ne his blanditiis & illiciis, Sponsæ animo rei maritalis cupiditatem inserat inducátque. Iam illius Virginitatem hoc impudico affectu grauissimè labefactatam, imò, si priscis Ecclesiæ Patribus credendum est, extinctam & intermortuam esse dicemus. Lactantio: *Etsi corpus nulla sit labe maculatum, non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est: nec illibata castitas videri potest, vbi conscientiam cupiditas inquinauit.* S. Hieronymo: *Perit & mente Virginitas.* S. Ambrosio: *Non sola carnis Virginem facit, sed etiam mentis integritas.* Apud Senecam patrem: *Incesta est etiam sine stupro, quæ stuprum cupit.* Hanc perfectam castimoniam & Sponsus & Sponsa, à Dei singulari benignitate sibi contingere credant, nec aliam sibi vxorem concessum iri Sponsus persuadeat, quàm eam quam suis meritis congruere præpotens Deus iudicauerit: *Si iratus, malam*, vt aiebat Menander, *si propitius, bonam,* auctore B.

Balsam. in ep. S. Basil. ad Amph.

S. Hieron. in vita S. Hilar.

Lactant. 6. c. 23.

S. Hieron. epi. ad Eustoch.

S. Ambr. epi 77.

Senec. declam. 2.

S. Hilar. in Psal. 127 Hilario. Neque verò Sponsus ipse & Speratus aliud sibi licere credat quàm quod in sua Sperata tantoperè expetit, meminerit dicti S. Augustini: *Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris: quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inueniant vos: intactam quæris, intactus esto; puram quæris, noli esse impurus.* Sic in Capitularibus: *Sciendum est omnibus, & firmiter retinendum, quod hi qui ducere vxores voluerint, sicut eas castas & incorruptas cupiunt inuenire, sic ad eas casti & incorrupti debent accedere, easque cum benedictione Sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, accipere, sed prius eas dotali titulo debent conligare.* Sed quoniam in superioribus nonnulla facta est mentio Sacerdotalis benedictionis in nuptiis adhibendæ, de ea paulò fusius & accuratius disserere hoc tempore necesse videtur, quandoquidem eò prolapsi sunt mores nostri, vt qui matrimonium contrahunt, mutuo illi consensui adeo sint addicti, vt Paræci sui benedictionem nonnisi dicis causa expetant. Verum matrimonij rite ineundi nulla vel sanctior, vel iustior ratio vnquam visa est quàm à Diuini Numinis inuocatione. Etiam Gentiles ipsi nuptiis faciendis nonnullos Deos Deasque inuocabant, & adesse credebant, de quibus S. Augustinus. Quin Platoni nupta mulier cum Diis & sacris nuptiis in domum mariti venit. Sed hac veterum missa credulitate, iam istud à veteris Ecclesiæ temporibus in more positum fuisse legimus, vt nuptiæ nunquam sine benedictione sacerdotali, eaque peculiari componerentur. Tertulliani vel locus vnicus id apertè & abundè confirmat, dum mirificè commendat fœlicitatem matrimonij: *Quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet.* Hanc Ecclesiæ conciliationem innuere videtur B. Igna-

S. August. serm. 46. de verbis Dom.

Capit. 7. c. 300.

S. August. ciuit. 4. c. 11. 6. c. 9. Plato 8. de legibus.

Tertull. 2. ad vxor.

tius, cum ſcribit eos qui Sponſalia contrahant approbante Epiſcopo coniugium inire debere. Concil. Carthaginenſi 4. *Sponſus & Sponſa cum benedicendi ſunt à ſacerdote, & parentibus ſuis vel Paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipſius benedictionis in Virginitate permaneant.* S. Ambroſius eadem habet: *Coniugium velamine & ſacerdotali benedictione ſanctificari oportet.* Et alio loco: *Eodem iugo benedictionis vtriuſque coniugum colla ſociari dixit.* Omitto locum Epilogi Concil. Romani ſub Syluestro, quo habetur, *Vt Presbyter ordinetur, qui ſit vnius vxoris vir, quæ tamen à Sacerdote ſit benedicta.* Alij aliam habent huius Decreti lectionem, quam non vrgeo. Extat Decretum Hormiſdæ Papæ, relatum à Gratiano: *Nullus fidelis, cuiuſcumque conditionis ſit, occultè nuptias faciat; ſed benedictione acceptâ à Sacerdote, publice nubat in Domino.* Interim quod ad vocem illam benedictionis attinet, explicanda videtur in Concilij Aurelianenſis tertij Canone eiuſmodi, ne incautum lectorem in errorem inducat. Ita verò ſe habet: *Clerici qui cum vxores non haberent, benedictione ſuſcepta, coniugia crediderint eligenda.* Benedictio eiuſmodi explicatur Concilio Aurelianenſi 5. pro ordinis ſuſceptione, vel ordinatione, ſeu adſignatione ad titulum, ſeu locum certum, ſecundum Canonem ſextum Concilij Chalcedonenſis. Capitularium lib. 7. ſtatuitur: *Vt quiſquis vxorem legitime ducere cogitet. per conſilium & benedictionem Sacerdotis, & conſultu aliorum bonorum hominum eam ſponſare, & legitime dotare debeat.* Idem repetitum aliis locis. Additione quarta, initio: *Si quis Christianus & Christiana nouiter nuptiale feſtum celebrare voluerint, non aliter quàm cum pręmiſſo dotis titulo, quo in Christianis ſalubri inſtitutione pręceptum eſt, & Sacerdotali benedictione*

S. Ignat. ep. 2 ad Policarp.
Conc. Carthag 4. c. 13.
S. Ambr. epiſt. 70.
Idem 5. hexam. c. 7.
Concil. Rom. 2. Epil.
V. q. 5. c. 2.
Concil. 3. Aurel. c. 7.
Conc. Aurel. 5. c. 4.
Capit. 7. c. 127.
Ibid. c. 358.
Addit. 4.

(intra ſinum ſanctæ Eccleſiæ) *percepta, coniugium cuiquam ex his adire non permittimus.* Græcis non aliter viſum: Siquidem Harmenopulus in ſuo iuris promptuario hoc tempore matrimonium nudo conſenſu minimè contrahi contendit, ſed ſacris & Sacerdotum precibus interpoſitis corroborandum eſſe; alioquin nec contractæ nuptiæ habeantur, nec prohibentur qui ita contraxerint, à ſe inuicem diſiungi. Iſtud firmat ex Nouella Leonis Imperatoris, cognomento Philoſophi, tum alia Alexij Comneni. Balſamo de ea re iſta ſcripſit, vt quos in matrimonio non coniungat Deus, per ſacram Sacerdotum benedictionem aſſumptus, ſiue aduocatus, hos omnes ad peccatum conuenire affirmet. Quo pacto neceſſaria ſit in nuptiis iſta ἱερολογία, vt vocat, ſeu benedictio ſacra, alio loco demonſtrat, ſed iſtud addit præterea ad Nomocanonem Photij, non modò nuptias, ſed etiam ipſa ſponſalia benedictione ſacra peragi. Extat ſanctio Baſilij Macedonis Imperatoris, aduerſus Sacerdotes qui clã & ſecretò nouos coniuges benedicerent. Athanaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, epiſtola ad Epiſcopos proficiſcentes ad ſuas Diœceſes, vetat ne noui coniuges ante benedictionem ſacerdotalem vna cubẽt. Nicephorus Chartophylax de ſeruorum coniugio iſtud reſpondet: *Si ſerui ſine ſacra benedictione cum ancillis coniuncti ſint, ſcito niſi benedictione initientur, non debere Diuinorum Sacramentorum fieri participes, ſed vt ſcortantes ab ijs prohiberi.* Sacri Concilij Tridentini Oraculum peruicaciſſimo cuique ſatisfacere, ſi modo exiſtat Chriſtianus Catholicus, neceſſum eſt, quo præcipitur *Matrimonium contrahentibus, benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam eſſe.* Omitto alia, quæ hoc Syntagmate ſparſim obſeruari poſſunt.

Harmen. l.4. tit.4. in Schol.

Nouell.89. Nouell. Alex. Comn. 3. Balſalm. ad ca. 8. Cõc. Trull.

Balſam. c.38. ep. 1. S.Baſil. ad Amphil. Balſam. Nomoc. Phot. tit. 13.c.2. Ius Græc. Rom. 2. Nouell. Baſil. Maced. tit. 4. Athan. ep. ad Epiſcop. Niceph. Chartoph. reſporſ. Cõc. Trid. ſeſſ.24.c.1.

CAP. II.

CAP. II.

NVnc ad Matrimonium explicandum sermonem conuertamus, vt quæ sit Iusta Vxor dicenda inde facilius appareat. Sed antequam matrimonij seu definitionem, seu descriptionem proferamus, illud non vnius generis esse in primis videndum est. Latinis scriptoribus nuptiarum vox pro matrimonio vsurpari solet, vt alia significata omittam; quemadmodum γάμος apud Græcos quæ sæpe occurrit in epistola S. Basilij ad Amphilochium. *S. Basil. ep. ad Amphi.* Nuptiarum autem aliæ sunt legitimæ, aliæ prohibitæ: hæ in triplici sunt differentia. Aut enim sunt nefariæ, quæ contra legum scita conficiuntur, vt si quis eam cuius tutelam gerit, vel ipse, vel pater ipsius vxorem ducat, vel eam quæ sit sub tutela patris: Aut sunt damnatæ, vt si quis matrimonium contrahat cum Nonna siue Sanctimoniali, aut alia Deo dicata: Aut incestæ, cum consanguinea intra gradum quartum. Ita disserit Balsamo ad epistolam istam S. Basilij. *Balsam. ad cap. 2. epist. 15. Basil. ad Amphil.* Neque me latet ex nostris, nec non etiam ex Iurisconsultis, nonnullos aliam instituere partitionem. sat si modò nouerimus seu Matrimonij, seu Nuptiarum, vt generatim dicam, alias esse legitimas, alias illegitimas. has mittamus, & quæ sint illæ legitimæ, quas alio nomine Matrimonium vocamus, dispiciamus. Apud Græcos matrimonium est coniunctio maris & fœminæ in totius vitæ consortium, Diuini & humani iuris communicatio, siue per benedictionem, siue per coronationem, siue per instrumentum contrahatur. *Ius Græc. Rom. l. 8.* Latinis verò, & nostris præsertim Theologis, Matrimonium est viri & fœminæ legitima coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem reti-

nens. Coniunctio dicitur, quandoquidem licet multa perfecto matrimonio inesse debeant, videlicet consensus interior contrahentium, pactum externum verbis expressum, obligatio, & vinculum quod ex eo pacto efficitur, & coniugum copula, qua matrimonium consummatur: nihil tamen eorum matrimonij vim & rationem propriè habere dicitur, nisi obligatio illa & nexus qui coniunctionis vocabulo exprimitur. Particula ista (*legitima*) apposita est vt sciamus personas illas matrimonium contrahere posse, quæ nullo iure, siue Diuino, siue humano prohibentur. Quod superest, fusius postea explicabimus. Et quanquam non erat mens mea Theologica hæc attingere, tamen faciam obiter, & velut suspensa manu, ac quandiu ista iis quæ à nobis dicenda sunt, adlucere videbuntur. Modò videndum est que sit Vxor Iusta dicenda, non alio certè sensu, quàm iustæ nuptiæ, & iusta proles, iusti liberi nominantur apud Iurisconsultos. Quintilianus in suis declamationibus, vxorem definit, *Fœminam viro per nuptias collocatam & traditam, quæ in societatem vitæ venit.* Sed aut ignorauit, aut dissimulauit non omnes fœminas idoneas videri, quæ nuptui tradi possunt, cum in nonnullis etiam reclamet natura, quatenus cum hominibus sola lege naturæ vtentibus res ageretur. Etsi gentes nonnullæ eo vsque deprauatæ extiterint, vt in iis nullum discrimen agnouerint, quod de Persis scribitur, & quod hoc prouerbio tacitè indicatur, *Athenis dimidium, Alexandriæ totum:* Attamen gentes reliquæ omnes ab ea re tanquam insigniter nefaria & detestanda, vehementer abhorruerunt. Quod de societate vitæ dixit Quintilianus, perpetuam & constantem minimè intellexisse visus, ob repudij vsum apud Romanos, aliosve populos receptum.

Quintil. declam. c.247.

Sed quale sit iustum Matrimonium, vnde Iusta Vxor, speciatim dispiciamus. Quod re vera iustum existat, illud idem perfectum videri, nemo tantisper in lectione summi præceptoris Aristotelis versatus negabit, neque aliter existimandum est legitimum Matrimonium concipi posse, quàm quod sui natura & conditione perfectum sit, & hoc apparet maximè, quod matrimonio eiusmodi bonum insit non leue & simplex, sed multiplex, tum boni ac perfecti communis ratio sit. Quale verò bonum in matrimonio deprehendatur, sic docet S. Augustinus: *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius viuit, nec saltem ipsa causa pariendi. Quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re subsequente propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte. Generationis itaque causa fieri nuptias Apostolus ita testis est. Volo, inquit, iuniores nubere. Et quasi ei diceretur: Vt quid? Continuo subiecit, filios procreare, matresfamilias esse. Ad fidem autem castitatis illud pertinet: Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Ad Sacramenti sanctitatem illud; vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, Sacramentum.* Quàm concinnè paucis verbis ista expressit alio loco sanctissimus Episcopus: *Quod bonum habent Nuptiæ, tripartitum est, Fides, Proles, Sacramentum. In Fide attenditur ne præter vinculum coniugale cum altera vel altero concumbatur. In Prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento*

S. August. l. 9. de Gen. ad litterã. c. 7. & de bon. cõiug. c. 24.

autem, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur. Multò paucioribus verbis hæc tria complexus est S. Fulgentius: *Fatemur à Deo esse nuptiarum fidem, coniugum charitatem, naturæ fœcunditatem.*

S. Fulgent. epist. 3.

CAP. III.

QVandoquidem Matrimonij à nobis antea prolata definitio, aliquanto prolixiorem eius explicationem postulare videatur, nihilominus cum res à nostris & Iurisconsultis abundè pertractata est, de ea nonnihil strictim & velut saltuatim dicendum videtur. Consensum in Matrimonio contrahendo tanquam principium & fundamentum requiri, omnibus in confesso est. Theologis & vtriusque Iurisconsultis verbum vulgatum, consensum non concubitum Matrimonium efficere. Qui consentire possint vel debeant, examinandi sunt. Non impuberes certè, de quibus Nostri plus satis, sic Græci recentiores in Iure Græco-Romano, & Nouella Leonis sapientis Imperatoris. Addo Historiam nobilem infœlicissimi matrimonij impuberum. Honorius Imperator vxorem duxerat Mariam, Stiliconis filiam, & eam impuberem, inuestem: Vxor Stiliconis artibus cuiusdã veneficæ, quoniam puella non esset legitimæ ætatis, Honorium Imperatorem ad vsum matrimonij impotentem effecit: Sed Maria mortua, alteram Stiliconis filiam Thermantiam vxorem accepit, ex qua mater prolẽ nasci summopere desiderabat, sed frustrà, veneficio remanente, postmodũ Stilico Imperatoris socer eiusdem iussu interfectus, & Thermantia repudiata. Sunt & alij prçter impuberes, qui sui iuris non sint, sed sub alterius potestate, cuius in primis consensus expectandus.

Ius Græco-Rom. l. 4. 8.

Ad hanc classem pertinent cuiusque Regni Magnates, qui quamquam ætate grandiores, attamen, Rege inconsulto, quamcumque ipsi voluerint vxorem ducere nequeunt, quod ex B. Bernardi Epistolis apparet. Ipse verò consensus adeo liber esse debet, vt nulla omnino vis aut necessitas adhibeatur. Et quis coactas nuptias non damnat? S. Ambrosius in Epistolam priorem ad Corinthios, dum explicat istud Apostoli, vbi agit de vidua Christiana. Cui vult nubat tantum in Domino, hæc habet. *Id est quem sibi aptum putauerit, illi nubat, quia inuitæ nuptiæ solent malos prouentus habere.* Elegans Quintiliani locus de ea re in declamationibus. *Nusquam libertas tam necessaria quàm in matrimonio est. Ego eligam cum qua victurus sum, ego comitem laborum, sollicitudinum, curarum ipse perpendam. Quis enim amare alieno animo potest?* Sic Iustiniano, *Ex affectu omnes introducuntur nuptiæ.* Et quidem Concilium Toletanum tertium statuit, *Seu viduas, seu virgines propria voluntate maritos habere.* De viduis hoc addit, *Ad nuptias iterandas venire, non esse vi cogendas.* De virginibus vero, *Ne extra voluntatem parentum, vel suam cogantur maritos accipere.* Et apte Quintilianus alio loco. *Compositis ætatibus coacta matrimonia tamen facilè fastidiunt, siue non habet omne quod licet voluptatem, seu continuis vicina satietas, siue durum est quod necesse est.* Quin experientia ipsa docuit istud S. Hieronymi verissimum esse. *Nullam maiorem inimicitiam quàm amicitias necessitate sociare.* S. Cypriano auctore, *Quis illi* (Virgini) *in nuptijs locus est, cui animus ad nuptias non est?* De cæteris legitimis personis aliquid videndum: & quamquam de iis, qui planè repugnantem & omnino disparem religionis cultum profitentur, matrimonio minimè copulandis, plures copiosè scripserint, attamen illud vnicum addam

S. Ambr. in epist. 1. ad Cor. 7.

Quintil. declam. 306.

Cod. de Nupt. l. 26.

Conc. Tolet. 3. c. 10.

Quintil. declam. 257.

S. Hieron. Dialog. 2. contra Pelag.

S. Cypr. de hab. Virgin.

B. Zeno. Serm. de contin.

B. Zenonis Veronensis Episcopi, de coniugio Christianæ mulieris cum Gentili & Idololatra, quod ad Catholicæ mulieris cum hæretico matrimonium aptè referri posse, nemo sanæ mentis dubitabit, quandoquidem peruulgatum istud apud Ecclesiæ Patres antiquos, quà Græcos, quà Latinos, hæresim, Idololatriam, & hæreticos Idololatras esse, ac solo nomine Christianos. *Proponamus*, inquit, *vt sepe contingit, in vnum sibimet conuenire diuersæ religionis diem, quo tibi Ecclesia, illi adeundum est templum, quo genere vnusquisque suum sacrificium procurabit? quo sumptu? quibus vasis? quibusue ministris? At si discretè fiunt ista, nihil prodest, ex vno enim proficiscendo, & in vnum remeando, si non confusione vel errore, fiunt vna. Quid quod illius sacrificium publicum est, tuum secretum, illius à quouis liberè tractari potest, tuum etiam à Christianis ipsis minimè consecratis, sine sacrilegio videri non potest.* De hac quæstione Græci recentiores satis abundè disserunt in suo iure Græco-Romano. At reliquas legitimas personas expendamus, quas esse existimamus eiusmodi quæ sibi inuicem respondeant & pares sint. Amplissimus dicendi campus hoc æuo infœlicissimo, quo vni studetur auaritiæ, & quod de sui seculi vitio dixit S. Hieronymus, quanto rectius & verius de nostro pronuntiare licet, *Multi non oculis sed digitis vxores ducunt homines, & iudicij expertes, & rationis, qui non aduertunt amplissima, & lautissima dote sibi grauissimam seruitutem & iugum, vxoribus libertatem & imperium quæri.* Varro longe antea de suis ista refert, *Doti dato Insulam Chium, agrum cœcubum, seplasia Capuæ, macellum Romuli.* Lepidum istud est cum Demetrius Rex filio suaderet viduam vetulam, sed diuitem ducere vxorem, versumque Euripidis deprauatum eius rei gratia proferret.

Ius Græc. Rom. 8.

S. Hieron. aduers. Iouin.

Plutarch. Demetr.

Vbi lucrum suadet, reluctetur licèt natura, ducas coniugem.
Filius contrà, qui hoc renuebat, verum Euripidis versum reponebat.

Vbi lucrum suadet, reluctetur licèt natura, seruies coniugi.
Apud Plautum siquidem vera dixit qui ista profert: *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Sic Martialis:

Vxorem quare locupletem ducere nolim, — Martial. 8.
Quæritur? vxori nubere nolo meæ. — Epigr. 12.

Diuitem vxorem ferre, tormentum appellabat Theophrastus apud S. Hieronymum. — S. Hier. 1. in Iouin.

Quis ferat vxorem cui constant omnia, — Iuuenal.
aiebat Iuuenalis. Archidamus Rex Spartæ ab Ephoris — Satyr. 6.
mulctatus, quod deformem duxisset, sed diuitem. Et Solonis Lex, ne Sponsa ad Sponsum afferret plusquam tres vestes, & supellectilem non magni precij. — Plutarch. Solon.
Rectè Platonicus Madaurensis, *Virgo formosa, & si sit oppido pauper, tamen abundè dotata est, affert quippe ad maritum nouum animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipsa virginitatis commendatio iure meritóque omnibus maritis acceptissima est. Nam quodcumque aliud in dotem acceperis, potes cùm libuit, ne sis beneficio obstrictus omne vt acceperas retribuere. Sola virginitas eùm semel accepta est, reddi nequitur, sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet.* — Apul. Apolog.
Sed hæc protrita & mirum est vnius auaritiæ studio nonnullos vxores ducere, non dicam deformes admodum, nigricantes, vel quæ cum bona valetudine perpetuum fecerint diuortium, & forsan tales, quales sine horrore mariti attrectare non audeant. Ædilitio edicto serui, proterui, dementes, melancholici, aleatores, vinarij, gulosi, impostores, mendaces, timidi, auari, iracundi, litigiosi improbantur, & probantur eius generis vxores modò locupletes? Sapiéter — D. 21. tit. 1. l. 1. 2. 3.

Auson. Lud. Sap. Solon apud Ausonium: *Par pari iungatur coniux, quidquid impar dissidet.* Apud Calpurnium: *Si vir diues puellam pauperem vxorem velit ducere, inimicum appellatur matrimonium. Ne pecora quidem,* inquit, *iugum nisi paria succedunt.* Sed quis non rideat, imo stomachosè detestetur Anus, quia sibi ingentes coaceruarunt nummorum cumulos nupturientes. At iuuenes florida ætate, corpore vegeto, anus illas recoctas sibi matrimonio copulare, aut stupor est, aut insania mera. Audire licet S. Zenonem de vetulis istis nuptias ambientibus eleganter disserentem iis verbis: *Pudet me dicere in populo graui anus sæpe videri nouas nuptas, quarum penè plures sunt nuptiæ quàm natales, quæ non rogantur, vt nubant, sed vt dormiant, inuitantur propiores sepulchro quàm thalamo.* Audiendus monitor Quintilianus, *Non amatur anus vxor nisi memoria,* Adde quamtumuis illa sese ornet, & ad speculum componat, suásque veneres pristinas ex nartheciis suis accersat, etiam vetulæ puellascunt, aiebat Varro;

Calpur. declam. 29.

S. Zeno. serm. de Contin.

Quintil. declam. 306.

Merus hic ludus est, nec quidquam ad verum.
Anus cum ludit morti delicias facit.

Syr. Mim. Aiebat Syrus ille Mimographus. Peruulgatum istud est, Dionysium Tyrannum matri nupturienti dixisse. O mater, iura ciuilia violari possunt, iura naturæ nequaquam. Sic Poëta veterum nescio quis,

Plutarch.

Catalect. *Cascum Cascam duxisse non mirabile est,*
Quoniam Charon eas faciebat nuptias.

Clem. Alex. 2. Pædag. c. 10. Non immeritò itaque Clemens Alexandrinus dixit naturam quoad liberorum procreationem, temporis rationem habuisse, quatenus illam pueris denegarit & senibus, quibus idcirco interdictum sit matrimonium. Satyricè & tamen aptè Iuuenalis de anu nupturiente,

Iuuen. Saty. 6.

Tuné

Tuné etiam quam ſextus & octogeſimus annus
Pulſat, adhuc Græcè?

Neque vero ſunt prætermittendi qui ſolo formæ ſtudio ducti vxores ſibi iungunt. S. Hieronymus illos graphicè deſcribit: *Amor formæ rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus, fœdum miniméque conueniens animo ſoſpiti vitium, turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, querulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blandos, omnibus inutiles ipſi nouiſſime amori facit: nam cum fruendi cupiditate inſatiabili flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lachrymis, conqueſtionibus perdit, odium ſui facit, & ipſe nouiſſime ſibi odio eſt.* De illis nihil aliud pronuntiandum quam quod dixit Iuuenalis,

S. Hier. 1. in Iouin.

Iuuen. Sat. 6.

——— *Facies, non vxor amatur.*

CAP. IV.

MAtrimonij quod primo loco bonum conſtituitur, fidei bonum vocant, aliàs ex B. Auguſtino, bonum pudicitiæ & caſtitatis quo coniugum vterque ſibi mutuo ſecundum Iuſtitiæ regulam, actum debitum reddere tenetur. Iſtud explicat ille idem ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor. *Vides coniugalem pudicitiam & thori Chriſtiani matrimonialem fidem donum eſſe, & hoc à Deo, vt illud quod vltra liberorum procreandorum neceſſitatem, modum concumbendi aliquatenus concupiſcentia carnalis excedit, non nuptiarum ſit hoc malum, ſed veniale ſit, propter nuptiarum bonum.* Sed quæ tantum bonum, vel funditus euertant, vel ſaltem grauiſſimè labefactent, diſquirendum eſt. A ſequiori ſexu ordiri placet, quandoquidem multò ſæpius in legem Iuliam ille committat, quam ſexus melior. Valerius Meſſalinus

S. Aug. de bo. viduit. c. 4.

Tasit. 3. Annal.

apud Tacitum, mulierum delicta ex duplici fonte arcesse-re videtur, Ambitionis & Auaritiæ. At ne in immensum excrescat oratio, pro instituti ratione, de vtroque pauca dicam. De Auaritia postea videbimus, & in quem vsum, sat sit dixisse cum Seneca Patre, *Muliebrium vitiorum fundamentum esse auaritiam.* Ambitionem muliebrem qui non exagitarunt, seu Græci, seu Latini? vnus præsertim audiendus Cato ille Censorius, summus vt rectè viuendi, ita benè sentiendi apud Romanos magister. Romanæ matronæ legem Oppiam, qua cautum erat ne qua mulier plus semunciam auri haberet, abrogari incredibili studio & pertinacia contendebant. Cato grauissimè aduersus hanc mulierum proteruiam dixit: *Maiores nostri,* inquit, *nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas sine auctore esse voluerunt: In manu esse parentum, fratrum, virorum, nos (si Dijs placet) iam etiam Rempublicam capessere eas patimur, & foro quoque & concionibus & comitijs immisceri. Date frænos impotenti naturæ, & indomito animali, nec sperate ipsas modum licentiæ facturas nisi vos faciatis: Minimum hoc eorum est quæ iniquo animo fœminæ sibi aut moribus aut legibus iniunctnm patiuntur: Omnium rerum libertatem imo licentiam, si vera dicere volumus, desiderant.* Ambitionem muliebrem quantumcumque sese diffundat, non est huius loci singillatim recésere. De vxorum ambitione agitur, cuius certissimum argumentum est sese exornandi cura immodica, & incredibilis, quæ quid mali pariat postea indicabimus Tertullianus habitus fœminæ duplicem speciem statuit, cultum & ornatum. *Cultum dicimus,* inquit, *quem mundum muliebrem vocant: Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille, in auro & argento, & gemmis & vestibus, deputatur: Iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis quæ ocu-*

Sen. 2. Contr. 7.

Liuius libr. 34.

Tertull. de hab. mul.

los trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis. Bona verba, Tertulliane, quis maritus suæ vxoris illuuiem, imbalnitiem, imperfundiem, incuriam velit amplexarier? Quin ille idem, alio loco ista paulo duriora ita mitigasse videtur; inquit, *Non ad crudam in totum & ferinam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur, nec de bono, corporis squalorem, sed de pudoris suademus, sed de modo & cardine, & iustitia corporis excolendi.* Malo Iurisconsultorum sententiam, quos vt sibi notissimos sequi debuit Septimius ipse. Ipsi mundum muliebrem ab ornatu rectè secernunt. Munda mulier à mundo muliebri dicta est, cultum vocauit Tertullianus. Est autem mundus muliebris, speculum, conchæ, situli, item pyxides, vnguenta & vasa in quibus ea sunt. Item sella balnearis, & cætera eiusmodi, quibus mundior lautiorque mulier efficitur. Ornamenta verò sunt, quibus ornata dicenda est, & per quæ ornatior efficitur mulier, veluti annuli, catenæ, reticula, & cætera quibus collo vel capite, vel manibus mulieres ornantur. Nec me latet Tertullianum responsurum, seu Iurisconsultorum responsa, seu vulgò apud Gentiles receptum morem, apud Christianos locum non habere, à quibus penitus abhorreat Christiana disciplina. Attamen omnem omnino ornatum à Christiana muliere reijciendum esse, non omnes veteris Ecclesiæ scriptores affirmant, quod mox videbimus: luxum, exquisitam & sumptu sæpius detestando comparatam munditiem ornatumque damnamus. Et quidem Tertullianus paulo durior de studio incredibili mulierum in effingenda vultus pulchritudine ista scribere non dubitauit, *Lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori coniuncta esse.* Neque abnuerim vt non om-

Par. l. sect. 3. tit. 7.

Tertull. de cult. fœm.

nes vxores vnius eiusdémque conditionis existunt: nam plebeiæ sunt, & quidem multo plures, aliæ generis nobilitate, aut mariti magistratum gerentis splendore conspicuæ, sic non pari ornatu exornari æquum est. Luxum istum excutiamus, cui amplectendo adeo procliuis est mulierum natio, vt huius vnius gratia, sexus muliebris animus à natura effictus efformatusque videatur. Cornelius Celsus vere istud: *Eripi fœminis cura cultus sui non potest.* Apud Syracusanos, lege lata, sancitum fuit ne auro fœminæ sese ornarent, ne vestes gestarent floridi coloris, aut quibus attexta assutave purpura esset, nisi fortè aliqua esset quæ se vulgare scortum esse profiteretur. Non valde absimile est quod habet Clemens Alexandrinus, vestes floribus similes Bacchicis mulieribus, hoc est, furentibus, conuenire. Eiusdem generis sunt, & illæ apud Ammianum Marcellinum, *Tunicæ effigiatæ in species animalium multiformes.* Quidni addam vestes muliebri luxu excogitatas, adeo pertenues, *Vt in ijs non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est, quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse iurabit.* S. Hieronymus sic pudicam Virgunculam instruit: *Talia vestimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.* Carpit hoc apud Petronium Publius Mimographus.

Cornel. Cels. 6. Athen. 12.

Clem. Alex. 2. Pædag. c. 10.

Amm. Marc. lib. 14.

Tertull. de cultu fœmin.

S. Hier. Epist. 7. ad Lætam.

Æquum est induere nuptam ventum textilem,
Palam prostare nudam, in nebula linea.

Matronæ nostræ, aiebat Seneca, *sic ornatæ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendunt.* Etiam in perditis, & ad omne dedecus expositis, tenerrima est oculorum verecundia. Cùm & olim publicarum libidinum victimæ, in publicum prodeuntes, velo sese obtegerent.

Iuuenalis de Messalina Claudij Imperatoris vxore, ad lupanar properante, hęc scribit:

Ausa palatino tegetem præferre cubili, Iuuenal. Sat. 13.
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos
Linquebat, comite ancilla non amplius vna.
Et nigrum flauo crinem abscondente galero,
Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Apud Tertullianum, ex Genesi, *Thamar illa, quia se expinxerat, idcirco Iudæ suspicioni visa est quæstui sedere, adeo quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente.* (Tertull. de cultu fœm.) Illud ex Chrysippo memoria dignum refert Origenes, (Origen. 4. cont. Cels.) & quidem accommodatè ad historiam Thamar. Olim & primum quidem meretrices, extra vrbes, nec nisi personatas libidini prætereuntium sese prostituisse, deinde deposuisse personam, attamen mansisse extra vrbes, tandem deprauata disciplina intra vrbes penetrasse. Notum illud Martialis:

At meretrix abigit testem velóque seráque, Martial. 1. Ep. 35.
Raráque summæni fornice rima patet.

Quid si veteres, huius æui nonnullas cernerent planè nudato pectore & sororiantes papillas ostentantes, quid aliud pronuntiarent quàm merum mel videri, sed ponticum, hoc est, veneni præsentanei. De gemmis, margaritis & similibus, Clemens Alexandrinus adulterij signa esse affirmare non dubitat. (Clement. Alex. 2. Pædag.) Tertullianus id totum ambitioni mulierum attribuit, & votum gloriæ nuncupat: (Tertull. de hab. fœm.) *Grande scilicet votum*, inquit, *quod non natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio concupiscentia commendauit, & alia vitia ambitionis & gloriæ, sic & pretia rebus inflammauit, vt se quoque accenderent. Breuissimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insu-*

las tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & in sinistra per singulos digitos, de saxis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis tantarum vsurarum substantiam, vno & muliebri corpusculo bajulare. Quin & Varro iam suo æuo luxum eiusmodi muliebrem perstrinxit: *Altera exorat patrem libram occellatorum, altera virum, semodium margaritarum.* Et alio loco, *Hymenæus qui primo lauere* (id est, lauare) *aluum marsupio solet.* Iuuenalis eleganter istud describit:

Varr. Marcip.

Inde faces ardent, veniunt à dote sagittæ,
Libertas emitur.
Interca calet & regnat, poscitque maritum,
Pastores & ouem Canusinam vlmosque falernas,
—— pueros omnes, ergastula tota.

Iuuen. Satyr. 6.

De coma & capillitio muliebri, Tertullianus hæc scribit: *Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuuias alieni capitis, forsitan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti suppares.* Et quidem vno verbo quis non scæua forsan suspicione rideat mulierem quampiam madido torquentem cornua cirro. Mariti est istud præcauere. Quàm vereor ne in his nimis multus sim. Totus Tertulliani liber vnus & alter, non secus ac S. Cypriani describendus esset, vt cæteros Patres omittam, absoluo vnico Clementis Alexandrini loco, quo prodit Medeam, apud omnes Poëtas Græcos Latinósque veneficiis clarissimam, primam omnium pilos & crines tingere excogitasse. Præclarum ad imitandum exemplar! Addam nihiominus istud eiusdem Clementis de vnguentis, quæ boni odoris causa adhibentur, non videri ea omnino Christianis repudianda, quandoquidem alioquin vulturibus aut scarabeis persimiles erimus, quos rosaceo

Tertull. de cult. fœm.

Clement. Alex. 1. Strom.

Clement. Alex. 2. Pædag. c. 8.

vnguento perfusos mori testantur. Multum autem differt vnguento esse delibutum, ab eo quod est vngi vnguento: illud enim est effœminatorum, vngi autem vnguento, nonnunquam est vtile. Istud explanat ex variis adiunctis, ac tandem concludit, etiam Scripturæ auctoritate, Christianis vnguentorum vsum esse concessum ad vtilitatem quidem, non ad suauem sensuum titillationem. Sed quibus exceptionibus aduersus hanc aliquanto rigidiorem ornatus muliebris increpationem occurrendum esse nonnulli existimant, dispiciamus. Mulieres viris suis placere debere nemo tam ferus est qui non fateatur, cùm Scriptura id apertè doceat. Deinde patrium morem nemo damnabit. Primum illud iam olim examinauit Tertullianus hoc pacto: *Vos solis maritis vestris placere debetis,* *Tertull. de cult. fœm.* *in tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaueritis; Securæ estote, benedictæ. Vxor nulla deformis est marito suo, satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu forma commendata. Ne quæ vestrum putent, si temperauerint à compositione sui, odium & auersionem maritorum prosecuturam. Omnis maritus castitatis exactor est; formam verò fidelis non expectat, quia non iisdem bonis quę Gentiles putant, capimur. Non supergrediendum vltra quam quod simplices & sufficientes munditię concupiscunt, vltra quam domino placere. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* S. Cyprianus eo *S.Cyprian.* alludens ex magistro Tertulliano, flauum colorem, ni- *Tertull. de* grum puluerem, aut denique colorem rubeum dixit. Et *cult. fœm.* Tertullianus hac in re etiam minimè pepercit viris, qui nimis curiosè barbam curare, & pulueris cuiusdam asperitudine læuigare, & vno nomine barbam acrius cædere, interuellere, circundare capillum, disponere, etiam colo-

rare canitiem, solebant. Denique S. Augustinus apposité explicat illud Apostoli: *Quæ nupta est, cogitat quę sunt mundi, quomodo placeat viro. Fucari*, inquit, *pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendę sunt fœminę ornari secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus maximè Christianorum & Christianarum non tantum nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.* S. Ambrosius vno verbo rem expediisse videtur: *Ars desit, nullum est crimen decoris, illecebra facessat, inoffensa est species & formæ gratia.* Quanquam licet vxores in gratiam maritorum sedulò & studiosè sese ornent, istud nihilominus Clemens Alexandrinus violentum & iustum medicamentum appellat. Quàm pudicè, quàm generosè casta coniux, apud eundem Clementem Alexandrinum, ei qui dixerat: Pulcher est cubitus, sed non publicus: Respondit: Pulchræ sunt tibiæ, sed quæ sunt mei mariti: pulchra facies, sed eius tantum qui me vxorem duxit. Morem patrium quod addunt citra vllam videri reprehensionem, nollem ego, quod de viris qui suæ comæ crispandæ nimium quantum erant curiosi, enuntiauit S. Ambrosius, de fœminis illud idem asserere: *Illi vulgarem patriæ vsum prætendebant*, Respondet Sanctus Episcopus: *Habeant excusationem qui patrios vsus sequuntur, sed tamen barbaros, vt Persę, vt Gothi, vt Armenij. Maior quidem est natura, quàm patria.* Quidni Christianis fœminis illud etiam inculcem, maior est religio & disciplina Christiana quàm patria; neque tamen negauerim ritum sese ornandi, patrium potius quàm peregrinum & exoticum mulieres consectari debere, modò cultus ipse, modestiæ Christia-

S. August. epist. 73. 1. Cor. 7.

S. Ambr. epist. 44.

Clemens Alex. 1. Pædag.

Clemens Alex. 2. Pædag.

S. Amb. epist. 15.

næ terminis circunſcribatur. Sed dum patriæ morem adeo pertinaciter vrgent, illud ita intelligendum venit, vt modeſtiores & moderatiores quæque ſint imitandæ, non eæ quarum omnis cura & ſollicitudo in eo verſatur, vt quibuſvis lenociniis expolitæ & exornatæ intuentium oculos remorentur. Sanctus Auguſtinus, quis modus hac in re adhibendus ſit, docet iis verbis: *Quiſquis rebus prætereuntibus reſtrictius vtitur quam ſeſe habent mores eorum cum quibus viuit, aut temperans, aut ſuperſtitioſus eſt: Quiſquis verò ſic eis vtitur, vt metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt.* Neque poſſum illas prætermittere, ita luxu diffluentes, toto corpore elanguidas, marcidas, vt ſuis delitiis vel natura ipſa deeſſe videatur, ac proinde arte ſint illæ conquirendæ, cùm ab iis quæ cæteris mortalibus naturæ inſtinctu in vſu ſunt, ſic abhorrent, vt ſuo corpori nulla omnino ratione iſta velint adhiberi, aquam dico ſeu fluminum, ſeu fontium, aut ſimilium, quidni vniuerſi Opifex peculiarem aërem quem reſpirent, aut ſingularem aliquam terram producat, quæ illas ſuſtineat. Inſigne Diuinæ Iuſtitiæ exemplum in fœmina id genus magni nominis: Ea fuit Calis Græca, ſoror Nicephori Imperatoris Conſtantinopolitani, nupta Dominico Syluio Duci Venetiarum, quæ incredibili mollitie & laſciuia, communi aqua vti nolebat, ſed tandem tanta fœtidiſſimi puris copia ex eius corpore manare cœpit, vt nulla aqua etiam naturali mundari & ablui poſſet, & ſic cum iſto horrendo fœtore ex hac vita migrauit.

S. Aug. 3. Doct. Chr. c. 12.

Guazz. Chron.

CAP. V.

SEd quantum fidei & pudicitiæ coniugalis bono immoderatus ille ornatus vxorum officiat, paulo fusius expendamus. Nemo ibit inficias mulierem comptam, ornatam, expictam, in oculos intuentium incurrere, à qua si qui vultum oculosque auertant, & Diuini Numinis metu, & suæ infirmitatis conscij, alij tamen vt nec oculos, sic nec mentem cogitationemque ab illa facile auocant, & quandiu illorum obuersatur oculis, tandiu ex huius lenocinantis formæ admiratione, eiusdem desiderio capiuntur. Neque verò credendum est venustam & lepidam id genus minus ista curare, quæ quantumvis dissimulet, attamen suam elegantiam & pulchritudinem attentè spectari & prædicari summoperè exoptat. Nec maiorem iniuriam se accipere existimat, quàm si inter deformes, turpiculas & sordidas habeatur. Hinc audaciores facti petulantes isti iuuenes, vbi commodum est, post formæ commendationem non leuem, preces minus honestas adiungant. Nec ista supplicatio huic venustulæ & floridæ displicet, cùm suę pulchritudinis certissimum hoc argumentum esse arbitretur. Ita visum B. Hieronymo: *Virgo etsi rogata non fecerit, tamen formæ putat testimonium si rogetur.* Et certè cultus iste immodicus etiam formæ venustati additus, magna est ad peccandum illecebra. Tertullianus paulò seuerius istud scripsit: *Propriè vsus & fructus pulchritudinis corporis, luxuria.* Non deerunt quibus ista magis arrideat sententia. Inter pulcherrimam fœminam & deformissimam, mediam quandam formam esse, quæ à nimiæ pulchritudinis periculo, & à summo deformitatis odio va-

S. Hieron. epist. 47.

Tertull. de cult. fœm.

cet, quæ ab Ennio, *Stata forma* vocatur, quam Phauorinus ille Gallus modicam & modeſtam appellabat vxoriam, qua quæ vxores eſſent præditæ, eas incolumi pudicitia eſſe dictitabat, idem Ennius. Multo magis iſto periculo deformes liberantur. Hinc auctore Seneca: *Argumentum eſt deformitatis pudicitia.* Eſt tamen quod in iſtis pertimeſcendum, ſi S. Hieronymo credendum eſt: *Pulchra cito adamatur,* inquit, *fœda facile concupiſcit.* Ex Seneca patre iſtud expreſſum, apud quem hæc legas: *Quæ malam faciem habent ſæpius pudicæ ſunt, non animus illis deeſt, ſed corruptor.* Non audio ingenioſum Poëtam.

Agell. 5. cap. 11.

Senec. 3. benef. c. 16.

S. Hier. 1. in Iouin.

Senec. 2. contr. 1.

Ouidius Am. El. 8.

Ludunt formoſæ, caſta eſt quam nemo rogauit.

Romanas ſuas non paucas, quanquam rogatas, illæſam & illibatam ſuis maritis pudicitiam ſeruaſſe reperiet. Noſtras Chriſtianas longe ab ea ſuſpicione abhorrere debere, ipſa religio ſuadet. Sed ad noſtrarum mulierum luxum redeamus & quanto ipſe non modo animæ & famæ detrimento, verumetiam rei domeſticæ retineatur, palam eſt. Cum enim mariti quæ huic inſaniæ fouendæ & augendæ pro ſeculi infœlicitate, neceſſaria ſunt, non ſuppeditant, aliunde expiſcari neceſſe eſt. Fruſtra leges ſumptuariæ, fruſtrà maritus pro imperio illas coërcere tentat:

Iuuenal. Sat. 6.

--- *Faciunt grauiora coactæ*
Imperio ſexus, minimumque libidine peccant.

Iuuenali teſte. Nec enim tam libidine peccant, quàm vt habendi cupiditatem expleant. Sic ille idem Iuuenalis:

--- *Nullam inuenies quæ parcat amanti,*
Ardeat ipſa licet, tormentis gaudet amantis,
Et ſpoliis.

Maritorum indulgentiam non vocem, potius ignauiam & ſtuporem. Quiſquis ſiet, veruex maritus apud veteres

audit: Mitto Artemidori Cornutos, non adeo trita Andronici Comneni Imperatoris Bizantini historia. Princeps hic luxu & lididine perditus, cornua Ceruorum, quos venatu cœperat, quæ grandiora & insigniora essent, in porticibus fori suspendebat, specie quidem ostentandæ magnitudinis ferarum, quas cœpisset; at re ipsa vt ciuitatis Constantinopolitanæ mores & vxorum, quas ipse corrumpebat, lasciuiam notaret. Interim vxores cùm sibi aliunde quàm à maritis, mundioris cultus & ornatus subsidia suppetere vident, facto pudoris naufragio audaciores effectæ, ac maritos iam apertè ludibrio habeant, quid non in caput illorum moliuntur? Apud Tacitum: *Fœmina, amissâ pudicitiâ, alia non abnuit.*

Nicet. 2. de Imp. Andron.

Tacit. 4. Annal.

Iuuen. Sat. 6.

Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.

Aiebat Iuuenalis. Vetus verbum Catonis: *Adultera eadem & venefica.* Rhetores sæpè istud vsurpant in suis declamationibus: Nota Liuillæ Drusi vxoris à Sejano temeratæ historia, cuius etiam opera Drusus maritus veneno sublatus. Et nescio an non aliquando debellatos in vteris maternis paruulos, ex furtiua consuetudine conceptos suspicari licet: Hæc conscientiæ vis, hic tortor domesticus & familiaris. Cum Beato Zenone Veronensium Episcopo liceat exclamare: *Sepelitur noua odij rabie* (quin & propriæ conscientiæ reatu) *antequam nascatur matris iam non in vtero, sed sepulchro, incognitum pecus, quod legitimum nec mortem potuit sentire, nec vitam.* Neq; verò alia maritorum incontinentia dissimulanda est, quam S. exagitat Hieronymus, hoc pacto: *Quorundam matrimonia adulteriis cohæserunt, &, ô rem improbam, iidem illis pudicitiam præceperunt qui abstulerant. Itaque cito eiusmodi nuptias satietas soluit cum primum lenocinium libidinis abscessit, quod libebat*

Quintil. 5. c.10.

Xiphil. Tiber.

S. Zeno serm. de Contin.

euiluit. Et fortèan mariti dum totas libidini in ipso coniugij vsu habenas laxauerint, ipsis vxoribus viam ad adulterium struant, vt quæ toties irritatæ, Messallinæ tentiginem expleri insanum percupiant. Iam ipsi mariti eo modo adulteri vxorum appellantur: Xistus Pythagoreus apud S. Hieronymum: *Adulter est in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quam vxorem amare quasi adulteram*. S. Ambrosij eadem vox: *Est enim*, inquit, *velut quidam adulter, incontinens in matrimonio*. Ita Sixtus P. R. *Quisquis vel matrimonij sui semper incontinens est, castus quomodo dici possit ignoro*. Quam piè & pudicè S. Fulgentius: *Iustitia vtendi coniugij hæc est; vt non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi coniuges congruo tempore misceantur*. Intemperantes eiusmodi mariti non probabũt, quod etiam mihi non placet, dictum Elij Veri, *Vxor dignitatis nomen est, non voluptatis*. Quod comprobasse ferunt Theudiselum Gothorum in Hispania Regem à suis propter crebra adulteria miserè strangulatum.

S. Hier. 1. Iouin.

S. Ambr. epist. 82.

Sixtus. 3. de Castitate.

S. Fulgent. epist. 1.

Spar. Ver.

Rod. Sãnct. p. 2. c. 15.

CAP. VI.

SEd quoniam ex illa immodici luxus cupiditate qua nonnullæ vxores flagrare videntur, adulteria nonnunquam promanare diximus, de adulteriis & maritorum & vxorum nonnihil subiiciamus, vt cum vterque coniugum communi fidei & castitatis lege teneatur, hac in parte maritus, si cum alia quam cum vxore consueuerit, in legem

non minus quam vxor adultera committere intelligatur.
„ Ita docet Apostolus. Mulier sui corporis potestatem non
„ habet, sed vir: Similiter autem & vir sui corporis potesta-
„ tem non habet, sed mulier. Huius rei historiam refert S.
S. Aug. 1. de Ser. D. in mōt. cap. 16. Augustinus, quam Valentis Imperatoris temporibus, Antiochiæ quinquaginta fermè annos cum hæc scriberet antea cōtigisse memorat. Achindinus tunc Præfectus vrbis qui etiam Consul fuit, cùm à quodam fisci debitore libram auri exigeret, & aliquanto commotus, quod plerumque in istis potestatibus perniciosum est, quibus quod libet licet, aut potius putatur licere, comminatus est iurans quod si certo die quem constituerat memoratum, aurum non exolueret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodia, nec posset se debito illo expedire, dies metuendus propinquare cæpit. Illi erat vxor pulcherrima, sed pauper, quam homo quidam locuples deperibat, qui mulieri significauit se libram auri daturum pro vnius noctis concubitu; respondit ipsa sui coporis potestatem sese non habere, sed virum, à quo id se impetraturam speraret. Tandem morem gerit diuiti ad illius villam profecta. Sed diues postridie pro auro promisso & tradito, postquam fraudulentè illud substraxisset, simile ligamentum cum terra dedit mulieri, illa domum reuersa, & fraude cognita, Præfectum adit, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum Præfectus primo se reum quod suis minis ad id ventum esset pronuntiat, & tanquam in alium diceret sententiā de Achindini (1. suis) bonis auri libram fisco inferendam edixit, & mulierem in possessionem villæ diuitis ac terræ, vnde pro auro terram accepisset, velut Dominam mitti & induci constituit. Insignis istius mulieris innocentia & simplicitas in lege illa

Apostolo commendata intelligenda, videlicet ingruente necessitate, vt si maritus de vita periclitetur, & ipsius consensus obtineatur, sui copiam tum innoxiè facere possit. S. Augustinus soluet. *Quid etiam si nostro adulterio liberari aliquis de morte, ideone mœchandum? nullum est flagitium quod non eadem conditione suscipere cogamur.* Sanctus Bernardus. *Adulterium quocumque modo, quocumque perpetres animo, turpe flagitium est ac criminale peccatum.* Veterem illam legem cuius meminit Cato Censorius, nullo modo probare possum, de qua sic apud Agellium. De iure autem occidendi vxores ita scriptum est: *In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares, illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est:* Apud Antoninum Imperatorem agebatur de diuortio cuiusdam cum vxore de viro conquerente, vt apparet, ita ille rescripsit, *Habebunt ante oculos inquirere an cum tu pudice viueres, illi quoque* (vxori) *bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, vt pudicitiam ab vxore exigat, quam ipse non exhibet; Quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis, rem inter vtrumque componere, vel facti causam facti tollere.* Ex Codice Gregoriano ad L. Iuliam de adulterijs, locum hunc descripsit S. Augustinus, qui narrat quibusdam displicere, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma seruetur, *Et potius eligant maximéque in hac causa mundi legibus subditi esse, quam Christi, quoniam iura forensia, non eisdem, quibus fœminas, pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere.* S. Hieronymus grauissimè: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster precipit: Apud illos, viris impudicitiæ frena laxantur, & solo stupro, atque adulterio condemnato paßim per lupanaria & ancillulas libido permittitur quasi cul-*

S. Aug. de mend. ad conf.

S. Ber. de præcepto & dispensat.

Agell. 10. cap. 23.

Cod. Gre. l. 12. tit. ad L. Iul. de adult.

S. Aug. 2. de adult. Coniug. c. 8.

S. Hieron. epist. 30.

pam dignitas faciat non voluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem seruitus pari conditione censetur. Contra hanc qualemcumque maritorum exceptionem vrget rescriptum Antonini supra allatum. Tandem concludit: *Quæ cum ita sint, nunquid ideo minor est, ac non potius maior & peior virorum impudicitia, quia inest illis superbia & licentiosa iactantia.* S. Ambrosio: *Nec viro licet, quod mulieri non licet; eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia.* Ita Seneca: *Improbum est vt quis ab vxore pudicitiam exigat, alienarum corruptor vxorum.* Lactantius eandem eleganter quæstionem pertractat, & illius Imperatorij decreti tacitè meminit: *Non sicut iuris publici,* inquit, *ratio est, sola mulier adultera est quę habet alium, maritus autem etiam si plures habeat, à crimine adulterij solutus est. Sed diuina lex, ita duos in matrimonium, quod est in corpus vnum, pari iure coniungit, vt adulter habeatur quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit.* Paulò post: *Seruanda igitur fides ab vtroque alteri est. Imò exemplo continentię docenda vxor, vt se castè gerat. Iniquum est enim vt id exigas, quod pręstare ipse non possis. Quę iniquitas effecit profecto vt essent adulteria, fœminis ęgrè ferentibus pręstare se fidem, non exhibentibus mutuam charitatem. Denique nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc causam vitijs suis prętendat, iniuriam se, peccando, non facere, sed referre.* Quod optimè Quintilianus expressit: *Homo,* inquit, *neque alicuius matrimonij abstinens, neque sui custos, quæ inter se natura connexa sunt. Nam neque maritus circa corrumpendas aliorum coniuges occupatus, potest vacare domesticæ sanctitati, & vxor cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare.* Certè Ecclesiasticis legibus & pœnis iisdem vir adulter & mulier adultera constringuntur. Sic enim Concilium

Amb. de Abrah. 1. tit. 14.
Senec. epist. 94.
Lact. 6. c. 23.
Quintil. declam.

cilium Ancyranum: *Si cuius vxor adulterara fuerit, aut si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem* (SS. Eucharistiam) *consequi secundum pristinos gradus.* Idem repetitum Concilio Vormatiensi. Imperatores Theodosius & Valentinianus vxoribus repudij auxilio necessario vti permittũt in nonnullis casibus, è quorum numero iste est: *Si ad contemptum sui, domusve suæ, ipsa vxore inspiciente, cum impudicis mulieribus, (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem illa probauerit.* Sanctus Ambrosius, eo sensu dixerat: *Vxor seuera scortari comparem suum nolit, non patiatur, non sinat.* Pythagoras in illa sua ad Crotoniatas Parœnesi, illos hortatur maximè, vt non alias quàm proprias vxores norint. Itidem Sixtus P. R, *Dici potest fœmina casta, seruans viro suo fidem, sed marito non à marito nisi etiam ab ipso continens fuerit.* Hæc paulò obscura, quæ nihil aliud indicant, quàm vxores ab ipsis maritis pudicitiam edoceri, fidémque coniugalem seruari oportere. Quæ res nobis satis apertè demõstrat maritorum esse suis coniugibus benè ac pudicè sese in matrimonio gerendi viam ac rationem præscribere. Non frustra enim & Diuina & naturali lege necnon humana, virorum in vxores imperium constitutum est. Dei præpotentis vox illa est ad Euam: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quod in Nouo Testamento multoties repetitum est. Philosophiæ princeps alter, mariti imperium in vxorem, vt & patris in liberos, sibi aliquo pacto respondere dixit, quod vtrumque sit in liberas personas. Differre verò quod mariti in vxorem imperium sit politicum & ciuile, patris verò in liberos sit Regium. At ne quis istud ciuile imperium aliter quam par sit interpretari velit, ac si in matrimonio om-

Concil. Ancyr. c. 19.

Concil. Vorma. c. vlt.

Cod. de repud. l. consensu.

S. Amb. epist. 14.

Iamphl. l. vit. Pythag. c. 9.

Sixtus de castitate.

Gen. 3.

Arist. l. polit. c. 1. & vlt.

nia ſint paria, quandoquidem ciuile imperium ſit inter natura pares, id eſt, quorum vnus alterum non ſuperet, aut virtute, aut diuitiis, aut genere, aut libertate: & vbi parendi & imperandi ſit viciſſitudo. At in matrimonio longè aliter res ſe habet: nam maritus vxore, vt mas fœmina ſemper natura eſt præſtantior, ac proinde non ſunt pares. Deinde maritus ſemper imperat, itaque nulla eſt viciſſitudo imperij. Neque tamen credendum eſt vxorem ita marito, obſequi debere, vt ſeruum Domino: Quanquam S. Auguſtinus dixerit, *Fœminas viris ſuis ſecundum legem penè famulas ſubditas eſſe.* Lex præclarè mariti imperium triplici modo diſtinguit, pro triplici eáque diſpari conditione perſonarum in quas ius habet maritus, *In poteſtate patris eſt filius-familias, in manu vxor, in mancipio ſeruus.* At diſcrimen iſtud ſtatuit Ariſtoteles inter vxorem & ſeruum ex diſſimili fine vtriuſque, quod ſeruo non alius ſit finis propoſitus quàm miniſterium, vxori verò procreatio liberorum. Atque eam ob rem barbaros, ſeu præter Græcos cæteros populos, qui vxoribus tanquam ſeruis & mancipiis vtebantur ad ſeruilia miniſteria, reprehendit Ariſtoteles. Sed apud nonnullas gentes, vt pote Celtas, etiam viros in vxores ius vitæ & necis habuiſſe tradit, quod de Romanis ſimul prodit Paulus I. C. quod eſt imperium Regium. Eo reſpexiſſe videtur Seneca, cum ſcribit, *mulierem matrimonio copulatam, pudicitiam timori præſtare, non ſibi. Nam aut legem* (Iuliam) *aut virum metuit.* Theodoricus Rex apud Caſſiodorum, de viro qui vxorem adulteram occiderat, ſic loquitur, *Pro amore pudicitiæ porrigere ferrum maritis non eſt leges calcare, ſed condere. Ita tamen, vt ſi legitimus extiterit accuſator, de facti ſui qualitate, te noueris audiendum, vt ſi*

S. Aug. l. 5. quæſt. in Deuteron. c. 33. Vlp. de teſtam. de iniur. l. 1. Ariſt. 8. art. c. 12.

Paulus 3. Sent. tit. de adult. Sen. lib. 4. de benef. c. 14. Caſsiod. 1. Varr. Ep. 37.

innoxios peremisti, crimen publica districtione resecetur. Si malè initos complexus adulterorum morte diuisisti, æstimetur potius vindicta quàm culpa. Veruntamen maximus ille præceptor Aristoteles, Regium istud summũque & forsan tyrannicum imperium viri in vxorem, non omnino probasse videtur alio loco, vbi contendit potestatem & societatem rectam mariti & vxoris esse Aristocraticam. Quandoquidem vt in Aristocratia ita & in matrimonio, pro dignitate, suo quisque fungitur officio & munere, pro virtutis ratione, si quidem quæ viri sunt propria, principatum in familia obtinere, & rem familiarem parare curat maritus: At ista mulieris officia, maritum obseruare & colere, ipsisque ancillis pensa & munia adsignare, rei cibariæ consulere, liberos rectè educare, satagat vxor. Attamen admonet in matrimonio vitandam maximè Oligarchiam, in qua ille imperat, qui non virtute sed diuitiis, opibus, antecellit, quod si contingat, id contra naturam fieri affirmat. Accommodatè ad eam rem Plinius, *Multis illustribus viris dedecori fuit aut inconsultius vxor assumpta, aut retenta patientius: ita foris claros domestica destruebat infamia, & ne maximi ciues haberentur, hoc efficiebat quod mariti vxoribus minores erant.* Et quidem S. Hieron. rem istam magis vrget ex regula Christianæ pietatis. *Cùm caput*, inquit, *mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quæcumque vxor non subijcitur viro suo, hoc est capiti suo, eiusdem criminis rea est, cuius & vir, si non subijciatur Christo capiti suo.* At virum Christi imperium detrectare quid aliud est quàm impietatis cuiusdam scelere sese obstringere? Pythagoras apud Crotoniatas disserit quo pacto, ritu sacro, in viri potestaté veniat vxor; scilicet virum à Vestæ Deæ ara acto sacrificio & interposito fœdere, quasi supplicem & orantem accipere con-

Arist. 8. art. c. 12.

Plin. paneg.

S. Hieron. in Epist. ad Tit. c. 12.

Iamb. l. de vita Pyth. c. 9.

iugem & velut in conspectu Deorum ad maritum ipsam introduci, vt & ordine & animi moderatione exemplar existat, sicut omnibus domesticis ita cæteris externis. At Isidorus ex nostris ritibus illud idem demonstrat hoc pacto; *Fœminæ dum maritantur velantur, scilicet vt nouerint se per hæc viris suis esse subiectas & humiles, vnde & ipsum velamen vulgo mauortem vocant, id est, Martem, quia signum maritalis dignitatis ac potestatis est in eo. Caput enim mulieris vir est, licet proinde velentur dum nubant, vt verecundiam mulieris agnoscant, quia iam sequitur inde quod pudeat.* Constat igitur viri imperium non modo lege Diuina, vt paulo ante indicatum est, verum etiam naturali, vt nos docuit Aristoteles, & ex eo descripsit S. Augustinus iis verbis, *Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, filij parentibus, quia nulla Iustitia est, vt maior seruiat minori.* Interim *seruiendi* verbum, quo S. Augustinus vsus, non ex Iurisconsultorum regulis explicãdum est, sed pro morem gerere & obsequi vsurpauit, quemadmodum Apostolus; dum Christianas adolescentulas matrimonio copulatas, viris suis subditas esse præcipit. Ita S. Chrysostomus, subdita est mulier, tamen vt vxor, vt libera, vt paris honoris. hinc ex eo istius erga viros obsequij, præcipuum argumentum est, vt domus curam habeant, sic vetus interpres, sed Græca vox, οἰκουργούς, longè aptior & accommodatior, quæ domus custodes, vel domi manentes significat. Priscus ille ritus Romanorum hoc indicat, apud quos vxoribus domum maritorum primum ingredientibus, claues dabant omnes illius, vna dempta cella vinaria, quo significabant ipsas matresfamilias esse, atque omnem rei domesticæ curam & potestatem habere. Eius etiam rei indicium est, quod in familia curanda totæ occupatæ

Isid. off. Eccl. c. 9.

S. Aug. quæst. in Gen. c. 153.

1. ad Timoth. 5.

S. Chrysost. 1. Cor. homil. 26.

essent, quoniam apud Veteres solę panem pinsebant. *Hoc mulierum opus esse* dixit Plinius, & res nota ex Sacris literis, & profanis auctoribus. Apud hos legere est, non apud pistores, sed pistrices panem publicè vendi solitum, vt meminit Lucianus. Sed velut cibariæ parandæ mulieres sollicitæ erant, ita vestiariæ. De optima illa matrefamilias, dictum est à sapientissimo mortalium Salomone: *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum; de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Stragulatam vestem fecit sibi. Sindonem fecit, & vendidit.* Mitto cætera. Erat apud veteres prouerbium: Vbi cucumerem edant, ô mulier, lænam texe: hoc est, vbi cucumeris esus occeperit, Autumnus ingruit, à quo non longè distat hyems, ob quam de hyberno vestitu cogitandum, cuiusmodi est læna. Interim qua ratione domi manere illas iubet Apostolus, istud exponit Tertullianus, dum Christianas mulieres in publicum passim, vel leui de causa, prodire vetat: *Vobis nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur.* Catillantes & circuncursantes huius temporis non probaret, etiam ementita valetudine, aquas Bajanas petentes. Martialis istud discant mariti:

Plin. 18. c. 11. *1. Reg. 8.* *Lucian. Demonact.* *Prouer. 31.* *Tertull. de cult. fœm.* *Mart. 1. epist. 63.*

Casta nec antiquis cedens Læuina Sabinis,
Et quamuis tretrico tristior ipsa viro,
Dummodo Lucrino, modo se permittit Auerno,
Et dum Bajanis sæpè fouetur aquis:
Incidit in flammas, iuuenemque secuta, relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

Tandem integram illam & mutuam coniugum inter se pudicitiam absoluamus eleganti B. Fulgentij loco: *Sancta*

S. Fulg. epist. 2.

quidem sunt Christianorum coniugia, quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas fidei seruatur in corde. Illic equidem carnis debitum redditur viro, coniugalis autem castitas magis debetur Christo quàm viro, quia & corpus tunc verè castum est, quod fornicatione carnali non polluitur, quando spiritalis integritas Christi timore ac dilectione seruatur.

CAP. VII.

BOnum prolis secundo loco excutiendum est, quod quanquam à nostris bonum extrinsecum vocetur, attamen ipsius matrimonij finis vltimus est ac præcipuus: Sic enim Apostolus: *Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* Nihilominus bonum istud non esse ex rei natura necessarium, sed tantùm in obligatione & energia nostri rectè adnotant; & ista obligatio nullam inducit necessitatem, sed sub conditione, vt si ex coniugio suscepta proles fuerit, perhumanè & religiosè educetur. Itaque etiam si liberi nulli nascantur, verum ac perfectum non desinit esse matrimonium, quandoquidem omnium Iuris vtriusque peritorum consensu: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit;* etiam multò magis quantumvis interuenerit copula, si proles secuta non fuerit. Quin veteres adeò consensum illum mutuum coniugum vrgent, quasi liberorum procreationis aut nulla, aut perexigua ratio habenda sit. Sic Sanctus Ambrosius: *Cùm initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella, coniugium est, non cùm viri admixtione cognoscitur.* Sic auctor operis imperfecti in Mathæum. Matrimonium quidem non facit coïtus, sed voluntas. Hinc

1. Tim. 5.

D. li. 5. tit. 4. tit. 17. variè. D. de Reg. Iuris l. 30. ex Vlpian.

S. Ambr. de Inst. virg. l. 6.

vt illud obiter dicam, factum est vt veteris Ecclesiæ Patres, inter sacratissimam Deiparam Virginem Mariam, & S. Ioseph, verum matrimonium fuisse affirment. Vnus nobis hoc explicet S. Augustinus: *Non fallaciter*, ait, *ab Angelo dictum est ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio.* Concludit itaque: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati.* Sed è diuerticulo in viam redeamus, ac quale sit bonum prolis, ex vtriusq; Testamenti collatione dispiciamus. Procreandorum liberorum in veteri Testamento sollicitudo maxima, præceptum siquidem Diuinum, & benedictio apud populum Dei Hebrçum: In nouo, quanquam istud concessum sit, est tamen longè sanctior & excellentior oblata conditio, virginitatis nimirum eligendæ. S. Augustinus Diuinè, vt omnia: *Hæc propagatio* filiorum quæ in sanctis Patribus propter generandum & conseruandum populum Dei, in quo prophetiam Christi præcedere oportuit, officiosissima fuit, nunc iam non habet illam necessitatem, patet quippe iam ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum, vndecunque carnaliter nati fuerint, copia filiorum. *Et quod* scriptum est. Tempus amplectendi & tempus continendi ab amplexu, per illud atque

S. Aug. de nupt. & concu. c. 11.

S. Aug. de bono coiug.

hoc, tempus agnoſcitur diſtributum: *Illud* quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu. Sixtus Pontifex Romanus quadruplicem matrimoniorum in veteri Teſtamento rationem adſignat. *Primam*, quia ſecundum Apoſtolum, omnia adhuc in myſterio & figuraliter gerebantur. hæc enim in figura contingebant illis. Tandiu enim aliquid in figura exerceri conuenit, quandiu res non venerit, cuius figura eſt. Exhibita verò iam re, figuræ ceſſat adumbratio. *Secunda* ratio eſt, quia mundus adhuc vacuus erat atque deſertus. *Tertia*, quia illius temporis homines non tantis mandatorum præceptis onerabantur, quorum perficere plenitudinem cum vxore vix poſſent. *Quarta*, quod eis prę̨iudicare non potuit res, quæ nec conſilio diſſuaſa (mallem legere *ſuaſa*) fuerat, nec exemplo, imo potius demandata: *Quia* apud Iudæos gloria erat in partubus & parturitionibus, & maledicta ſterilis quæ non habebat ſemen in Iſraël, & beatus cuius erat in Sion & domeſtici in Hieruſalem, & in benedictione maxima ponebatur vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. Porro quod virginitatem vel cœlibatum, exemplo, apud prioris Teſtamenti Patres caruiſſe dicit Sixtus, illud nec ipſe ſatis probabit, qui paulò ante hunc locum, Heliam, Heliſæum, B. Ioannem Baptiſtam cœlibes fuiſſe affirmat. Addo Eſſenos illos Iudæorum Philoſophos, de quibus ita Porphirius apud Euſebium. Eſſei genere Iudæi ſunt, hi ſe inuicem magis diligunt, quàm cęteri homines faciunt, & voluptatem omnem quaſi vitioſam aſpernantur, continentiam & integritatem animi ab omni perturbatione remotam, præcipuam putantes virtutem. Vxores non ducunt, alienos autem liberos, teneros

Sixtus de caſtitate.

Exod. 23.

Eſa. 31.

Pſal. 127.

Euſeb. præpar. 9. c. 1.

teneros adhuc, & ad omnem aptos doctrinam, adoptantes, pro suis educare ac moribus suis stabilire solent. Sic Plinius Maior: *Esseni gens sola & in toto orbe præter cęteras mira, sine vlla fœmina, omni venere abdicata.* Quod ad secundam rationem spectat, illa non parum lucis habitura est ex iis Sancti Augustini: *Cùm genus humanum post primam copulam viri, facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere, marium fœminarumque coniunctione opus haberet, vt gignendo multiplicaretur, nec essent vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas coniuges acceperunt, quod profecto quanto est antiquius, compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente.* Singulare istud est quod de ea re prodit S. Chrysostomus, Adamum duas procreasse ex Eua filias, post natos Caïn & Abel, quarum vna Rifa, altera Edocla vocaretur, easque duobus illis fratribus Caïn & Abel matrimonio iunctas: nam cæteri omnes Ecclesiæ scriptores, Abel virginem fuisse affirmant. Certè apud S. Epiphanium, vt & apud Cedrenum & Chronicon Alexandrinum, Adamo duę tribuuntur filiæ, quarum vni nomen Saue seu Azua, alteri Azura; prior Caïn, posterior Seth nupta. Tandem ad prolis bonum redeamus, quod expetendum esse vt non negauerim, ita si minus fœliciter succedat, non valde laborandum arbitror, cùm vel naturæ culpa, vel ipsorum coniugum contingat, vel in Diuinam prouidentiam causa referenda sit. Singula videamus. Naturæ beneficium esse volunt, non igitur res est nostri arbitrij. Dicam cum Papirio Fabiano, apud Senecam Patrem: *Expecta, potest parere. Non respondet ad propositum, nec ad certum diem fœcunditas, sui iuris rerum natura est*, nec ad leges humanas componitur, modò properat, modo vota præcurrit, modo lenta

Plin. hist. 5. c. 17.

S. Aug. 15. de Ciuit. c. 16.

S. Chrysost. hom. 1. in c. 1. Math.

Epiphan. hæres. 39. Cedrenus Chron. Alex.

Seneca 2. Contr. 5.

Quintil. decl. 256. est & demoratur. Sic apud Quintilianum: *Non semper fœcunditas properat, aliquando dilata, veluti pleniores fructus reddit.* Non hîc agitur de sterilitate, quæ corporis vitio contingat, sed de ea quam sibi vterque coniugum suapte culpa procurat, vt si maritus in amores præceps, in cupiditates pronus sit. Hinc Beatus Hieronymus: *Certe qui dicunt se causa Reipublicæ & generis humani vxoribus iungi,* & liberos tollere, imitentur saltem pecudes, & postquam vxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores vxoribus se exhibeant, sed maritos. Mulieres Romanas sui seculi aliquas vteri gestationem molestissimè tulisse testatur Seneca, suam commendans Heluiam: *Nunquam,* ait, *more aliarum,* quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem vterum abscondisti, quasi indecens onus nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti. Hoc de sui temporis matronis locupletibus idem prodit Sanctus Ambrosius: *Ipsæ diuites ne per plures suum matrimonium diuidatur,* in vtero partus proprios necant, & parricidalibus succis in ipso genitali aluo, pignora sui ventris extingunt, priusque aufertur vita, quàm traditur. Sed interim Diuinę benignitatis argumentum aliquando in ipsa coniugum sterilitate deprehendere licet, Sanctus Hieronymus ex Theophrasto istud tacitè nos docet. Sed locum integrum describam, cùm multa, eaque præclara de re, qua de agitur, contineat: *Liberorum causa vxorem ducere, vt vel nomen nostrum non intereat,* vel habeamus senectutis præsidia, & certis vtamur hæredibus, stolidissimum est. *Quid enim ad nos pertinet* recedentes è mundo, si nomine nostro alius nominetur, cùm & filius non statim patris vocabulum referat, & innumerabiles sint qui eodem appellentur nomine. *Aut quæ se-*

S. Hieron. in Iouin.

Senec. consol. ad Heluiam, c. 16.

S. Ambr. 5. hexam. c. 18.

S. Hieron. in Iouin.

nectutis auxilia sunt enutrire domi, qui aut prior te fortè morietur, aut peruersissimis sit moribus, aut certè cùm ad maturam ætatem venerit, tardè ei videaris mori. Quid iuxta Euripidis sententiam, quam etiam vsurpat clarissimus Boëtius, carentem liberis infortunio fœlicem prædicare licet. Nunquam tot monstra produxit Africa, quot seculum istud, quod ad liberos spectat, nam de cæteris non est hîc dicendi locus. Neque verò duntaxat illud mirandum est quod *Boetius 3. Consol. pros. 7.*

Filius ante diem patrios inquirit in annos. *Ouid. 1. Metam.*

Quis non potius exhorrescat tot parricidia ab ingratissimis & hominum postremissimis filiis perpetrata. Fidem luculentè facient ipsa tribunalia : horum parentum quod aliud vel vtilius, vel iustius votum esse aut potuit, aut debuit, quàm liberis carere? Sed pergamus & videamus quàm magno constet istud bonum prolis. Certè parientem mulierem in summo vitæ discrimine versari, non tam literæ, qua Sacræ, qua prophanæ, abundè testantur, quàm ipsa quotidiana experientia demonstrat. Quæ res efficit vt matres liberorum amantiores sint quàm patres, quandoquidem ipsa pariendi difficultas & labor incredibilis, longè teneriorem matribus erga procreatos liberos affectum indit inseritque. Ita censet præceptor summus Aristoteles, & ex communi hominum sensu istud confirmat, quoniam ea nobis chariora sint, quæ sunt difficiliora, & magis laboriosa, vt apparet in diuitiis ingenti sollicitudine & labore partis. Hinc longè lubentius accedo illorum sententiæ, qui ob eam rem maris & mulieris coniunctionem, non patrimonium, sed matrimonium appellatum esse aiunt, quandoquidem in isto nexu matris, non patris primariæ & *Aristot. Ethicor. 8. c. 11.*

D. de in ius voc. L. Quia. præcipuæ partes existant. Quanquam & Iurisconsultorum illam non repudiauerim rationem, à matre matrimonium dictum esse: *Quoniam mater semper certa sit, etiam si vulgo conceperit*, vt ait Lex, *pater verò incertus.* Aristot. supra. Suidas Prometh. Meminit etiam Aristoteles. Cuius rei lepida narratio est apud Suidam, de primis illis Atticæ habitatoribus planè rupiconibus & feris hominibus, eorumque belluinis coniugiis, sed ad mansuetiorem ritum moremque à Cecrope homine Ægyptio reuocatis. Quæ igitur mulier non magno redemerit partus istius non tam dolores, etsi grauissimos, quàm vitæ periculum, quod ex iis non raró imminet. Nouell 17. Cod. 8 tit. 18. L. vlt. §. vlt. Siquidem, vt habet Leo Sapiens Imperator, *Puerperæ mortem præ foribus consistentem habent.* Iustinianus vt forsan gratiam suæ Theodoræ magis iniret, mulieribus ita prospectum esse voluit: *Quis earum*, inquit, *non misereatur, propter obsequia quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem.* S. Hildeb. epist. 36. Sanctus Hildebertus Turonensis: *Magni soboles emitur, cuius conceptus infestatio est pudicitiæ, partus vitæ.* Non immeritò itaque Medea illa apud Ennium ex Euripide, vociferatur: Ennius Medea.

Nam ter sub armis malim vitam cernere,
Quàm semel modò parere.

Cernere, pro, de vita dimicare dixit. Sed vt laborem labori, & ærumnam ærumnæ ipsis mulieribus adnectamus, videamus an proprios lactare liberos debeant. Nobilis ista quęstio est. Seu Tacitus, seu quisquis auctor Dialogi de Oratoribus, veterum Rom. seueritatem & disciplinam circa educandos formandosque liberos ita demonstrat: Dial. de Orat. *Iam primum suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio & sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inseruire liberis.*

Apud Agellium decantatiſſimus ille Phauorinus de ea re multis verbis diſſerit, ſed pauca proferam: *In primis, quæ filium proprio lacte non nutriat, nec totam, nec integram eſſe matrem filij ſui. Quod eſt enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus peperiſſe ac ſtatim ab ſe abieciſſe? aluiſſe in vtero, ſanguine ſuo, neſcio quid, quod non videret, non alere nunc ſuo lacte, quod videat, iam viuentem, iam hominem, iam matris officia* implorantem. *Quin naturam ipſam* fœminis mammarum vbera quaſi quoſdam næuulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? *Idcirco deteſtandas* illas prodigioſas mulieres, quæ fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem, arefacere & extinguere laborent. Affinis huic loco alter eſt Clementis Alexandrini, cum ſcribit infantem in lucem editum, non alio nutrimento educandum, quàm eo quo in vtero materno veſcebatur. Quod autem tunc temporis, cùm in aluo matris deliteſceret, ſanguis erat; poſt partum formam lactis habet, & fons nutrimenti efficitur, quo mulier oſtenditur & vere peperiſſe & eſſe mater, quæ inde erga puellum à ſe editum beneuolentiæ ſtimulum accipit. Quinetiam aluiſſe, inter homines, ſæpe plura afferat amoris incitamenta, quam procreaſſe liberos. Naturæ quodammodo iſtud aduerſari, infantem non materno, ſed alieno lacte enutriri, non modo ex iis quæ diximus aliquis iure exiſtimabit, verumetiam ex ipſo nomine quo veteres indigetarunt matres ipſas Helladius apud Photium, priſcos Græcos matres ſuas, Μάμμας, vocare ſolitos prodit. Varro Latinis vſitatum ſcribit vt matres, *Mammas*, Patres, *Tattas* appellarent, cuius rei meminit etiam Martialis. Cuius vocis ſi quis originem aliquam curioſulus quærat, ego coniectura forſan

Agell. 12. cap. 1.

Clem. Alex. 1. pædag.

Phot. Bibliot. num. 279.

Varro Caton. ſeu de liber. educ.

Martia. 1. Epig. 101.

non omnino à ratione aliena, dicam ex Ægyptia repetendam, siquidem Ægyptiæ mulieres primum lac, quod infantibus præbent, *Mamma* vocant, quemadmodum Clemens Alexandrinus auctor grauissimus testatur. Indignum ergo penitus vt matris nomen gerant & *Mammæ*, (vnde nostro idiotismo, *Mammam*) vocentur, quæ Mamma seu lac proprium suis infantibus negent. Istud ne æquo animo ferent, vt etiam ipsi puelli suas nutrices coram matribus *Mammas* vocent; & nonnunquam apud Veteres, nutricibus nomen istud tributum legimus. Bono prolis istud adiiciamus, liberos ex iusto matrimonio natos, suæ familiæ stabilimentum & firmamentum videri, non modo ne res & opes domesticæ ad extraneos transferantur, verum etiam si quis eam oppugnare & insectari audeat, firmissimis veluti propugnaculis munitam deprehendat. Ista sunt Statij,

Clem. Alex. 1. pædag.

Plautus Merat. Martian. Capell. lib. 1.

----Quod alma
Prole fundasti vacuos pœnates
O diem lætum? venit ecce nobis
----Maximus alter.
Orbitas omni fugienda nisu
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poscens (pudet heu) propinquum
----funus amico.

Statius 4. Sylu. ad Maximũ.

Ita Plinius Iunior: *Domum pluribus adminiculis fundatam*, id est, pluribus liberis, dixit. Et apud Tacitum: Liberi *firmissima imperij munimenta* appellantur. Tantum bonum suppeditat Vxor iusta & pudica, quæ etiam Afranio veteri Poëtæ, *Firmamentum familiæ nominatur.*

Plin. 4. Epist. 2. Tacit. 4. histor.

Non Lustra.

CAP. VIII.

QVi facti semel à se naufragij tabellam ostentat, is commiseratione dignissimus habendus est, sed si mari denuo sese committat, cuius fides infamis est, vt loquitur Tertullianus, nemo non temeritatem illius damnabit. Non aliter de iis qui priore soluto matrimonio, secundo sese implicare audent. Duo sunt quæ ipsos coniuges altero orbatos ad nouam copulam impellere videantur, proles suscipienda, qua priore coniugio caruerunt, aut repetendæ coniugalis consuetudinis cupiditas. Prior illa ratio mihi semper æquissima visa est. Quis enim non superstitem sui memoriam in liberis & posteris exoptet? posteriorem istam attingit Apostolus: *Dico autem nonnuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego: quod si non se continent, nubant; melius enim est nubere quàm vri.* S. Fulgentius viduarum fœlicem statum illum mirificè commendat, Apostolum secutus: *Coniugali namque,* inquit, *seruitute turpitudo vincitur fornicationis; viduali verò libertate, crescit dignitas castitatis. Illic fides consulit infirmitati, ne cadat in vitium, hic se fidelis animus ad virtutis extendit augmentum.* Paulò post: *Beata quæ illicitum concubitum, turpitudinis horrore, non appetit, sed beatior licitum maiore puritatis amore contemnit. Beata quæ alligata viro sic viuit, vt soli viro carnis suæ debitum reddat, sed beatior quæ soluta sic permanet innupta ne debeat.* Debitum vocat, quod Tertullianus, *tributum & communem contumeliam dicit.* Apud Anastasium Nicenum, ὀψώνιον, stipendium: cuius quidem debiti mentio habetur in Exodo, secundum versionem Hebræi & Chaldaïci textus. Verum antequam secundum

1. Cor. 7.

S. Fulgen. Epist. 1.

Tertull de vel. Virgin.

Anastas. Nicen. quæst. 53. cap. 15.

Exod. 21.

istud nuptiarum iugum subeant, audiant Episcopum & Martyrem sanctissimum Zenonem. *Responde, bonúne amiseris maritum an malum? Si malum, & desideras nubere, digna es quam peior affligat. Si bonum, fidei serua signaculum, pati non meretur iniuriam ipse, cui perhibes testimonium. Vbi est ille qui inuicem desiderantibus vobis tardior cæteris videbatur primus matrimonij dies? vbi pretiosæ virginitatis festa vtrisque dulcis occisio? vbi amor qui in æquo vnitoque coniugio, è duobus altero superante, non moritur? Tu ne non illa es quæ mariti corpus expositum lauisti lachrymis, oculis detersisti, crinium damno velasti, scissis genis, liuore fœdatis vberibus, sordido plus puluere tecta quàm veste? Tu, inquam, non es, quæ nunc cœlum ipsum vlulatibus rumpens, post talem maritum puncto temporis viuere te non posse clamabas? Nunc elusis dolore gemitibus,* sæpe mortua spiritu, labentibus membris ad terram, incertas reddebas exequias, cui magis lachrymas commodarent mortuone an morienti? *Posthæc*, si lubet nubere, illa omnia mentita es. *Quid hoc est?* Ecce rursus ad lenocinia redis: colorem de pixide mutuaris paulo ante damnatum. Sanctus Hieronymus epist. 10. *Superducit mater filijs non nutritium, sed hostem; non parentum, sed tyrannum. Inflammata libidine obliuiscitur vteri sui, & inter paruulos suas miserias nescientes lugens dudum noua nupta componitur.* Mitto cætera non minoris elegantiæ, quæ non-minus pungunt animum prioris & quidem tenerrimæ amicitiæ memorem. Vnde merito Iustinianus Imperator, mulierem quæ post viri mortem ad secunda vota seu nuptias transit, *Defuncti mariti animam contristare* dicit. Scio istud B. Hieronymi, *Vidua difficilius experta caret voluptate.* Et alio loco: *Virginitas in eo facilior est, quod carnis incentiua non nouit, & viduitas in eo sollicitior, quod præteritas animo recolit voluptates, maximè*

S. Zeno Serm. de contin.

Nouell. 22.

S. Hieron. Epist. 22. Idem Epist. 21.

ximè si se virum putet perdidisse, non præmisisse, quorum alterum doloris, alterum gaudij. A Tertulliano ista sunt: *Credo ait, difficilius saluum derelinqui, quàm amissum non desiderare. Durum enim & arduum satis continentia sanctæ fœminæ post viri excessum.* Intemperátiam muliebrem Romani veteres appellarunt repetitas nuptias. Sic Valerius: *Existimabant enim illi, eum præcipuè matronæ, sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Ita Pompeius Magnus ad Corneliam vxorem apud Lucanum.

Tertull. 1. ad vxor.

Valer. 2. cap. 1.

Lucan. 8.

---Vltima debet
Esse fides lugere virum.

Illud citra omnem dubitationem existit Romanis semper maiori in pretio & commendatione primas nuptias fuisse habitas, quibus celebrandis non quoduis tempus dicatum. Et de iis illud Ouidij intelligendum,

Strab. l. 15.

Ouid. Fast. 5.

Mense malum Maio nubere vulgus ait.

Et paulò ante discrimen aliquod statuit nuptiarum,

Nec viduæ tedis eadem, nec virginis apta
Tempora.

Illa quauis die & mense, hæc virgo nunquam mense Maio. Rationem adsignat Porphirio Horatij interpres, quod eo mense Lemuria sacra, à Romulo instituta sint, ad placandos manes Remi fratris, suo iussu interfecti. At, vt hoc obiter dicam, Persæ aliter quàm Romani nuptias initio æquinoctij verni celebrabant, teste Strabone. Sed ad rem, & nunc expendatur Apostoli digna vox illa: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege. Cui autem vult nubat tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanse-*

Porph. ad Epist. vltimam l. 2. Horat.

Strabo. l. 15.

1. Cor. 7.

rit, *secundum meum consilium.* S. Gregorius Nazianzenus, idcirco non ex præcepto, sed ex concessione secundas illas adstruit nuptias. Primæ, inquit, nuptiæ legis sunt; secundæ, indulgentiæ, tertiæ, præuaricationis & vile quod vltra est. Tertullianus: *Possum contendere non mere bonũ esse quod permittitur. Quod enim mere bonum est, id non permittitur, sed vltro licet. Permissio habet aliquando causam etiam necessitatis: Incontinentiæ & impudicitiæ scilicet periculum.* Sed quid sit viduam tantum in Domino nubere, vt hoc insuper addam, exponit B. Chrysost. cum honestate & modestia Christiana. S. Hieron. scribit iis verbis amputari Ethnicorum coniugia. S. Ambrosius, *sine suspicione turpitudinis & religionis suæ viro nubat.* Sic Balsamo. Scio aduersus secundas nuptias plus æquo duriores videri Tertullianum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Gregorium Nazianzenum. Sed omnium maximè displicet auctor ille quisquis sit operis imperfecti in Mathæum, qui illas fornicationem ausus est appellare. Hac ratione & Apostoli præceperunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est, secundum autem veritatis rationem verè fornicatio est. Sed dum permittẽte Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio. Propterea bene dixit Christus, quia Moyses hoc permisit non præcepit. Aliud est enim præcipere, aliud permittere. Quod enim præcipimus semper placet, quod autem permittimus, nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. Neque sum nescius viduas secundò nuptas bigamorum pœnis canonicis obnoxias esse, vt docet Balsamo, & legere est in Iure Græco Romano, sed ea est Græcorũ sententia, apud

S. Greg. Nazianz.

Tertull. de Monogam.

S. Chrysost. in epist. 1. ad Cor.

S. Hieron. in Iouin.

S. Ambr. in epist. ad Cor. 1. c. 7.

Author. op. imp. in Matth. hom. 32.

Balsam. in epist. S. Basil. ad

quos Leo Imperator, *Tertias nuptias turpem imo turpissimam imbecillitatem nominauit.* Sec nec præterire possum aliud eiusdem Imperatoris edictũ, quod est huiusmodi: *Quemadmodum adhibitis sacris deprecationibus adoptionem perfici pręcepimus, sic sanè etiam sacræ benedictionis testimonio matrimonia confirmari iubemus: Adeo vt si qui citra hanc matrimoniũ ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa consuetudine matrimonij iure potiri volumus.* Hoc si in Ecclesia Occidentali & Latina obtineret, secundas nuptias nullam omnino matrimonij rationem habere diceremus. Illud enim ratũ apud nos, ex vsu etiam veteris Ecclesiæ, in secundis nuptiis benedictionem sacerdotis minimè adhiberi. Quin si Presbyter eam adhibuerit, ab Episcopo mulctetur. S. Ambrosius eius rei sic meminit: *Primæ nuptiæ à Deo sunt, secundæ verò permissæ sunt. Denique primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter. Secundæ autem & in præsenti carent gloria.* Ad nostras secundas nuptias redeo, easq; sanctis Patribus Ecclesiæ nõ satis laudatas, nec vna duntaxat ratione. Ita S. Chrysost. Nostis profectò omnes, quod etsi per leges (Romanas) secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet, earum nonnulla capita hactenus explicauimus. De liberis, quos ex priori coniugio sustulit mulier vidua, nunc videndum, quorum conditio sæpius ex illis secundis nuptiis longè deterior contingit. Aptè Sanctus Ambrosius. *Mutato concubitu parentes deprauantur prælatis filiis posterioris copulę, neglectis autem his qui ex priori progeniti sunt.* Constantinus lege insigni hoc declarat. *Lex*, inquit, *non solum contra tutores, sed etiam contra fœminas immoderatas atque intemperantes prospexit minoribus, quæ plerumque nouis maritis res filiorum, sed etiam vitam addicunt*, Scitè Iuuenalis.

Amphil. Iur. Græc. Rom. l. 8. Nouell. 90. Nouell. 89.

S. Ambr. in epist. ad Cor. c. 7.

S. Chrysost. hom. 2. ad Titum.

S. Amb. 6. hexam. cap. 4.

Cod. 5 tit. 37. l. 22.

Vos ego pupilli moneo quibus amplior est res,
Iuuenal. Sat. 6. *Custodite animas, & nulli credite mensę,*
Liuida materno feruent adipata veneno.

Ioan. Magnus hist. Goth. l. 9. cap. 29.

Historia memoratu dignissima de muliere, priore marito vita functo, secundas nuptias intemperantissimè procurante, & proprium filium ex priori coniugio genitum abdicante. Rem sic narrat Ioannes Magnus in historia Gothorum. Mulier defuncto marito, secundas nuptias amatori spopondit, & conditionem adiecit, filium è prioris mariti domo eiecturam; quod dum tentat, conquæstus est filius apud Theodoricum Regem Gothorum in Italia. Vocata mulier negauit suum esse filium, suppositum dixit. Res contentiosè agitata, Rex suadet mulieri vt Iuuenem pro marito accipiat, quia florenti ætate, quia pulchellus. Mulier consternata substitit & siluit, tum ad se rediens, cauillationibus rem subterfugere cœpit, & ambagibus multa inuoluere. Theodoricus, alioqui rei inscius, suspicari cœpit quod res erat, fingit se pœnam addere nisi consentiret, tunc coacta mulier, horrore sceleris, suum esse filium confessa est. Vereor ne in hac causa præuaricari me dicat quispiam, quandoquidem mulieres duntaxat secundo, etiam, si Diis placet, tertio nupturientes, perstringam; viris vero qui ad secunda vel tertia vota, vt lex loquitur, hoc est ad, secundas & tertias nuptias confugiunt, parcam; de quibus tamen nihil mihi grauius vel acerbius dicendum, quàm penè omnem exuisse humanitatem erga liberos ex antecedente coniugio susceptos, si illis nouercam inducant.

Tacit. 3. Annal.

Vniuersim apud Tacitum *Valerius Messalinus dixit, maritos sępius ab vxoribus deprauatos*, sed eo magis nouercalibus

delinimentis & illecebris corrumpi non raro, res adeò decantata apud Poëtas & historicos cuiusuis generis, etiam legum testimonio, vt nemo, nisi qui à Musis planè alienus. id negarit. Nec illud Statij prætermittam, *Vxorem viuam amare voluptas est, defunctā religio*. Audiant præterea S. Hieronymum: *Qui vxorem habet, & debitor dicitur, & esse in præputio, & seruus vxoris, &, quod malorum seruorum est, alligatus*. Quid istuc rei maritū cum seruo, &, more veterum, mancipio cōparari. Scio priscos scriptores matrimonium, *seruitutem* nominasse. Sed B. Hieronymo maritū non tantùm seruum appellasse sufficit, quin & malum adiunxit, quod probat ex eo quod Apostolus, *alligatum esse vxori dixit*, ac si maritus non sit ex ea classe seruorū qui frugi habebantur, sed è numero fugitiuorum qui vel literati, & frontibus inscripti, vel catenati, quique in splendorem redigerent cōpedes. Addo & illud, quid si post primas illas nuptias viri viduas ducant vxores, illos scire conuenit viduam nihil afferre irreposcibile, sed venire iam ab alio præfloratam, & ipsis ad quæ velint minimè docilem.

Statius præfat. 5. Syluar.
S. Hieron. lib. 1. in Iouin.
Apul. Apolog.

CAP. IX.

TAndem ad tertium illudque præstantissimum matrimonij bonum peruenimus, quod Sacramentum vocant. Sed quoniam Sacramenti vox ipsa ambigua existit, illud primum videndum est, Sacramentum hoc loco non esse accipiendum pro Sacramento legis nouæ. Plurimùm enim discriminis adsignatur inter vtrumque, sed nostro more, nostrisq; verbis res explicanda est. Sacramēta nouæ legis à Christo numero septenario instituta, sunt signa sensibilia; at sacramētum, seu bonum eiusmodi matrimonij,

Card. Arcel. c. 61.

eſt quiddã ſpiritale in mentibus contrahentium, nos iſtud vocabulo paulò rudiori, ſed tamen apto, indiſſolubilitatẽ vocamus. Deinde Sacramentum Matrimonij momentaneum, & vt loquuntur, cõſiſtit in fieri, indiſſolubilitas verò manet & citra vllum motum eſt. Tum Sacramentũ propriè dictum eſt diſpoſitio ad gratiam in dignè ſuſcipientibus. At ita non ſe habet indiſſolubilitas eiuſmodi. Itaque Sacramentum, vt eſt tertium matrimonij bonũ, nihil aliud eſt quàm perfectio intrinſeca matrimonij, quatenus eſt Sacramentum nouæ legis. Vnde verò vinculum hoc indiſſolubile ſeu indiſſolubilitas petenda ſit, ſi quis quærat non aliunde certè quàm ex myſterio ſeu ſacramento coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, quam ipſi cõiuges repręſentãt, nexu iſto indiſſolubili, ita vt matrimonium ſemel ritè & iuſtè initum, nulla omnino ratione diſſoluatur, quemadmodum inter Chriſtũ ſponſum & Eccleſiam ſponſam nullum planè diſſidium repudiumve, imo ne fribuſculum quidem pertimeſcẽdum ſit. In conſtitutionibus quę Apoſtolorum nomine circunferuntur, multiplex vnio & nexus inter coniuges ſtatuitur: Naturę, quia vnum corpus & vna caro ſint, conſpirationis ſiue conſenſus, vnionis ſeu corporum cõmixtionis, affectus coniugalis, vitæ vnitatis ſeu cohabitationis, indiuiduæ vitæ conſuetudinẽ ſeu ſocietatem dicimus, vnitatis moris, qua quantum fieri poteſt optimè congruentem & conuenientem viuẽdi rationem, ſupportantes inuicem, retineant. Ea res effecit vt omnes non modò Chriſtiani, ſed etiam Gentiles in matrimonio non tam profanum pactum, quàm dignitatem aliquam religionis ac venerationis plenam agnoſcerent. Sic enim Diocletianus & Maximianus Impp. de ipſo matrimonio loquuntur: *Religionem ſanctitatémque in connubiis copulandis volu-*

Conſtit. Apoſt. li. 7. c. 3.

Cod. Greg. 5. tit. de nupt.

mus ab vnoquoque seruari. Tum postquam affinitate & consanguinitate personas coniunctas nonnullas recensitas à nuptiis contrahendis remouerint, subiungunt hæc: *Nihil enim nisi sanctum & venerabile nostra iura custodiunt, & ita ad tantam magnitudinem Romana Maiestas cunctorum Numinum fauore peruenit, quoniam omnes suas leges religione sapienti pudorisq; obseruatione deuinxit.* Istud paulò antea indicarant, cùm iis verbis vtuntur: *Id enim pietati nostræ maximè placuit vt sanctè necessitudinum nomina obtineant apud affectus suos piam & religiosam cõsanguinitati debitam charitatem.* Hinc Tacitus propter adulterium *violatas religiones & Maiestatem* dixit. Nec aliud intelligendum videtur ipsa Modestini sentẽtia, qua vult *Matrimonium esse cõmunicationem Diuini & humani iuris.* Veteris Ecclesiæ Patres nonnullos audiamus. Tertullianus: *Vnde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, pater rato habet.* Cœlestis nimirum, quod hæc sequentia declarant: *Nam nec in terris filij sine consensu Patrum, ritè & iure nubent.* S. Ambrosius: *Coniugium velamine Sacerdotali & benedictione sanctificari oportet.* Alio loco: *Deum præsulem coniugij, custodem, & auctorem* vocat. Quis & quàm religiosus cultus in nuptiis adhibendus sit, docet S. Gregorius Nazianzenus, cuius pro nuptiis alicuius puellæ sibi notissimæ hæc vota exprimuntur: *Christus nuptiis intersit, porro vbi Christus est, modestia quoque est; atque aqua in vinum conuertatur, hoc est, cuncta in melius mutentur, sic nimirum, vt quæ misceri nefas est, inter se minimè misceantur, nec Episcopi cum Sannionibus copulentur, nec preces cum plausibus, nec psalmodiæ cum tibicinum cantibus.* Mitto quanti faciant Græci benedictionem, vt vocant nuptialem, de qua Leo Sapiens, & Balsamo. Ista quæ paulò

Tacitus Annal.

D.23.tit.2. l.1.

Tertull. 2. ad vxor.

S. Ambr. epist.70.

S. Gregor. Nazianz. epist.193.

Leo Nouell.74. Balsam. in Can. 99. Cõc. Trul.

ſuperius à ſanctiſſimo Epiſcopo recenſentur, firmant veterum ſententiam, non videri nuptias ritè celebratas niſi publicus apparatus & cœtus adhibitus fuiſſet. Vnde apud Quintilianum: *Aſpice illam Virginem quam Pater tradidit euntem die celebri, comitante populo.* Sic apud Calpurnium: *Non probari matrimonium niſi faces accenſæ, & feſcennina decantata fuerint.* Græci ita ſentiunt, dum dicunt, matrimonium eſſe coniunctionem maris & fœminæ, & omnis vitæ conſortium, Diuini & humani iuris communicationem, ſiue per benedictionem, ſiue per coronationem, ſiue per inſtrumentum contrahatur. Quæ autem præter hoſce modos facta ſunt, pro non contractis habentur. Paulò poſt: *Nemo ſecretò coronetur, ſed pluribus præſentibus.* Quorſum igitur clancularię nuptiæ? Nunc vinculum hoc matrimonij, nulla penitus ratione, ſi ritè contractum fuerit, coniugium, diſſoluendum excutiamus. Apud Quintilianum non ineptè dixit Iuuenis ille, *Matrimonium tum perpetuum eſſe, ſi mutua voluntate iungatur.* Addit enim: *Quæratur mihi vxor ſocia thori, vitæ conſors, in omne ſeculum mihi eligenda.* Hæc eſt quæ à noſtris indiuidua vitæ conſuetudo nominatur. Quod verò ad eam ſoluendam, ſiue ad dirimendum contractum matrimonium à Theologis & Iuriſconſultis diſſeritur, illud planè prætermitto, cùm vnicuique obuium ſit. Nec de diuortij cauſis, quas veteres, ſeu ex morum, ſeu ex criminum culpa repetebant, hoc loco quidquam dicendum eſt, niſi quod ſi Conſtantini Magni lex, & altera Theodoſij & Valentiniani, quam deſcripſit Iuſtinianus, de repudio vxori à marito dando, & viciſſim noſtris temporibus in vſu eſſet, innumeras propemodum viduas necnon & cœlibes viros (ſic enim & viri quibus vxores ademptæ, vocantur apud veteres) cerneremus.

Quintil. decl. 306. *Calpurn. declam. 44* *Iur. Græc. Rom. l. 8.* *Quintil. decl. 376.* *Cod. Theo. l. 3. tit. 16. l. 1.* *Cod. 5. tit. 17. l. 8.* *Cod. Theo. l. 3. tit. 16. l. 2.* *Innon. Cõt. 9. art. 3.*

mus. Constantinus ille Magnus, vult in repudio mittendo à fœmina, viro suo, hæc sola crimina inquiri, *si homicidam, vel medicamentarium* (id est, veneficum) *vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probauerit*. In masculis etiam, si repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conueniet, *si mœcham, vel medicamentariam* (id est, veneficam) *vel conciliatricem* (id est, lænam) repudiare voluerit. De iis verò agendum est, quæ ementita viduitate, nouos sibi maritos quærunt, adeò vel maximè priorum nuptiarum illas tædeat, vel procacitate stupri, aut potius adulterij, aliquem sibi conciliauerint. Sunt autem eiusmodi quę aliquantum diuturnam maritorum absentiam se ferre non posse testantur. At de mora & absentia eiusmodi non benè leges Ecclesiasticæ cum Ciuilibus conueniunt. Cõstantinus Magnus quadriennij absentiam constituit. Iustinianus aliquando quinquennium. Veruntamen idem longè aliter postea censuit: *De ijs*, inquit, *qui in expeditionibus sunt, & in militijs sunt constituti, iubemus quantoscunque annos in expeditione manserint, sustinere eorum vxores, licet nec literas, nec responsum aliquid à suis maritis susceperint*. Itaque vxoribus huiusmodi præcipit Imperator, *vt adeant Chartularios numerorum, & cohortium, vel adeò Tribunos ipsos, qui Sacris Euangeliis propositis, sub gestis monumentorum deponant, si pro veritate vir mortuus est: quod si ita res se habeat, etiam post hoc iubemus*, inquit, *manere eam per vnius anni spatium, quo decurso tunc ei liceat legitimas contrahere nuptias.* Extat in eam rem Capitulum Concilij Gallicani, apud Vermerias. Interim quis iste locus sit, ex Aimonio docet vir reconditiore doctrina & acerrimo iudicio clarissimus Sirmondus, & Palatium Regium ad Isaram fluuium situm esse prodit, quod nunc apud nos Verberia nuncupatur. De posteriori

Cod. Theodor. l. 3. tit. 16.

L. 7. Cod. de repud. Nouell. 22. c. 7.

Nouell. 117

hac designatione est quod dubitem, nam ait eruditissimus Sirmondus non ita procul Compendio Verberiam sitam esse. Certum est Compendium Isara fluuio allui, & Vermerias ad Isaram fluuium positas, Verberia verò octo milliaribus à Compendio recto itinere distat, ac proinde ab Isara fluuio. Vt-vt sit, caput huius Concilij ita conceptum est: *Si quis, necessitate ineuitabili cogente, in alium ducatum seu prouinciam fugerit, & eius vxor, cùm valet & potest, amore parentum & rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore quandiu vir eius, quem secuta non fuit, viuit, semper innupta permaneat.* Male vxor ista, quæ nosse debuit mulierem coniugio copulatam, *dici consortium rerum secundarum aduersarumque mariti*, vt loquitur Tacitus. Ita Vlpianus: *Quid tam humanum est, quàm vt fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse?* Non aliter sanctissimus Leo primus, Pontifex Romanus, rogatus à Niceta Aquileiensi Episcopo, quid de mulieribus, quæ viris propriis bellica clade & hostilitatis incursu in captiuitatem abductis, alios sibi matrimonio iunxerant maritos, sentiret: Respondit, *Inculpabile iudicandum, quod necessitas (captiuitatis) intulit, & restituendum quod fides poscit.* Redeant ergo, inquit, *in suum statum voluntaria reintegratione coniugia, neque vllo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit.* Quod si aliquæ
„ mulieres in posteriorum virorum amore sunt captæ, vt
„ malint his cohærere quàm in legitimum redire consor-
„ tium, meritò sunt notandæ, ita vt etiam Ecclesiastica
„ communione priuentur. De vxoribus illis restituendis
„ suis prioribus maritis, postliminio reuersis, sententiam firmat ratione à simili ducta: *Multa quæ ad eos qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire potue-*

Burcha: d. l. 9. c. 54.

Tacit lib. 3

D. l. 24. tit. 3. l. 22.

S. Leo ep 77.

runt, & tamen plenum iustitiæ est vt iisdem reuersis propria reformentur. Quod si in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus ritè seruatur, quanto magis in coniugiorum reintegratione faciendum est, vt quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur. Pergamus tandem, & illam indiuiduam vitæ consuetudinem absoluamus, quæ licet *conuictum & indiuiduum vsum*, vt loquitur Tertullianus, denotet, & de qua Lactantius iis verbis: *Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, nisi habitauerint semper vnà? nisi deuota mens, & seruata inuicem fides indiuiduam fecerit charitatem?* Lactant. 3. cap. 21. Attamen nobis Christianis indiuidua illa vitæ consuetudo præsertim ac præcipuè perpetuam & indissolubilem, quęque diuidi nequeat; (vnde Horatius *irruptam* dixit) copulá denotat, quæ in personis legitimè contrahentibus quantumvis quoad thorum aliquando soluatur, nunquam tamen quoad vinculum dirimi potest. Hic est firmissimus amoris coniugalis nexus, hæc arctissima mutuæ amicitiæ copula, quam nullæ res aduersæ adeò conuellere potuerunt, quin ad vltimam rerum humanarum metam, optimi quique coniuges illam ipsam produxerunt, & communi vtriusquè sepulchro posteris testatam esse voluerunt. Tobias filium ita monuit: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.* Tobiæ 4. S. Augustinus de S. Monica matre sua illud refert: *Gaudebam & gratias agebam tibi, Deus meus, recolens quod noueram quanta cura semper æstuasset mater, de sepulchro quod sibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri sui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, vt est animus humanus minus capax Diuinorum, adiungi ad illam fœlicitatem, & commemo-* S. August. Confess. 9. cap. 11.

rari ab hominibus, concessum sibi esse post transmarinam peregrinationem, vt coniuncta terra, amborum corporum terra tegeretur. Burchardus Vormatiensis Episcopus ex S. Hieronymo ista refert: *Quos coniunxit vnum coniugium, coniungat vnum sepulchrum, quia vna caro est, & quod Deus coniunxit, homo non separet.* Item ex B. Augustino: *Vnaquæq; mulier sequatur virum suum, siue in vita, siue in morte. Ita in primo connubio coniuncti, quia vna & eadem caro est, in vno sepulchro sepeliantur.* Aptissimè apud scriptorem antiquum: *Sanè ibi idem & maximus & honestissimus amor aliquanto præstat morte* (necnon sepulchro) *iungi, quàm vita distrahi.*


Burchard. l. 3. c. 161. 162.

Ibid.

Fœliciter ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimoniis.
Suprema citius soluet amor die.

Et Romæ apud S. Petrum, longè aptius, pudicissima & sui viri superstitis amantissima coniux, sic loquitur:

Ne qua manus bustum violet, nisi forte iugalis
Hæc iterum cupiat iungere membra suis,
Vt thalami tumuliq; comes nec morte reuellat,
Et socios vitæ nectat vterque cinis.



VARRO, SIVE DE MULTIPLICI SCRIPTORUM GENERE.

CAPUT PRIMUM.

INGENIORUM *bonitas à Cœlo & solo. Ingenium viti persimile culturam desiderat. Europæorum & Asiaticorum collata ingenia. Atticum ingenium.*

CAP. II.

Ingeniorum cultura. Pater optimus liberorum magister: formido ad discendum nocet plurimum. Qui discipuli ad bonas artes capessendas parum idonei, nec una ratione.

CAP. III.

Cui usui comparata eruditio. Finis triplex Lactantio. A litteris & scriptione immortalitas.

CAP. IV.

Lectio, Iudicium, otium ad scribendum necessaria. Bibliothecæ parandæ studium cujusmodi: Iudicium in scribendo quo pacto adhibendum. Obscuritas vitanda. Festinatio non laudatur. Scribendi materia dissimilis parem stylum desiderat. Otium captandum.

CAP. V.

Ingenij sterilitas, eius causæ multiplices. Cur eruditi nonnulli aliquid litteris mandare recusent. Otij torpor homini erudito vi-

tandus. Aduersus eos qui discendi cupidos scriptis suis nescio qua peruicacia fraudant. Seculi infœlicitas, quo nullus laborum fructus, à scribendo plures deterret.

CAP. VI.

Primum genus scriptorum eorum qui res antea à nemine pertractatas in lucem primi proferunt. Non omnia patefacta, multa superesse indaganda. Ad historiam verè scribendam iter lubricum.

CAP. VII.

Secundum genus Scriptorum, eorum qui rem iam tractatam attingunt, sed dissimili & stylo, & methodo. Imitatio non omnis laudanda.

CAP. VIII.

Tertium genus, Plagiariorum. Tribus modis aliena sumuntur. Gentilium præstantissimi quique Philosophi quantum è libris Sacris Hebræorum profecerint. Ægyptij Prophetæ, id est, Sacerdotes. Mosis Pentateuchus ante Alexandri M. tempora in linguam Græcam conuersus. Euripides Aristophani Plagiarius. Prouerbium, Phœnicum sermones, quid significet, excusatio veterum, qui ex antiquioribus aliqua, vel non pauca mutuati sunt. Veri Plagiarij qui, iique duplicis generis. Aliena opera, nobiliorum auctorum inscriptione, prænotata.

CAP. IX.

Quartum genus scriptorum, eorum qui ex vna in aliam linguam auctorem aliquem interpretentur. Quid in illis versionibus præstandum.

CAP. X.

Quintum genus scriptorum, qui aut Commentarijs, aut Scholijs auctorem aliquem illustrare contendunt.

CAP. XI.

Scriptorum imperitorum scribendi pruritus. Præcoces In-

geniorum fructus. Non quam-cito & ad molem, sed aptè & conuenienter scribendum.

CAP. XII.

De lectoribus & iudicio librorum editorum. Nemo sui operis Iudex legitimus. Vulgi Iudicium repudiandum; periti harum rerum, de quibus ferendum Iudicium, probi Iudices. Aduersus reprehensores malignos.

CAP. XIII.

Qualis censura de nostris scriptis ferenda, aut quæ ad materiam quæ tractetur, aut ad dispositionem, aut ad stylum refertur. Scriptores styli Asiani, vel styli Attici. Vulgo magna pro bonis. Theologica scriptio.



VARRO, SIVE, DE MVTIPLICI SCRIPTORVM GENERE.

PRÆFATIO.



SI quis fortè miretur plus esse librorum hoc tempore qui in lucem aspectumque hominum veniant, quàm olim muscarum est cum caletur maximè, is nostri seculi ingeniorum fertilitatem reprehendat necessum est. ¿Vitis fœcundissimæ vberem prouentum quis damnet? nisi vt in plerisque vitibus, fron-

dium, foliorum, pampinorum, plus ſatis, vuarum parum; ita ingeniorum fœtus quamplurimi exangues, expallidi, ipſa macritudine deformes, & nonnunquam abortiui, pauci vero ſucci, ſanguinis, roboriſque pleniſſimi appareant. Horum omnium diſcrimen quale ſit, diſquirere operæpretium videtur, vt tandem verum ac legitimum ſcribendi genium deprehendamus.

Scriptorum quinque genera, ni fallor, ſtatuenda ſunt, Primum eorum qui circa rem antea vel ignotam, vel à nemine hactenus pertractatam verſantur. Secundum eorum quibus idem propoſitum genus ſubiectum in quo aliena laborauit induſtria, ſed alia methodo, aliiſque & planè diuerſis rationibus adhibitis, ipſiſque adiungo illos, quibus placet quidem iam excuſſa materia, attamen communes, ſeu doctorum, ſeu vulgi de ea ſententias planè reſpuunt. Tertium eſt plagiariorum. Quartum interpretum qui auctores alterius linguæ in ſuam vel aliam conuertunt. Quintum eorum qui auctores ſeu veteres, ſeu alicuius nominis, vel libro commentario, vel notis illuſtrare voluerunt. Iis examen eorum qui aliena ſcripta legunt ſubiungemus, ac qui legitimi noſtrorum ſcriptorum iudices habendi ſint anquiremus, denique reprehenſorum nationem excutiemus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Ingeniorum bonitas à Cœlo & solo.

SED antequam singula persequamur, ingeniorum vim naturamque prius explicare par est. *Est enim mortalium dux & imperator animus,* aiebat Sallustius. Ingenium hominis vitiper simile esse arbitror: Vitem ex Cœlo soloque ac denique cultu, æstimandam esse veteres tradidêre. *Vitem,* inquit Columella, *cæteris stirpibus iure preponimus, non tantum fructus dulcedine, sed etiam facilitate, per quam omni pene regione & omni declinatione mundi, nisi tamen glaciali vel preferuida, curæ mortalium respondet.* Sic sunt hominum ingenia, quæ quanquam in vniuersi orbis regionibus singulis deprehendantur, suamque habeant à Cœlo & solo propensionem, maximum nihilominus à cultura adiumentum consequantur. Nec enim, meo iudicio Curtius audiendus est, à quo ista sunt: *Ingenia hominum vbique locorum situs format;* Magistro enim qui excolat præterea opus est: Quanquam quid Cœli solique situs efficiat primùm videamus.

Sallust. Iugurth.

Columella præfat. op.

Curt. l. 8.

Medicorum princeps Hippocrates, Asiaticos cum Europœis ita componit, vt in Asia multo pulchriora & maiora omnia nasci testetur quàm in Europa, & τὰ ἔθνα τῶν ἀνθρώπων ἠπιώτερα ἐνεργότερα. Ac gentes illas moribus benigniores, mitiores, cultiores, elegantiores; verum, vt paulò post indicat, virili animo minimè præditas, nec laborum, ærumnarum rerumque difficilium patientes. Illud autem à Cæli solique temperamento, huiusque proinde bonitate contingere, vt à voluptate vincan-

Hippocr. lib. de aër. ag.

tur, postea docet, eamque ob rem Asiaticos timidiores, imbecilliores, effæminatiores Europæis affirmat, propter æqualitatem tempestatum, anni & Cæli clementiam. Aristotelis ea sententia est, cum gentes Europæas, quæ frigida loca incolant, animosas quidem esse, ingenio vero & arte minus instructas: Asiaticos vero homines, ingeniosos & industrios, sed parum animosos, Græcos vero & animosos & ingeniosos. Vnde vero Asiaticos imbelles suspicari liceat, non aliter explicat, quàm quod ex vsu & consuetudine Regibus parendi, hunc mollitiei habitum contraxerunt; quandoquidem non sui planè iuris, sed ad alterius arbitrium viuant, ac si ad seruitutem nati viderentur. Hippocrati non aliter visum, & vtrumque sic expressit Seneca, *Ferè itaque Imperia penes eos fuere populos qui mitiore Cœlo vtuntur; in frigora Septentrionemque vergentibus immansueta ingenia sunt, vt ait Poëta,*

Suóque simillima Cœlo.

„ Ita Vitruuius lib. 6. c. 1. Propter tenuitatem Cæli meridia-
„ næ nationes ex acuto feruore mente expeditius celeriusq;
„ mouentur, ad consiliorum cogitationes. Septentriona-
„ les autem gentes infusæ crassitudine Cœli propter obstan-
„ tiam aëris humore refrigeratæ, stupentes habent mentes.

Tertullianus etiam adstipulatur lib. de anima. Populi fre-
„ quentiores apud Orientalem & Meridionalem tempera-
„ turam, & ingenia expeditiora. Videndi Eusebius præparat. Euang. lib. 7. c. 9. & Theodoretus lib. 1. & 5. Græc. affect. Vniuersim à Vegetio istud rectissimè pronuntiatum videtur, *Plaga Cœli ad robur non tantum corporum, sed etiam animorum plurimùm valet.* Platonem imitatus est, cuius illa sunt, κατὰ τῦ οὐρανοῦ τόπους κρασιν ἡσσόνων γίνεσθαι. Polybius non aliunde hausit ista, ᾧ συνεξομοιοῦσθαι πεφύκαμεν πάν-

Arist. lib. 7. Polit. c. 7.

Senec. lib. 2. de Ira, c. 16.

Veget. lib. 1. c. 2.

Plat. Timaeo.

πες οἱ ἄνθρωποι κατὰ δίαιταν, Cœlo habitationis consimiles necessariò omnes euadimus. Hinc illud apud veteres peruulgatum quod princeps Orator ita extulit: *Athenis tenue Cœlum ex quo etiam acutiores putantur Attici; crassum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes.* Chalcidius eleganter istud explicat sua paraphrasi Platonica in Timæum, *Hac quippe*, inquit, *exornatione priorem vrbem vestram (Athenas) sepsit honestauitque Numen illud quod condidit, electo, salubri, subtiliumque ingeniorum & prudentię feraci loco.* Cui aptari possit vel maximè istud Statij, *Cic. lib. de Fat.* *Chalcid. in Tim.* *Stat. lib. 1. syluar.*

Ingenium quàm mite solo?

Quanquam Cœlo solique malignitate repugnante, si modò & diligens & studiosa animis ad omnem honestatem & doctrinam efformandis cultura adhibeatur, ipsi maxima cum laude sese attollere valeant, siquidem auctore Iuuenale.

Prudentia monstrat
Summos posse viros & magna exempla daturos, *Iuuenal. Satyr. 10.*
Veruecum in patria, crassoque sub aëre nasci.

CAP. II.

Ingeniorum cultura.

PRiorem illam ingeniorum à Cœlo & solo formationem excussimus, cultura illorum nunc explicanda est, & quanquam *Ingenium surgat ab infantia*, vt ait Arellius Fuscus apud Senecam Patrem; nihilominus cui vnusquisque nostrûm in disciplinam se tradat in primis ac potissimum videndum est. Plinio iuniori, *Olim suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus* *Senec. Suas. 2.* *Plin. lib. 8. epist. 14.*

Caßiod. lib. 3. ep. 6. Symmac. lib. 4. ep. 20. Auson. Protrep. ad Nepot.

quisque & vetustißimus pro parente, nec immeritò Cassiodorus, *Felicißimus*, inquit, *studiorum labor cui priscorum carmen contigit discere per parentes*. Quàm blandè istud Symmachus pronuntiauit, *Repuerascere nos pietas iubet, vt literarum dulcedinem liberis nostris labor participatus insinuet*. Ausonius affectu coniunctissimus Symmacho, eo allusit, cùm culpam deprecetur, ob versus in gratiam nepotis editos, venustulos magis quàm forticulos, quandoquidem hoc annis illius, magis quàm suis, scripsisset, & fortasse suis, quia, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Beatos illos equidem prędicamus, quos parentes ipsi erudierint, non extranei. Quis enim aut melius, aut certius, liberorum indolem recognoscat, quàm ipsi parentes, qui liberos suos ab incunabulis, atque adeò ab ipso ortu diligentissimè obseruarunt? Paterna vox humanitatis plenissima liberorum animis non nisi efficacissimè se se insinuat, eorumque memoriæ multò tenacius inhæret; extranei non ita facilè, præsertim si quis in Orbilium inciderit plagosum, ita enim rem se habere scribit Ausonius, his ad nepotem, quem iam grandæuus senex erudiendum susceperat, versibus.

Nec te clamor plagæque sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quod sceptrum vibrat ferulæ: quod multa supellex
Virgea; quod fallax scuticam prætexit aluta;
Quod feruent trepido subsellia vestra tumultu,
Pompa loci, & vani fugiatur scena timoris.

Varro Caton.

Varronis ea sententia est, *Remotissimum ad discendum formido & nimius timor, & omnis perturbatio animi: contrà, delectatio protelo* (i. adiumento est) *ad discendum*. Eleganter ducta similitudine à brutis animantibus, quæ in vsum hominum cicurantur, dixit Seneca, *Quicquid sit*

Senec. l. 1. de Clemẽt. c. 16.

probæ indolis comminui trepidatione degeneri. Plinij secundi elegans de ea re carmen:

Sic hominum ingenium flecti ducique per artes Epigram. lib.
Non rigidas docta mobilitate decet.

Sed nonnullorum ea est sinisteritas, vt quanquam magistrum nanciscantur qui pudore magis& liberalitate, quam metu & terrore illos bonis artibus imbuendos curet, attamen Musas ipsas à limine salutasse sibi satis esse ducunt, in eorum adyta penetrare dedignantur. Hinc illud Petronij Arbitri nimisquam verum est: *Pueri in scholis ludunt, iuuenes ridentur in foro, & quod vtroque turpius est, quod quisquis perperam discit, in senectute confiteri non vult.* Non absimili ratione Cassiodorus, *Pueri liberalium scholarum conuentum quærunt, proficiunt vt dediscant, erudiuntur vt negligant.* Huiusce rei testem vnicum eumque locupletissimum proferam B. Augustinum, is enim saxum istud satis diu voluit sudans nitendo; *Laborant*, inquit, *homines in discendo, & breuia non valent intelligere, prolixa non amant legere; laborant itidem in docendo* (Magistri) *qui & pauca tardis, & multa frigidis, frustrà ingerunt.* Lepida illa est Tauri Philosophi apud Agellium de sui seculi discipulis narratio: *Alius præceptori ait: hoc me primum doce; item alius, hoc volo inquit discere, istud nolo, hic à Symposio Platonis incipere gestit, propter Alcibiadis comessationem, ille à Phoëdro, propter Lysiæ orationem.* Etiam seculi sui ignauiam socordiámque in solida eruditione paranda meritò perstringere videtur Seneca, iis verbis, *Nemo nostrum in altum descendit, summa tantum decerpsimus, & exiguum temporis impendisse philosophiæ satis abundéque occupatis fuit.* Neque verò liberos tantum huic culpæ obnoxios esse dixerim, cuius sæpiusculè partem multò maiorem ad parentes ipsos pertinere credendum est. Pe-

Petron. Satyr.

Cassiod. l. 8. ep. 31.

S. Aug. ep. 101.

Agell. l. 1. c. 9.

Senec. epi. 59.

Petron. Satyr. tronij verissima vox illa est: *Parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos seuera lege proficere;* Atque hinc *Calpurniani discipuli* iure nuncupandi sunt, vt cum Sallustio loquar. Sallust. fragm. Tacitus, seu quisquis auctor dialogi de causis corruptæ eloquentiæ vniuersim sic ista omnia complectitur: *Quis ignorat & eloquentiam, & cæteras artes desciuisse ab ista veteri gloria, non inopiâ hominum, sed desidiâ iuuentutis, & negligentiâ parentum, & insicientiâ præcipientium, & obliuione moris antiqui.*

CAP. III.

Cui vsui.

CVi nunc vsui bonarum artium cognitione exculta ingenia esse possint, explicandum est. Lactantio: Lactant. l.3.c.8. *Artes ideo discuntur vt exerceantur, vel ad subsidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam.* Ab Archita Tarentino Pythagoræo istud desumptum videtur, cùm diceret lectiones & meditationes propter aliud expeti. Ad scriptionem hæc Lactantij si referantur, eos, qui animum ad scribendum appellunt, aut vt inde victitent, aut ex eo sibi oblectationem, vel denique laudem quærant, non alia fine, operi se accingere, dicemus. Primi istius generis hominum grauem & molestam conditionem arbitror; ecquid enim quod sit excultum ingenio, & elaboratum industria ab iis proficisci possit, quorum præcipua cogitatio in parandis vitæ necessariis posita sit? quod ab ipsis exasciatum opus expectes, quibus vitæ præsidia defuerint?

—— Neque enim cantare sub antro
Iuuen. Satyr. 7. *Pierio, thyrsumve potest contingere sana*
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque

Corpus eget. vt cecinit Iuuenalis. At verò secundi generis, qui sibi vni facere satis, sibi duntaxat plaudere, solos sese oblectare cupiunt, ita vicissim sibi vni notos esse existimare debent, quod quàm alienum sit à ratione, nemo sanæ mentis est qui non aduertat. Tertij autem generis qui vnius gloriolæ cupiditate ducantur, rei leuissimæ operam se dare fateantur necessum est:

Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis, & Sarrano tenuique Saleio,
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?

Verissimè id quidem Iuuenalis. Quanquam scriptorum nullus sit qui non de sui ingenij monumentis in hominum memoria æternùm victuris cogitet. Plinij Iunioris sententia in omnium, ni fallor, qui eruditionis aliquantum sibi compararint animis, altius paulò insedisse videtur: *Quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.* A litteris enim immortalitas apud mortales speranda est. Ita Pedo Albinouanus: *Ibid.* *Plin. l. 3. ep. 7.*

Viuitur ingenio, cætera mortis erunt. *Ped. Albi. in obit. Mæcen.*

Et Poëta ob carmen malè mulctatus:

—— Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingenijque bonis. *Ouid. l. 3. Trist. Eleg. 7.*

Sic lyræ Latinæ Princeps:

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. *Horat. l. 3. Ode vlt.*

Festus Auienus:

—— Musis intermina vita
Permanet, & memori laus semper pullulat æuo. *Fest. Auie. descri. orb.*

Focas Grammaticus, in Virgilij vita, sic Musam alloquitur: *Foc. Gram. vita Virg.*

Tu nihil magnum sinis interire,

Nil mori clarum pateris, reseruas
Posteris, prisci monimenta sæcli
Condita libris.

Plin. l. 5. ep. 8. Hinc iure optimo istud à Plinio Iuniore dictum apparet: *Mihi pulchrum imprimis videtur non pati occidere quibus ęternitas debeatur.* Neque verò quisquam sibi de immortalitate blandiatur, qui, seu ob voluptatem, seu ob gloriam, aliquid publici iuris fecerit: at qui totos se ad aliorum vtilitatem componunt, nec quidquam in vulgus edunt, nisi cuius fructum non minimum ad lectores peruenturum existimant, rectum iter ad æternitatem pergere mihi videntur. Quod equidem ipsi vix aut saltem non satis fœliciter præstare poterint, nisi maximis instructi præsidiis, vt pote lectione, iudicio, otio, de quibus nunc differendum est.

CAP. IV.

Lectio, iudicium, otium.

Plin. l. 7. ep. 9. PLinio Iuniori quid in mentem venerit, cùm scriberet, *Multum esse legendum, non multa*, penitus ignoro, nisi quis sui seculi rationem habuisse dicat: nam hoc ipso quo nati sumus, non multa legisse ei qui ingenij sui fœturam publicare voluerit, perinde est, ac si propter orbem vniuersum in tabella descriptum apud se omnium gentium populorumque ortus, progressus, casusque varios, aliquis se comprehendere existimet. Si quis enim nostri æui solertiam subtilitatemque nihil aut parum ab illius prisci seculi simplicitate discrepare censeat,

Idem inficeto inficetior est rure.

Nolim Senecam obtorto collo in hanc quiſquam pertrahat ſententiam. *Quo mihi*, inquit, *innumerabiles libros & bibliothecas, quarum Dominus vix tota vita ſua indices perlegit? onerat diſcentem turba, non inſtruit, multóque ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos.* Permultùm certè intereſt qua fine aliquis ingentem librorum copiam comparet: ſunt qui elegantiâ vel curâ, ſunt qui ſtudioſâ luxuriâ id faciant, poſteriores iſtos quis non damnet? hos meritò Iſidorus Peluſiota Βιβλιοφόρους, βιβλιοτάφους, σητοτρόφους, librorum corruptores, ſepulchra, tinearum altores appellauit. Rectè id quidem, nam homines id genus tantam librorum molem congerunt, non in ſtadium ſed in ſpectaculum;&quod longe inſulſius eſt, librorum non modò illuſtrium & notiorum verum etiam ignotorum & improbatorum auctorum, tecto tenus extructa apud ipſos loculamenta cernere eſt. Quin illud multò magis dolendum, iſta fieri nonnunquam ab ignaris ſeruilium literarum, earum quibus ſeruorum frontes inſcriptæ conſpiciebantur, & iis certè tot libi *non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt*, vt feſtiuè diſſerit Seneca. At in iſta præſenti literarum luce, quis iure damnet eum qui in eam curam cogitationemque incumbat, vt ſuarum vigiliarum laborumque fœtus palam edat? ſed eâ adhibitâ ſollicitudine vt vulgaria quæque & protrita prætermittat, recondita quæque & paucis cognita tantummodo perſequatur, an paucorum ſeu librorum, ſeu auctorum lectione adpræſtabit? Nequaquam. Philologiæ, vt cæteras omittam diſciplinas, nemo partes ſtrenuè & gnauiter tueri poteſt, abſque varia & multiplici quamplurimorum ſcriptorum obſeruatione. Sed nos de ijs poſtea accuratius videbimus. De iudicio in ſcriptis adhibendo nunc agen-

Senec. l. de tranquill. c.9.

Iſid. Peluſ. li.1.ep.27.

Senec. de tranquill. animæ, c.9.

Fulgent. Fab. Tiref. dum eſt. Lepidè Fulgentius Epiſcopus ſanctiſſimus : *Aër*, inquit, *maritat in glebis, & producit in folijs, & grauidat in folliculis, ſol autem maturare nouit in granis.* Sic ſe res habet in homine, cuius ingenium multa molitur meditaturque, quæ iudicium mentiſque ſagacitas concoquat, *Maxim. Tyr. diſſer. 34.* ſuiſque conuenientiſſimè aptet locis. Maximo Tyrio Platonico magni nominis placuit, vt qui ſit fœcundiore ingenio, minus valeat iudicio, δι' εὐπορίαν τοῦ φράζειν τοῦ κρίνειν ἀπορεῖν. Iudicij in ſcribendo certiſſimam notam eſſe arbitror, tum orationis perſpicuitatem, cum rerum tractandarum aptiſſimam, maximéque congruentem collocationem atque connexionem. Scitum illud eſt Socratis, *Suid. voce Δηλίου.* cùm Euripides illi Heracliti Philoſophi, cognomento tenebricoſi, librum, cuius inſcriptio erat, Muſæ, ſeu de natura, aut quiduis aliud tradidiſſet, rogaſſetque, quid ipſi de eo videretur, reſpondiſſe, præclara videri quæ intellexiſſet, exiſtimare etiam ea quæ non intellexiſſet, aliis non eſſe diſſimilia, verùm Delio natatore opus eſſe, ne quis in hoc libro tantam obſcuritatis profunditatem habente ſubmergeretur, eiuſcemodi operi non abſimiles *Catacriani libri*, ab Adriano Imperatore ſcripti, vt auctor eſt *Spartian. in Adria.* Spartianus: Digni Sphynges eiuſmodi qui dum Græcos Poëtas nonnullos, Phrynim imitantes, hoc eſt, variis & implicatis verborum ambagibus vtentes, æmulantur, ſeuerè vapulent, vt qui Muſas aboleant, quemadmodum ex *Suidas.* Ariſtophane prodit Suidas. Nec propterea Mœcenas ille, Auguſto chariſsimus, minus peccaſſe dicendus eſt, quod quanquam voluptatis gratia verſus conderet, attamen ſtylo adeò obſcuro, vt pauci quid ſibi vellet aſſequerentur. Grauiter Seneca de illo ſic pronuntiauit: *Magni inge-* *Senec. ep. 14.* *nij vir fuerat Mœcenas, ſi illud egiſſet via rectiore, ſi non vi-*

tasset intelligi, si non etiam in oratione diffueret. Extant versus ipsius, in quibus explanandis mirum quantum sese torserint quamplures doctissimi viri nostri æui, vno verbo: *Ille discinctus erat, cuius versus propterea non nisi discincti, vt dissoluta oratio*, inquit Seneca; quantumvis ipsum excuset Pedo Albinouanus in eius obitum: *Senec. suprà.*

Quod discinctus eras, animo quoque carpitur vnum,
Diluitur nimia simplicitate tua.

Interim verò vnius generis non sunt qui styli obscuritate delectentur, nonnulli siquidem humile plebeïumque dicendi genus existimant, quod apertis & vulgaribus verbis constet, idcirco turgidas & reconditas voces studiosè, nimium & anxiè aucupantur, Mœcenati non absimiles: nec desunt quorum inscitiæ istud tribuendum est. Alij eò ingenio nati sunt, vt assidui eodem opere eandem incudem noctem diemque tundant, & dum tandiu opus istud tractant & retractant, exemplo Tiberij Imperatoris, apud Suetonium, affectatione & morositate nimia obscurant stylum. Forsan istiusmodi scriptores in sui defensionem illud Heracliti vsurpabunt: *Etiam hîc sunt Dij.* Neque propterea illos probauerim, qui ingenio præuolare dicuntur, quod de B. Hieronymo scripsit B. Augustinus, B. Ambrosius de seipso istud prodidit: *Ipsi nobis conscij sine vllo arbitro non solùm auribus, sed etiam oculis ea ponderemus quæ scribimus.* Ac multò diligentius magisque sedulò istud curandum est, si rei tractandæ dignitas & grauitas ita postulet, Lucilij præceptum est: *Suet. Tib. c. 70.* *S. Aug. ep. 10. S. Ambr. ep. 45.*

—— Labora
Discere, ne te res ipsa ac ratio ipsa refellat. *Lucil. li. 9. Satyr.*

Discere vocat, interprete Nonio, rem ignotam meditando assequi. In aliquo huius generis opere, *Compositius cun-*

cta quàm festinantius agere præstat, vt cum Tacito loquar.
Veruntamen vt dicendi ita scribendi parem rationem esse non dixerim. Seneca Pater de Caſsio ſui temporis oratore nobiliſsimo iſtud ſcripſit: *Nunquam non vtilius erat illi deprehendi, quàm præparari.* Itidem Tiberius, Suetonio teſte, aliquanto extempore quàm à cura præſtantior habebatur, quemadmodum Caſsius ille, qui vir præſentis animi, & maioris ingenij quàm ſtudij fuit, cuius in dicendo fœlicitatem quis vnquam in ſcribendo aſſequutus eſt? Nemo minus paſſus eſt aliquid in actione ſua otioſi eſſe, nulla pars erat quæ non ſua virtute ſtaret, nil in quo auditor ſine damno aliud ageret, omnia intenta aliquo, petentia, nemo magis in ſua poteſtate habuit audientium affectus, nemo non illo dicente timebat ne deſineret. Quis de vllo ſcriptore noſtri æui idem meritò & verè pronuntiare poſsit? Iudicet Criticorum Senatus. Ad iudicij normam tandem redeamus. Variam & multiplicem ſcribendi materiam, diſsimilem ſtylum poſtulare non negauerim. *Ingeniorum varietas*, aiebat Symmachus, *in familiaribus ſcriptis negligentiam imitatur, in forenſibus acuere arma facundiæ debet.* Addo nunc ſeria, modò ludicra & iocoſa, quin grauia vel leuia tractanda ſunt; quidni animum noſtrum ſibi conſtantem æquabilemque adijciam, aut nonnunquam neſcio quo mœrore & cura debilitatum; Cœli temporiſq; ſtatum ad ingenij humani partum aliquem, non parum cōducere dictitant. Symmachus mihi auctor: *Non fruſtrà prædicant*, inquit, *mentes hominum nitere liquido die, coacta nube flacceſſere.* Sed ſi Plinius Iunior audiendus eſt dum hęc ſcribit, *vt terrę variis mutatiſq; ſeminibus, ita ingenia noſtra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur*, quidni &ſcriptioni par ius paremq; facultatem attribuendam eſſe.

Senec. præfat. li. Controu.

Symmac. lib. 7. ep. 9.

Symmac. lib. 1. ep. 31.

Plin. lib. 7. ep. 9.

dicemus. Sincerum accuratumque iudicium plurima efficiunt, quorum nonnulla obiter attigimus, iis otium & feriatam quietem, vt loquitur B. Cyprianus, adtexandam arbitror, si enim Iuuenalis istud verum sit,

Pectora nostra duas non admittentia curas. *Iuuenal. Satyr. 7.*

Proculdubio animus scriptoris in varias & dissimiles diductus distractúsque cogitationes, de re proposita conuenienter & congruè pertractanda non rectè diiudicare poterit. Senecæ ita visum, dum ait, *Nullam rem benè exerceri posse ab homine occupato.* Phædri votum, *Senec. lib. de breuit. vitæ c. 6.*

Aliquæ venient feriæ, *Phæd. lib. 3. Præfat.*

Quæ me soluto pectore ad studium vocent.

CAP. V.

Ingenij sterilitas, eius causæ multiplices.

ELeganter Saluianus, *Pertinet ad humani officij culturam aliquod linguarum opus, studio ingeniorum excudere*, Tertullianum æmulatus est cuius sunt ista, *Ab æuo dignissimum creditum est studiorum experimentum committere.* Neque verò istud omnibus datum esse arbitror; frustra siquidem animum ad scribendum appellere creduntur, quibus est pertenuis litteraria suppellex, aut qui Mineruæ sacrificare norint, litare nunquam. Quàm ob rem verò qui bonis artibus instructi adeò pertinaciter vigiliarum suarum fructus posteris communicare recusent, non vna ratione id fieri credendum est, nec vnica huiusce rei causa adsignari debet. Singulas expendamus. Sunt qui de se ita demissè & humiliter sentiunt, vt cætera omnia à se, longè grauiora, difficiliora, magisque ardua existiment; quibus credo- *Saluian. Præfat. Tertull. aduers. Gnost.*

Plin. lib. 6. epist. 16.

istud Plinij iunioris in ore sæpius est, *Beatos puto quibus datum, aut facere scribenda, aut scribere legenda;* At cuiusmodi sint hæc postrema, Plinius idem satis apertè declarat iis verbis:

Plin. lib. 2. epist. 11.

Insitum mortalibus studium magna & inusitata noscendi. Pauci siquidem quæ protrita, quæ vulgaria sint legere desiderant, imò ne lecta quidem ab aliis audire tantisper cupiunt. Plinij eiusdem ea mens est, *Cùm,* inquit, *ita natura comparatum est, vt ea quæ scripsimus cum labore, etiam cum labore audiri putemus.* Et certè seculo nostro ad summam perducto solertiam, vt cum Seneca loquar, quis tantæ cōfidentiæ, homo est, vt quidquid ipse scripserit, id neminem non posse non probare credat? Rem ipsam scriptis mandatam prius placere necessum est. Præiudicio nonnunquam res ista scriptori fœliciter succedit, si Maximiano fidem adhibeamus.

Plin. lib. 2. epist. 19.

Maximian. Eleg. 2.

Sit satis vt placeam me placuisse priùs.

Plin. lib. 6. epist. 23.

Cætera extrinsecus adiumenta petenda sunt. Plinij secundi sententia illa est: *Neque cuiquam tam clarum statim ingenium est, vt possit emergere, nisi illi materia, occasio, fauor etiam commendatórque contingat.* Ista si quis nullo negotio parari posse credat. Fusio histrione mihi bardior erit. Eleganter Plinius senior de ijs omnibus istud scripsit: *Res ardua vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam & naturæ suæ omnia.* Græcorum Prouerbium ei rei maximè congruit, τὰ καλὰ πρέπειν ἔξω quæ pulchra sunt foras appareant. Audio equidem doctorum istorum hominum sermones id genus à vero minimè abhorrentes. Quibus addo & istum Petronij, *Neque concipere aut edere partum mens potest nisi ingenti flumine litterarum inundata.* An propterea æquum potius esse censent ignauo torpescere otio,

Plin. præfat. hist. natur.

Petron. Satyr.

quàm multorum discendi cupidorum vtilitati consulere? siccine veterno sese obrui sinent? Columellæ placet admonitio: *Nec si vel illa præstantis ingenij via vel inclitarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium & inertiam deuolui. Sed quod sapienter sperauimus, perseueranter consectari.* Senecæ consilium, *Id age vt otium tuum non emineat, sed appareat.* Horatius, Columel. præf. Senec. epist. 19.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Horatius Ode 9. l. 4.

Nollem Aiacem cuiusquam, vt illum Augusti, in spongiam perpetuò incumbere, tandem aliquando in scenam prodeat. Grauiter Stoicus ille Romanus, *Occupandi temporis causa in vsum tuum, non in præconium aliquid simplici stylo scribe.* Certè exercitatio & pertinax reponendi studium, si quid eximium mediteris, longè perfectius pariet. Senecæ, *Homines dum docent discunt.* Et Beatus quidem Augustinus fatebatur se ex eorum numero esse conari, qui *proficiendo scribant.* Non placent qui laureolam in mustaceo quærant, Phœdrus mihi suffragator, *Nisi vtile est quod facimus, stulta est gloria.* Et certè si Petronio credimus, *Generosior spiritus vanitatem non amat*; veruntamen, *infructuosum saltem non est tentare prodesse*, aiebat Saluianus. Sed illud vel maximè in huiuscemodi hominibus dolendum, quod vt plurimum sibi minimè satisfaciant, & iis quod ab ipsis proficiscatur, nihil satis excultum, nihil satis eruditum videatur, quibus istud dictum Cassij Parmensis congruat, Senec. lib. de trãquil. animi, c. 1. Senec. ep. 7. S. August. epist. 7. Phœd. l. 3. fab. 56. Saluian. præfat.

Non leuis ascensus si quis petit ardua, liuor
Plurimus hunc tollit, nocturno ex somnis oliuo
Immoratur, delet quod mox laudauerat in se. Epigram. lib.

Equidem istud non rarò accidit, vt *aliena nobis, nostra plus*

alijs placeant, vt *ait Saluianus*. Velim Suetonij locum de Tiberio Imperatore tantillum illi expendant, Tiberius affectatione & morositate nimia obscurabat stylum, vt aliquanto ex tempore quàm à cura præstantior haberetur. Alios minimè probare possum, quia nescio qua inuidia, quod apud se confectum & absolutum doctrinæ opus in perpetuas damnent tenebras, malintque ingenij sui fœtum, vel ab ipso ortu suffocari, quàm vitam vitalem in hominum existimatione viuere. An istud Plinij magis placet. Neminem docere in auctoritatem sciētiæ est. Plin. præfat. lib. 25. Scio quod Plinius iunior scripsit nimisquam verum esse: *Habet quidem gloria, in studiis præsertim, quiddam*, ἀκοινώνητον, & vt ipse idem alio loco dixit, *Suæ quisque inuentioni fauet, & quasi fortissimum complectitur quod ab alio dictum est quod ipse præuidit.* Si veterum scriptorum quilibet hoc in animum induxisset suum, quot præstantissimis & elegantissimis lucubrationibus careremus? Mihi certè nullo modo arridet Papiniani responsum, libros se ideò non scribere, ne chartæ iis qui scripturi essent, pluris essent emendæ. Hominem credas publicæ parsimoniæ natum. Cæteros videamus quos à scribendo, aut scriptis vulgandis variæ deterrent causæ. Illa in primis eaque grauissima occurrit, quod hoc æuo infœlicissimo, nulli sint laborum & vigiliarum fructus, rarique aut nulli Mæcenates. Iam olim & toties auditæ sunt huiusmodi querelæ; Statio,

Vilis honos studijs,

Ouidio,

Dulcis erat mercede labor, tempúsque secutum est
Quod subito gratæ frangeret artis opes.

Lucano,

Saluian. lib. 1.
Suet. Tiber. c. 70.
Plin. lib. 3. epist. 9.
Stat. Epiced. in Patr.
Ouid. 6. Fast.

Ipse per Ausonias Æneïa carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum, Lucan. Panegyr. in Pison.
Mæoniumque senem Romano prouocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in vmbra
Quod canit, & sterili tantum cantasset auena,
Ignotus populis, si Mæcenate careret.

Cornelio Seuero,

Torquemur miseri in paruis præmiúmque, labores Cornel. Seuer. Æthna.
Vt se pretio redimant, verúmque professæ
Turpe silent artes.

Calpurnij consilium est,

Frange puer calamos & inanes desere Musas, Calpurn. Egl. 4.
Quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo
Prӕterquam scopulis ventosa remurmurat Echo.

Res omninò commiseratione dignissima, quàm non tam Poëticè, hoc est, procul à verò, quam bona fide & seriò de venustissimo Poëta Statio commemorat Iuuenalis,

Esurit intactam Paridi nisi vendat Agauem. Iuuenal. Satyr. 7.

Quidni istud contingat, cum Tertulliano auctore, *Nullum opus certum sit mercedis incertæ;* Et sunt qui ob ingratissimos mortales, sua edere dedignentur, ita non paucos reperias quibus adeò inuisa est tot hoc tempore scripturientium multitudo, vt eos etiam Musarum nomina rescire pudeat pigeatque. Nec desunt qui propter iniquos rerum æstimatores, & iudices parum æquos, addo & obtrectatores, quorum feracissimum hoc seculum existat, sui ingenij sterilitatem magis quàm fœcunditatem procurent, de quibus suo loco, id est, postremis Capitibus, abundè disseremus. Tertull. lib. de resur. carn.

CAP. VI.

Primum genus Scriptorum.

SCriptorum primum genus illud eſt, eorum qui res à nemine antea propoſitas ac veluti ignoratas, & indagare & explanare aggrediuntur, homines de literis, de poſteris optimè meriti, homines immortalitate digni, quos facilè idcirco patior in ſuas ipſorum laudes excurrere. An non merito iſta pronuntiauit Lucretius?

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo, iuuat integros accedere fontes
Lucret. lib. 1. *Atque haurire, iuuatque nouos decerpere flores,*
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Quidni tantumdem gloriæ ſibi promeruit Manilius cum iſta ſcriberet,

Manil. lib. 1. *Primuſque nouis Helicona mouere*
Cantibus, & viridi nutantes vertice ſyluas,
Hoſpita ſacra ferens nulli memorata priorum.

Sic Horatius,

Horat. Art. poët. *Libera per vacuum poſui veſtigia princeps*
Non aliena meo preßi pede.

Neſcio equidem an gentium nonnullarum, an humanæ mentis vitio ſit, vt noua placeant magis inuſitata miremur, indicta auidius legantur. Aptè Poëta princeps,

Virgil. lib. 3. Georg. *Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes*
Omnia iam vulgata, &; Cui non dictus Hilas.

Olympius Nemeſianus non aliter,

Nam quis non Nioben numeroso funere mæstam
Iam cecinit? quis non Semelem ignemque iugalem,
Lethalemque simul, nouit de pellicis astu?

Olimp. Cyneget.

Deinde: *Omnis & antiqui vulgata est fabula sæcli.* Plus æquo stomachosè Iuuenalis istud protulit.

Sed vatem egregium cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triuiale moneta,
Hunc qualem nequeo monstrare & sentio tantum.

Iuuenal. Satyr. 7.

Petronius illi præiuerat, cùm post enumeratos Homerum, Virgilium, Horatium, *Cæteri*, inquit, *aut non viderunt viã qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare.* Scio vt Poëticen ita Eloquentiam, suis omnibus numeris & partibus absolutam, neminem vnquam assecutum fuisse. Apud Marcum Senecam, Cassius Seuerus orator insignis, *Magna & varia res est eloquentia, nec adhuc vlli sic indulsit, vt tota contingeret.* Non aliter Plinius Iunior, *Eloquentia vix vni aut alteri, imo si Marco Antonio credimus, nemini contigit.* Respõderet non nemo, omnia non esse inuenta & multa adhuc latere reseruata posteris. Lucius Seneca solens suo more, hoc est, prope Diuinè, *Rerum natura Sacra sua non simul tradit, initiatos nos credimus: in vestibulo eius hæremus. Illa arcana non promiscuè nec omnibus patent, reducta & in interiore sacrario clausa sunt.* Idem alio loco: *Cõtenti simus inuẽtis, aliquid veritati & posteri conferent:* Ille idem epistola 64. Multum adhuc restat operis multúmque restabit, nec vlli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi. Plinius Maior in eam rem. *Minimè mirum est hominem genitum non omnia humana nouisse.* Quis igitur desperauerit, se veterum scriptorum monimentis aliquid quod prætermissum fuerit, non minori industriæ laude

Seneca lib. 3. contr. præf.

Senec. lib. 7. Notat. qu. c. 31.

Plin. præf. lib. 3. hist. nat.

posse adiungere. Hoc quo viuimus eruditissimo seculo præstantissimi quique critici, vt istos præsertim commemorem, Annon densissimas anteriorum huius generis scriptorum tenebras suæ eruditionis luce dispulerunt? Tritam aliis viam dum deserunt, nobis quæ hactenus ignorata fuissent, apertissimè demonstrarunt. Quod de summo critico dixit Lipsius, secundum veriuerbium Græcorum, ἄετος ἐν νεφέλαις; Aquila in nubibus, annon & verè & ex animo dixit? A quo in omnibus ferè disciplinis, noua & ante hunc diem inaudita, nec lecta, nec scripta, & literis consignata, & posteris commendata sunt, vt Theologos, Medicos, & persimiles sileam. Quis Iuris Ciuilis scientiam vni Iacobo Cujacio suum solendorem, nitorem, elegantiam non debere, affirmare audeat? Profligata veterum iuris interpretum barbarie, noua quadam & à se excogitata interpretatione, germanum synceerumque legum ipsarum sensum sic aperuit, vt ipsis Imperatoribus Iuris peritis, & prudentibus illas dictasse videatur. Non deerunt credo qui nouum istud scribendi genus in alienis explanandis, non ita perdifficile videri dictitent, ac si in noua quadam materia elaborãdum esset. Istud equidem non diffiteor, nec abnuerim quod qui opus aliquod rei antea minimè expositæ, aut pertractatæ in lucem edunt, eos multo maiori laude dignos existere, quàm qui aliena illustrarint. Siquidem vt cum Cornelio Seuero loquar,

Cornel. Seuer. Æihna.

Immensus labor est, sed fertilis idem.

Seu gloriam spectes & spem immortalitatis addere & fortunæ melioris magmentum, si homines istius notæ in Augustos & Mœcenates inciderent: Historiæ scriptores non attingo, nam de iis alio loco dicemus, attamen illud obser-

uatione dignissimum quod à Plinio Iuniore recta consulente proditum est, *Vetera & scripta alijs parata inquisitio, sed onerosa collatio intacta, & noua graues offensæ leuis gratia.* Exscribo lubens Taciti locum in eam rem, qui de historiæ scriptoribus disertim agit: *Postquam*, inquit, *bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad vnum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere: simul veritas pluribus modis infracta, primùm inscitia Reipublicæ vt alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio aduersus dominantes. Ita neutris cura posteritatis inter infensos & obnoxios: sed ambitionem scriptoris facile aduerseris. Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur, quippe adulationi fœdum crimen seruitutis, malignitati falsa species libertatis inest.* Quis cum Tacito eodem non exclamet, *raram esse temporum fœlicitatem, vbi sentire quæ velis & quæ sentias dicere*, addo & scribere, *liceat?*

Plin. lib. 5. ep. 8.

Tacit. li. 1. histor.

CAP. VII.

Secundum genus.

SEcundi generis scriptores sunt, qui circa materiam antea pertractatam versantur, sed noua methodo adhibita, aliisque à se excogitatis rationibus, & quidem stylo fortè dissimili. Scio nonnullis istud minus placere, quibus illa Iuuenalis reprehensio frequenter in ore est:

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Iuuenal. Satyr. 7.

Alij Lucij Senecæ sententiam probant: *Nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur.* Græcorum prouerbium, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν, Platonis ea vox est, qui & alio loco affirmat pulchrum & decorum videri rem pulchram bis & ter dicere. Horatius de Arte Poëtica, de Poësi sic statuit:

Sen. ep 27.

Plato dial. 6. de legib.

Horatius Art. Poët.

—— *Si propius stes*

Te capiet magis, & quædam si longius abstes,
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Quanquam si lectorum ratio habenda sit, res dubitatione non careat, eruditis enim repetitio illa ingrata est sæpius, nisi vel ab auctore, qui aliunde famam sibi nomenq; parauit, commendetur, vel inaudita minusque vulgo nota proferantur. At si minus periti in ea inciderint scripta, non minorem ex iis repetitis vtilitatem percipient, vt sanctissimus ita & doctissimus Leo primus, Pontifex Maximus, aptissimè dixit, *Melius esse doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare discendis.* Totum hoc quidquid sit generis istius secundi, ad imitationem spectare videbitur, quæ quoniam multiplex est, aut probãda existimabitur, aut reprehendenda. Quis enim illam non meritò damnet, quæ materiam ab aliis iam expositam vsurpet, eodem plane ordine & dicendi genere? De qua re pluribus sequenti capite, cùm de plagiariis agemus. Quamobrem iure optimo exclamat Horatius:

Leo I. ser. 5. de Nat. Dom.

O imitatores seruum pecus, vt mihi sæpe
Bilem, sæpe iocum vestri mouere tumultus.

Horat. l.1. ep.20.

Quàm malè non paucos exagitat *febris Attica*, vt de Cimbro Rethore pronuntiauit Virgilius, hoc est, imitationis pruritus, qui eo magis ridiculus existit, cùm imitator aliquis tantum sibi hac in re applaudit, vt venustatem, elegantiam, majestatem denique scriptoris antiqui non modò assequi, sed etiam superasse sibi videatur. Præclarè Marcus Seneca, *Nunquam par fit imitator auctori.* Sed istud indignissimum penitus si quis nobilem quempiam scriptorem imitandum sibi proponat, sed adeo accuratè, adeò anxiè, vt & næuos illius æmuletur. Notum istud de Salustio:

Senec. præfat. Contro.

Et verba antiqui multum furate Catonis Epigram. lib.
Criſpe Iugurthinæ conditor hiſtoriæ.

Verba obſoleta, antiquata illius Cenſorij quid Salluſtio neceſſum fuit vſurpare? Orationi ſplendorem aliquem afferre non diffiteor, ſed rarò, ſed moderatè adſperſa, & ſui ſeculi vſum, non ingenij proprij oblectationem ſectari Criſpus ille debuit. Portius Latro, apud Marcum Senecam: *Imitatio alienæ culpæ non eſt innocentia.* Itaque nonnullos minimè excuſandos putem, qui ſine vllo delectu, quidquid apud nobiliſſimum ſcriptorem occurrat, quamuis nonnihil cenſoriâ notâ dignum alioquin Critici cenſuerint, totum illud ſibi imitandum proponant, & non leuem inde commendationem ſe aſſecutos eſſe glorientur. Quàm verè iſtud dixit Plinius Nepos: *Stultiſſimum credo ad imitandum, non optima quæque proponere.* Euripidem ſententiarum varietate præſtantiſſimum imitari quis non exoptet? At litteræ ſigma apud illum plus æquo frequentem vſum quis non damnet? Hinc enim communi quadam reprehenſione à veteribus Grammaticis σιγματισμὸς dictus eſt. Et quàm facile aliena vitia imitamur. Tam arduum & perdifficile ſi quid ſit præclarè dictum ab aliquo ſcriptore, etiam anterioris alicuius æmulatione illud ipſum exprimere. Ita cenſet Plinius idem: *Cùm arduum ſit ſimilitudinem effingere ex vero, tam longè difficillima eſt imitationis imitatio.* Quid ſi viciſſim adeò peritè & eleganter alienam induſtriam aliquis æmuletur, annon commendatione non mediocri dignus cenſendus eſt? Symmachus eo collimabat cùm hæc ſcripſit: *Quodam pacto ſocietatem laudis affectat, qui aliena benè dicta primus enuntiat.* Etſi Lactantio potius accedam, qui ait, *Maius eſſe propria facere, quàm aliena diſponere.* Equidem hac in diſputatione, ſi mihi quod

Senec. li. 1. Controu. 1.
Plin. lib. 1. ep. 5.
Plin. li. 4. ep. 28.
Symmac. lib. 1. ep. 25.
Lactant. lib. 2. c. 8.

ſentiam eloqui liceat, ſiue rei nunquam hactenus exploratæ, explicatæ tractationem, ſiue inſignis alicuius operis imitationem ſpectes, non poteſt non videri

Durus vterque labor.

Virgil. 2. Georg. Sed ſi Poëtam illum principem audias:

Laudato ingentia rura,

Exiguum colito.

Ac nihilominus de priori illo non immeritò iſtud cecinit *Feſt. Auie. in deſcr. orb.* Feſtus Auienus:

Dulcis in his hauſtus, meritum graue, gratia perpes.

Sunt & præterea qui materiam iam ab aliis excuſſam non aliter ſibi explicandam proponunt, quàm vt cæteros omnes hactenus in ea pertractanda longiſſimè aberraſſe, & quæ vſu communi receptæ ſint, de illa, ſententias Næuij buttubata vel Plauti mortualia eſſe dictitent, ſe ſolos ſapere, reliquos Arcadicum & Medinum profiteantur. Sed lubens Campanum iſtud ſupercilium & ſtrepitum Regium omitto. Diſcant iſtud Senecæ epiſt. 64. *Multùm egegerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: Suſpiciendi tamen ſunt, & ritu Deorum colendi.*

CAP. VIII.

Tertium genus Plagiarij.

Tertull. aduerſus Hermog. QVinti Septimij Florentis ex intimis iuris ſcientię penetralibus repetita diſtributio, huic quam inſtituimus diſſertationi aptiſſimè congruere videtur: *Tribus modis,* inquit ille, *aliena ſumuntur, iure, beneficio, impetu,* id eſt, dominio, precario, vi, dominio non ſuppetente. Hæc quàm bellè triplici ſcriptorum generi conueniant animaduertere licet. Sunt enim ſcriptores qui ſua ab aliis vſurpata

pata iure optimo repetere possunt, cuius generis sunt Christiani scriptores, qui cùm ex libris Gentilium, quæ sunt fidei Christianæ consentanea, deprompserunt, non tam aliena quàm sua sibi furto ablata, iure ac merito sibi vendicarunt, & certè notissimum est illud Tertulliani eiusdem: *Quis Poëtarum? quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit? Inde igitur Philosophi sitim ingenij sui rigauerunt, vt quæ de nostris habent ea nos comparent illis.* Post paulo: *Homines gloriæ & eloquentiæ solius libidinosi, si quid in Sanctis Scripturis ostenderunt digestis, pro instituto curiositatis, ad propria opera verterunt, neque satis credentes diuina esse quominus interpolarent, neque satis intelligentes vt adhuc tectum sub nubilo etiam ipsis Iudæis obumbrata quorum propria videbantur.* Multo plura in eam rem congerit quæ nos lubenter omittimus. Eusebius Cæsariensis non vno Euangelicæ præparationis libro, post Clementem Alexandrinum, Ethnicos Philosophos, Poëtas, Oratores, & cæteros ab Hebræis non pauca, imo præstantissima quæque ethica præcepta, quin & sententias, & versus desumpsisse probat, ac vnum Platonem, quem planè diuinum, & cæterorum facile principem rebantur, sibi exagitandum proponit, ac in Mosis libris euoluendis versatum fuisse certissimè demonstrat. Clemens Alexandrinus, Platonem Secnuphidis Heliopolitani Sacerdotis in Ægypto, quemadmodum & Pythagoram Sonchedis Archiprophetæ, id est, summi Sacerdotis Ægyptij, discipulum fuisse memorat. Quod & de Thalete Græco sapiente prodit, quem cum Prophetis Ægyptiorum congressum dum narrat, Sacerdotes Ægyptios intelligere necessum est, cùm Sacerdotes ipsi non aliter quàm Prophetæ vocarentur, vt ex Herodoto & Synesio colligere est, & eo significatu Apu-

Tertull. Apolog. c. 45.

Euseb. l. 9. 10. 11. 12. præp.

Clemens Alex. l. 1. strom.

Ibid.

Herodot. l. 2.

Synesius li. de pronid.

Apuleius Apollo. læïus Prophetas Ægyptios pro Sacerdotibus dixit. Sed illud obſeruandum de Pythagora apud Clementem ipſum auditorem fuiſſe Nazarati Aſſyrij, quem Ezechielem Prophetam fuiſſe nonnulli opinati ſunt, quod pernegat Clemens, & tamen temporis rationem minimè repugnare eruditi quidam contendunt. Addo & Pherecidem Syrum, Pythagoræ præceptorem ex Prophetia Cham aliqua deprompſiſſe. Origenes ex Hermippi lib. 1. de legiſlatoribus ſcribit Pythagoram ſuam Philoſophiam à Iudæis traduxiſſe in Græciam. Neque quiſquam litem nobis de ea re moueat, quod veterum auctoritate, priſcos illos Græcos Philoſophos, eoſque maximi ſupra cæteros nominis, Ægyptiorum Sacerdotum diſcipulos fuiſſe, necnon & Hebręorum Philoſophiam didiciſſe aſſeramus: Erant tunc temporis Hebræi in Ægypto, nec minimo quidem numero, vt patet ex Hieremia Propheta, qui ex quotidiana conſuetudine & conuictu cum Ægyptiis idololatris in deteſtandos & flagitioſos mores prolapſi, non eo quo decebat loco & veneratione ſuam habuêre peculiarem religionem, religioniſque arcana. Hinc factum vt ego facile credam, minimè tamen aſſeuerem, circa hæc tempora, hoc eſt, plurimis ante Ptolomæos ſæculis Moſis Pentateuchum, ſeu quinque libros in linguam Græcam fuiſſe conuerſos. Equidem Euſebius Moſis eiuſcemodi libros in linguam Græcam longè ante Alexandri Magni tempora tranſlatos fuiſſe affirmat. Clemens Alexandrinus idem prodit, & hoc præſertim, longè ante euerſum Imperium Perſicum, inſignia quæque apud Iudæos geſta & leges ipſorum in linguam Græcam tranſlatas. Sed pergo & tandem eo veſaniæ & furoris Ethnicos veniſſe miror, vt dicerent Chriſtum ſeruatorem noſtrum de libris Platonis pro-

Clemens Alex. l. 1. ſtrom. Clemens Alex. l. 6. ſtrom. Orig. lib. 1. contra Celſum.

Euſebius præp. Euãgel. l. 9. c. 3. S. Auguſt. epiſt. 34. Eſych. Platon. Clemens Alex. 1. ſtrom.

fecisse, quos refutasse scripto de ea re libro, Beatum Ambrosium, auctor est Sanctus Augustinus. Vnus Numenius Pythagoricus hanc refellet putidam calumniam, cùm scribat Platonem velut plagiarium è Mosaïcis libris quidquid de Deo & mundo verè scripsit, hausisse. Itaque non alium quam Mosem Atticum videri. Ita Clemens Alexandrinus, Hesichius Illustrius. Vnde fit vt si quid à Christo saluatore prolatum apud Platonem deprehendatur, illud è Mosaïcis libris, vnde Plato ipse surripuit, multo magis repetendum videatur. Origenes Numenium Pythagoricum libro cui titulum fecit, περὶ ταγάθου, verba Prophetarum qui apud Iudæos scripserint, inseruisse & eorum visiones & figuras interpretatum esse, affirmat non vno loco. Verum illud nulla omnino ratione prætermitti debet, quod est ab eodem Origene proditum; Euripidem ab Aristophane taxatum fuisse, quod Anaxagoræ sententias & aliorum Philosophorum tribueret barbaris mulierculis, vel mancipiis, hoc est, vt ego interpretor, Hebræis, seu viris, seu mulieribus, qui apud Græcos duram seruiebant seruitutem. Firmat interpretationem meam locus Ioëlis Prophetæ, apud quem Dominus Deus sic de Palęstinis conqueritur. Filios Iuda & filios Hierusalem vendidistis filiis Græcorum, vt longè faceretis eos de finibus suis. Ij religionem legesque patrias edocti, heros suos quidquid apud Iudæos præclarum esset, Gentiles edocuisse videntur, si modo ij tantisper virtutis & doctrinę amantes existerent. Quo quæso spectat istud apud Græcos vsitatum, de quo Athenæus, γράμματα ἀλεξίλογα, Phœnicum, sermones mera animi solatia, nisi ab Hebræis mancipiis Græcorum, elegantes illæ è sacris litteris petitæ, cuilibet hominum animorumque conditioni accommodatæ

Orig. lib. 1. cotr. Celsum.

Ioel 3.

Athen. l. 1. c. 22.

Herodot. lib. 2.

sententię, indicatæ & vulgatæ. Phœnicũ vt & Syrorum nomine, Iudęos apud Gręcos scriptores comprehensos fuisse aliquando, vel vnus testis esse potest Herod. Sed vt locum hunc concludam post Eusebiũ verè istud dixit S. Ambros. *Cognoscant gentiles ea quæ in libris Philosophiæ mirantur, translata esse de nostris.* Ita B. Basilius, furẽ veritatis esse Diabolũ, & ea quæ nostra sunt, extra ad suos interpretes transtulisse. Secundi generis aliena vsurpata expendamus, quæ veluti precario, & quasi mutuo sumpta appellare licet. Qualia verò sint eleganter describit Macrobius, & quo pacto innoxiè ac citra vllam reprehensionẽ, ab aliis deprompta in nostrum vsum cõuertamus aptissimè demonstrat. Ex illius satis prolixa dissertatione pauca delibabo, & pro nostræ mentis cõprehensione exprimam. Imprimis non indigestæ tanquã in aceruum digna memoratu congerẽda sunt, sed variarum rerum disparilitas, auctoribus diuersa, confusa tẽporibus, ita in quoddam corpus dirigẽda est, vt quæ indistinctè atque promiscuè ad memoriæ subsidium adnotauimus, illa in ordinem instar membrorum coherentia cõueniant. Nec vlli vitio vertendum, si res quas ex lectione varia mutuatur, ipsis sæpe verbis, quibus ab ipsis auctoribus enarratæ sunt, explicẽtur; quandoquidem meditatũ opus non eloquẽtiæ ostẽtationem, sed noscendorum congeriem polliceatur, & boni quidem consulendum, si notitiam vetustatis, modo nostris non obscurè, modo ipsis antiquorum fideliter verbis, lector recognoscat, prout quęque se, vel enarranda, vel transferenda suggesserint. Itaque quidquid diuersa lectione quæsiuerimus, committamus stylo, vt in ordinem, eodem dirigente coalescat, nam & in animo melius distincta seruantur, & ipsa distinctio non sine quodam fermento, quo conditur vniuersitas,

S. Ambr. lib. de bon. mort. c. 10.
S. Basil. Hom. 16. in princ.
Macrob. præfat. Satur.

in vnum saporis vsum varia libamenta cōfundat, vt etiam si quid apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse quàm vnde sumptum cognoscitur, appareat. Hinc continget vt lector inueniat plurima, quæ sit aut voluptati legere, aut cultui legisse, aut vsui meminisse. Ex iis scriptorum, seu Græcorum, seu Latinorum plurimorum, non tam excusatio quàm commendatio apparet, qui ex antiquioribus præclara quæque & suo instituto maximè congruentia mutuati scripta sua mirum in modum illustrarunt. Singulos recensere qui istud egerint superuacaneum & ni fallor inutile esset: Plato quid & quale ex Heraclito, Pythagora & Socrate, mutuatus sit, vniuersim declarat Hesychius Illustrius. Homerus Græcorum Poëtarum summus ex Corinno Iliensi Poëta Palamedis discipulo, qui Trajano bello adhuc durante Iliadem scripserat, suæ pœseos argumentum sumpsit, & in libros suos retulit, si Suidas vera refert. Nec istud omitti debet quod de Phocylide narrat Suidas, illum sententias Sibyllæ sibi vsurpasse, dissimulato eius nomine. Æschilum nemo sanæ mentis damnauerat, qui ex Homericis cœnis frusta lautissima collegit. Horatius quantumuis imitatores seruum pecus vocet, ex Pindaro & Anacreonte, quid non venustuli mutuatus est? Theodoretus Præfat. in Cantica Cantic. à se explanata, admonet lectorem ne furti insimulet suos in hunc librum Commentarios, quandoquidem multa in iis ex antiquioribus Patribus deprompta deprehendantur. Nequaquam verò furtum istud censeri debet, sed paterna hæreditas. S. Hieronymus præfatione quæstionum Hebraïcarum in Genesim, summorum virorum exemplo se se aduersus obtrectatores tuetur, qui eum velut aliorum scriptorum compilatorem criminabantur: *Illud idem*, in-

Hesich. Plat.

Suidas Corinn.

Suidas Phocylid.

S. Hieron. præfat. qu. Hebraïc.

quit ille, *Terentio Comico Poëtæ, à Luſcinio Lauinio obiectum, Idem Tullio Romanæ eloquentiæ parenti, quem Græci repetundarum accuſant. Idem Virgilio Poëtæ Principi, qui verſus quoſdam Homeri ad verbum tranſtuliſſe dicebatur, ſed reſpondit ipſe, magnarum eſſe virium Herculi clauam extorquere de manu.*

Iſidorus lib. 10. compilator. Huius rei meminit Iſidorus dum explicat quid ſit *compilator*, is nimirum qui aliena dicta ſuis permiſcet, ſicut ſolent pigmentarij in pila diuerſa mixta contundere: hoc ſcelere quondam accuſabatur Mantuanus ille Vates. *Macrob. lib. Sat.* Cætera vt apud Macrobium, qui totus eſt in detegendis Virgilij furtis, ſi ita loqui liceat, non tantum ex Græcis, ſed etiam Latinis vetuſtioribus. Illud verò potiſſimùm adnotandum quod de Afranio Togatarum ſcriptore Latino *Macrob. lib. 6.* prodit ipſe Macrobius. Is in ea Togata quæ, *Compitalia* inſcribitur, non inuerecundè reſpondens arguentibus, *Saturn. cap. 1.* quòd plura ſumpſiſſet à Menandro, *Fateor*, inquit, *ſumpſi non ab illo ſolo modò, ſed vt quiſque habuit quod conueniret mihi, quodque me non poſſe melius facere credidi, etiam à Latino.* Quam multa Ariſtophanes ex Euripide deſumpſit, ſic & Plato ex Sophronis Mimis, & S. Chryſoſtomus ex Ariſtophanis Comœdiis, quarum aſſidua lectione nimium quantum delectabatur, non aliter quam Plato Mimorum *Heſych. Sophron. fab. 1 c. 10.* Sophronis Syracuſij, quibus etiam indormiebat. Etiam ingenioſus ille Poëta Ouidius ab vſurpandis Virgilianis non abſtinuit. De qua re ſic apud Marcum Senecam in *Senec. Suaſor.* Suaſoris ſententia iſta Virgiliana: *Plena Deo* Naſoni valde placuit, *itaque fecit quod in multis alijs verſibus Virgilius fecerat, non ſurripiendi cauſa, ſed palam imitandi, hoc animo, vt vellet agnoſci. Illud autem in Tragœdia eius* (Ouidij Medea, vt arbitror) *feror huc illuc, vt plena Deo.* Læpida extat *Petr. Bleſ. epiſt. 92.* Petri Bleſenſis de ea re Epiſtola, aduerſus inuidum quen-

dam, qui eum *Compilatorem* vocauerat. Mihi admodum placet Macrobij pro Virgilio defensio, aduersus eos, qui tanto viro alieni vsurpationem exprobrabant: *Illos nimirum considerare debuisse hunc esse fructum legendi, æmulari ea quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem vsum tuum oportuna deriuatione conuertere*. Videsis S. Hieron. præfat. in lib. traditionū Hebraïcar. in Genes. Tertium & postremum genus est alienorū sumendorum secundum Tertulliani distributionem, cùm dominio non suppetente, aliquis vi alienum sibi vendicat. Plagiarium Iurisconsulti vocant, qui nimirum, hominem liberum seruitio premit, aut vt seruum sciens abstrahit, aut denique alienum mancipium supprimit, quæ sunt legis Fabiæ de Plagiariis capita. Translata vox ad eos qui alterius scripta pro suis venditant, non modo auctoris tacito nomine, sed illa velut à se excogitata, & literis mandata publicare, & profiteri audent. Verissimè quidem Symmachus, *Cùm semel*, inquit, *à te carmen profectum est, ius omne perdidisti. Oratio publicata res libera est*. Non alio spectat istud Plinij Maioris de Asinio Pollione, *Hic primus bibliothecam publicando, ingenia hominum rem publicam fecit*. An idcirco quia res publici iuris facta est, ideò cuique illam sibi tanquam propriam vendicare conceditur? imitari, & quod alteri futurum sit vsui, veluti precario, sumere licet, annon illud est liberum & ingenium seruituti vnius addicere? Duplicis generis plagiarios istos obseruo: aut enim capita integra, paginas integras, ex alterius scriptoris opere exscribunt, & quidem verbis iisdem, suique ingenij velut proprium fœtum obtrudunt, cùm proprij auctoris nomen penitus reticeant. Memini me olim cuiusdam Theologi Hispani opus de sacramentis legere, deprehendi non pau-

Macrob. lib. 6. Satu. c. 1.

Symmac. lib. 1. epist. 25.

Plin. hist. nat. lib. 35. c. 2.

ca ex Cardinalis Alani opere, ſimilis argumenti, capita ad verbum deſcripſiſſe, ſine vlla vel adeo leuiſſima Cardinalis mentione: Credidit Hiſpanus, pro faſtu gentis, cæteros mortales fungos & ſtipites, quaſi nihil vnquam quidquam de Cardinale inaudiſſent, aut eius ſcripta penitus interijſſe, non ſecus ac Alexandrinæ bibliothecæ libros, infœlici conflagratione abſumptos legimus. Quis percenſere numerando poſſet ſcriptores noſtri æui huic Hiſpano perſimiles? Vnicum eumque extra omnem ingenij aleam poſitum Criticum Adrianum Turnebum noſtratem commemorabo, ex cuius aduerſariis, tanquam ex copioſiſſimo & ditiſſimo penu, qui non ſua miſcellanea, obſeruationes, & cætera idgenus abundè locupletarunt? Iuſto Lipſio Criticen plurimum debere, omnes recta ſapientes profitentur, & tamen plagiarium illum vocare auſus eſt Ricardus Montacutus Anglus, iis verbis, loquens de Onuphrio Panuinio, *A quo*, inquit, *ſua omnia tranſcripſit per plagium Iuſtus Lipſius, numquam Onufrio compellato, id quod alias ſolet regidiſſimus in alijs ipſe repoſco.* Mitto recentiores. Sed quis litem illam grauiſſimam inter Plinium auunculum & Solinum componat? De Agellio & Macrobio res nota eſt, ſiquidem ille non paucis annis imo ſeculo non vno Macrobium præceſſit, quo fit vt ipſe plagiarij infamiam, nullo pacto vitare poſſit. Idem in duobus præſtantiſſimis Philoſophis Ariſtone & Eudoxo contigiſſe teſtatur Strabo. Neque aptius quidquam de iis pronuntiabo quàm quod de Clerone Athenienſi ſcripſit Ariſtophanes & meminit etiam Suidas, qui ſpicas alienæ meſſis ſiccatas & alligatas, tanquam ex agro ſuo peritas, vendebat. Illi Poëtæ Principis verſum ad ſe pertinere cogitent.

Richard. Montac. exerc. 11.

Strabo lib. 17.

Suidas ἀμησάμενοι.

Immuniſque

Immunisque sedens aliena ad pabula fucus. Virgil. 4. Georg.

Sunt & alterius generis plagiarij, qui aliorum scripta integra, detracto germani auctoris nomine, & suo supposito sine vllo pudore vsurpant. Ii certè persimiles mihi videntur Rhodiis, apud Dionem Chrysostomum, qui cum alicui decreta esset statua veteri statuæ cuipiam apud suos caput adimebant, huicque recentiori caput illius loco reponebant. (Dio Chrysost. orat. 31.) A nonnullis Imperatoribus Romanis idem factitatum legimus, sed detestandis, & flagitiosissimis Principibus. Augustæ historiæ scriptores Imperatorum quorundam vel tyrannorum deiectas merito statuas fuisse, litteris prodiderunt. Addo nonnunquam statuas ipsas minimè deturbatas, sed abscissis capitibus, alia iisdem imposita fuisse. De quibus S. Hieronymus in Habacuc Prophetam, ad hunc versum, *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.* (S. Hieron. in c. 3. Habacuc.) siue ex versione septuaginta Interpretum, *Diuisisti in stupore capita potentium. Si quando*, inquit, *Tyrannus detruncatur, imagines quoque eius deponuntur & statuæ, & vultu tantummodo commutato ablatóque capite, eius qui vicerit facies superponitur, vt manente corpore, capitibusque præscisis, caput aliud commutetur.* Quid commeruere, seu veteris, seu huius æui scriptores nonnulli, vt sua nomina ex sui ingenij monumentis eraderentur, & plagiariorum nomina illis inscriberentur? Huic hominum generi adnumerare licet eos qui auctorum & artificum nomina præstantissimorum, suis operibus inscribebant, vt illis auctoritatem conciliarent. De Democrito istud prodit Agellius: *Multa*, inquit, *videntur ab hominibus malè solertibus commenta, in Democriti nomen data, nobilitatis auctoritatisque eius perfugio vtentibus.* (Agell. lib. 10. c. 12.) Phœdrus lib. 5. Æsopicarum fabularum prefatione, (Phœdr. præf. lib. 5.)

Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
Si marmori inscripserint Praxitelem, suo
Detrito. Myronem argento; fabulæ exaudiant
Adeo fugatæ, plus vetustis nam fauet
Inuidia mordax, quàm bonis præsentibus.

Lepidum istud est quod de hoc argumento dißeriti Dio Chrysostomus, Bibliopolæ ait, cùm norint antiquos libros expeti vt melius scriptos & in melioribus chartis, illi vilissimos præsentium scriptorum libros, demittentes in frumentum, vt colorem veteribus similem situmque contrahant, paritérque corrumpentes, vendunt pro antiquis. Apud Hesichium Illustrium Æschines istiusmodi plagiarius describitur, qui dialogos aliquos à se conscriptos, nomine Socratis venditabat, velut à Xantippe ipsius Socratis vxore acceptos. Non inepte, meo iudicio, Isidorus, *Plagiatoris* etymon deducit, ἀπὸ τοῦ πλαγίου, id est, obliquo, quod non certa via gradatur, sed pelliciendo dolis. Istud nimisquam verum deprehendimus in huiusmodi Plagiariis, qui si proprij nominis inscriptione sua vulgarint scripta, illico explodantur, metuendum ne Asino Cumano Leonis exuuiæ, quibus amictus erat, detrahantur, & dum obliquè fucum facere tentat, stolidus & vecors, inani flagrorum strepitu rudere cogatur perpetuo suæ famæ ludibrio. Nobilis historia de toto isto genere plagiariorum, apud Vitruuium præfat. lib. 7. commemoratione digna. Ptolomæus, Rex, vt ego arbitror Philidelphus, Alexandriæ ludos Musis & Apollini dedicauit, in quibus communium scriptorum victoribus præmia, & honores constituit. Iudices litterati sex, lectus septimus, additus Aristophanes. Primo Poëtarum ordine ad certationem inducto,

Dio Chrysost. orat. 21.

Hesich. Æschin.

Isidor. lib. 10.

cùm recitarentur ſcripta, populus cunctus ſignificando mouebat Iudices, quodnam probarent. Sex Iudices quem maximè animaduerterunt multitudini placuiſſe, ei primum præmium, ſequenti verò ſecundum tribuerunt. Ariſtophanes ſententiam rogatus, eum primum pronunciari iuſſit qui minimè populo placuiſſet. Ariſtophanes verò docuit vnum quem iudicarat ex his eſſe Poëtam, cæteros aliena recitauiſſe: Oportere autem iudicantes non furta, ſed ſcripta probare, & fretus memoria è certis armariis infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo coëgit ipſos furatos de ſe confiteri, quos furti damnatos Rex cum ignominia dimiſit. Tu Ptolomæe Philadelphe tuque Ariſtophanes numero eſtis mortui.

CAP. IX.

Quartum genus, Interpretum.

POſt tertij generis ſcriptores, quibus plagiarij adnumerantur, interpretes recenſentur, hoc eſt, qui ex vna in aliam linguam ſcriptorem aliquem interpretantur, quibus vulgatum iſtud Horatij præceptum in primis obſeruandum eſt,

Nec verbum verbo curabis reddere fidus *Horat. art. Poët.*
Interpres.

Labeo, de quo Perſius, tranſtulit Iliada & Odyſſeam, verbo ex verbo, ridiculè ſatis, quod verba potius quam ſenſum ſecutus ſit, vt docet vetus interpres Perſij, nec immeritò ille reprehenſus, quandoquidem nulla caro per ſe placet, ſed arte quadam corrumpitur & ſtomacho conciliatur aduerſo, aiebat Petronius, ita Interpretes illi arti-

ficii & ſtyli elegantia lectoris animum velut lenocinio quodam ſibi conciliare debent. Sunt autem quamplurima in huiuſcemodi verſionibus ſpectanda, ac primo loco, linguæ, qua opus illud conſcriptum eſt, proprietas: Græcam linguam, Latina longe elegantiorem & ditiorem nemo ſanus negabit, qui ex Græcis Latina conuenienter faciat, ipſius linguæ Latinæ genium ſequatur neceſſum eſt. Eo ſpectat quod L. Seneca ſcribit: *Res ipſa de qua agitur, aliquo ſignanda nomine eſt quod appellationis Græcæ vim debet habere, non faciem.* Heracliti qui σκοτεινὸς dictus eſt, liber aliquis, aut Lycophronis Caſſandra latio donanda eſt, quibus verbis Latinis horum obſcuritas exprimi poterit. Quantumuis apta ſed noua effingas verba, aut obſcuram illam grauitatem minimè aſſequeris, aut latinitatem ſub Euandri matre natam exhibebis. Luſit vir illuſtriſſimus in Latina Lycophronis Caſſandra facienda, & certè locis non paucis imorum ſubſelliorum Senatus litterarii viris crucem fixit, riſit credo cum hæc ſcriberet. Mihi mirum in modum placet Beati Auguſtini ſententia, quam ille ex veteri ſcriptore hauſerat: *Sermoni humano* (Latino dicam) *verba noua vel minus vſitata moderatè ac decenter aſperſa ſplendorem addunt.* Itaque verbis ipſis quemquam addictum eſſe nolim, vnicuique linguæ ſuus eſt genius relinquendus. Lactantio *nil obſtant verba, cùm ſententia congruit veritati.* Sed longe maior cautio adhibenda eſt, ſi quid flagitioſi, & ad omnem turpitudinem comparati in vulgatum ſermonem vertendum ſit, an de honeſta & deculpata verba, vt loquitur Agellius, ſimilibus vocibus vulgatis explicabimus. Scio Petronij iſtud quaſi Alexipharmacum opponi; turpiculum quodcumque occurrat, *Feras mentes obſidet, eruditas* (aut ſi mauis caſtas & pudicas) *præ-*

Senec. lib. de tranq. cap. 2.

S. Aug. epiſt. 49.

Lactant. l. 4. c. 9.

terlabitur. Liuiæ Augusti, nudi homines à nudis statuis nil omnino distare videbantur, at non omnes mulieres nuptæ Liuiæ sunt, ita qui in Catullum, Petronium, Martialem, & similes Latinos, vt Grecos omittam, inciderit, non quilibet Xenocrates est: nam, *Pers. Sat. 1.*

—— carmina lumbum,

Intrant & tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Et si auribus is sensus, cur non magis oculis, dum ista leguntur? addo & meditanti animo. Rectè Varro, *Sympathiam lumbi ad oculos habent.* Etiam pronuntiatio ipsa non parum afficit. Audio nepotum voces, *Varr. Sat. περὶ ἐδεσμ.*

Ah pereat, cui sunt prisca supercilia.

Sed magis exaudio Ennodium Ticinensem, *Melius est plus æstimationi per silentium dimittere, quàm monstrare diligentiæ damna per litteras.* *Ennod. l. 3. epist. 32.*

CAP. X.

Quintum genus, Scoliastæ.

QVinto & postremo loco numerantur qui scriptores libris Commentariis notis vberioribus, Scholiis denique & illustrare, & explicare contendunt. Plurimos nostro seculo in eo scribendi genere fœlicissimè versatos fuisse nullus nisi cui mens planè mota fuerit, dubitare potest: Ita vicissim aliquos in isto interpretandi genere fortuna destituit. Aut enim sua ipsorum auctoritate interpretationes suas niti volunt, & quasi dictatores nullis aliis rationum momentis adhibitis, ita credendum, ita sentiendum edicunt, hoc est *suspiciones suas ingratis fulcire*, vt loquitur Tertullianus. Quam malè sæpius hac in parte cum *Tertull. aduers. Hermog.*

adoleſcentibus, qui bonis artibus dant operam, agi videmus, ſi in Doctorem iſtius notæ inciderint. Illis in aurem iſtud Aſinij Galli inſuſurrabit non nemo,

Epigram. lib.

Qui caput ad læuam deijcit, gloſſemata vobis
Præcipit, os nullum vel potius pugilis.

Satis fœliciter, vt ego arbitror in aliquo ſcriptore explicando operam ſuam collocaſſe videntur, qui auctoris mentem verumque ſenſum expiſcari potuerint. Vnicum proferam Plautum, in quo emendando, illuſtrando, exponendo, præſtantiſſimi quique noſtro æuo & doctrina ſupra cæteros inſignes viri, imo Senatus litterarii Principes non leuiter laborarunt. Priores ſequentibus viam quaſi præmonſtraſſe & veluti præluxiſſe videntur; at qui ſecuti ſunt ingenii acumine & fœlicitate, palmam in ea Sparta exornanda reportaſſe præ reliquis dicentur. Nec ſua laude qui poſt hac futuri ſunt, ni fallor, carebunt. Publicum iſtud certamen eſt, qui proſperè hactenus certauit ab hoſte valentiore ſuperari conſpicitur. Egregium C. Laberii Epigramma,

Ibidem.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore,
Summum ad gradum cum alacritatis veneris,
Conſiſtes ægrè, & citius quàm aſcendas decidas,
Cecidi ego, cadet qui ſequitur, laus eſt publica.

CAP. XI.

Scriptorum imperitorum ſcribendi pruritus.

Iuuenal. Satyr. 7.

IVuenalis ſcitum illud,
——tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.

Quàm verè huic nostro seculo aptari possit nemo est qui non facile aduertat. Tantę confidentiæ homines reperias, qui nullam siue ætatis, seu famæ rationem habeant, nec, quanquam suæ imperitiæ conscij, aliquid in manus hominum dare vereantur, etiam vix puberes & inuestes, vt cum Tertulliano loquar, aliquod schedium, inconditum, & inelaboratum, vt Lucilij verbis vtar, publicare audent. Ita se res habet, vt isti adolescentuli in dolio figulinam discant, ad quos qui hæc Varronis referre velit, non valde repugnabo: *Tam nesciunt docere quàm discere quæ ignorant.* Horum nemo est qui de se non magnificè sentiat: *Quotusquisque vel ætati alterius, vel auctoritati vt minor cedat? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exemplo sunt,* vt grauissimè à Plinio Nepote pronuntiatum est. Ob tenellam pene pueritiæ ætatem sibi ignosci postulant. Istud Catonis de Albino, qui veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset in opere ab eo conscripto erratum, postulauerat legisse oportuit. *Næ tu Aule*, inquit, *Cato, nimium nugator es, cùm maluisti culpam deprecari, quàm culpâ carere. Nam petere veniam solemus, aut cùm prudentes errauimus, aut cùm noxam imperio compellentis admisimus. Te oro*, inquit ille, *quis perpulit vt id committeres, quod priusquam faceres, peteres vti ignosceretur?* Hæc Macrobius. Illi cogitent neminem vllum ingenij sui fœtum edere debere, quin simul periculum præstet rectæ scriptionis à se profectæ: Nam Cornelio Seuero teste,

Turpe est sine pignore carmen.

Præcocia ista sunt ingenia, verùm Plinio auunculo, *Quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt.* Adonidis hortos nominat Iulianus ille Augustus, qui nobis Apostata. Et

Tertull. *Lucil. Satyr.* *Varro li. 8. de lingua Lat.* *Plin. li. 8. ep. 23.* *Macrob. præfat. Saturn.* *Cornel. Suet. Ætica.* *Plin. li. 21. hist. nat. c. 1.* *Iulian. Cæsarib.*

quanquam mens nostra velut ager feracissimus rerum dicendarum & scribendarum copia plus satis abundet, at præstat compositius cuncta, quàm festinantius agere, vt est à Tacito proditum. Cui rei firmandæ exemplum affert Hesychius Illustrius de Epicuro & Chrysippo, qui nimia scribendi festinatione multa parum castigata ediderunt. Persimiles id genus scriptores oratoribus de quibus ista Plinius, *Qui dicunt, egisse malunt quàm agere, vt & qui audiunt finire magis quàm iudicare;* non secus ac qui concitatissima mentis celeritate aliquid scribere aggrediuntur. Neque quantum scribas, sed quid scribas cogitandum; non enim eorum sententiam probare possum, qui cuiusuis scriptoris industriam, eruditionemque, librorum editorum mole metiri solent, *Magnus liber, magnum malum,* aiebat apud Athenæum Callimachus Grammaticus, cui affine illud est quod habet Martialis:

Tacit. l. 15. Hesych. Epicur.

Plin. li. 6. ep. 2.

Athen. l. 3. c. 1.

Martial. l. 1. Epigr. vlt.

Cùm legisse satis non est Epigrammata centum,
Nil illi satis est Cæciliane mali.

Isidori Glossario, *pessimus*, id est, *verbosus.* Et certè istiusmodi scriptores quorum omnis cura cogitatioque in eo posita est, vt ingentis molis libros edant, sæpius omnia vndiquaque coaceruant & congerunt, quantumvis ad rem sæpè non pertineant, vt libri quos scribunt in immensum excrescant. Lepidè Martialis:

Martial. li. 6. Epigr. 19.

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abesse furto,
Hoc Iudex sibi postulat probari,
Tu Cannas Mithridaticumque bellum:
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Mutiosque,

Magna

Magna voce ſonas, manuque tota,
Iam dic, Poſthume, de tribus capellis.

Senecæ epiſt. 64. Iſta vera eſſe quotidie experimur. Quorundam ſcripta clarum habent tantum nomen: cætera exanguia ſunt, inſtituunt, diſputant, cauillantur. Non faciunt animum, quia non habent.

CAP. XII.

De Lectoribus, & iudicio librorum editorum.

QVoniam de noſtrorum operum iudicibus agendum eſt, peritos ab imperitis, eruditos à plebeiis & ignaris primùm ſecernamus. Quod vt facilius ſtatuamus, certum eſt nos ipſos, aut amicos, aut extraneos noſtrorum ſcriptorum iudices exiſtere. A nobis quale de noſtris iudicium expectandum ſit, non eſt difficile diuinare. Nemo ſui ipſius operis iudex legitimus eſſe poteſt. Meritò B. Ambroſius: *Vnumquemque fallunt ſua ſcripta, & auctorem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant.* Ennodio Ticinenſi: *Qui in prole cenſuram negligit, conceptum magis deſignat ſibi placere, quàm meritum.* Abſit à probis ſcriptoribus iſta indulgentia; ingenioſum Poëtam potius æmulentur, dum ait, *D. Ambr. ep. 40.* *Ennod. Ticin. lib. 4. ep. 4.*

Multa quidem ſcripſi, ſed quæ vitioſa putaui, *Ouid. li. 4. Triſt. Eleg. 10.*
Emendaturis ignibus ipſe dedi.

Amicos ſi iudices noſtrarum vigiliarum expetamus, quàm vereor ne benigniores quàm veriores experiamur. Nam vt rectè ſcripſit Symmachus, *Fit ſæpè vt amicorum dicta factaque ea indulgentia cenſeamus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra diligamus.* De qua re aliter Plinius Nepos, qui *Symmac. li. 1. ep. 72* *Plin. li. 1. ep. 20. & 5. ep. 3.*

ſui ingenij monumenta apud amicos recitare, id ad emendationem maximè conducere demonſtrat. At ne cui hac in parte ſuſpicio aliqua relinquatur, extranei potius iudices nobis quærendi ſunt. Sed quoniam de noſtris ſcriptis iudicium eſt ferendum, prius ea legi neceſſum eſt. Illud cuique ſcriptori maximè optandum videtur, vt eius libri in lectores idoneos incidant, tum enim perſimiles habituri ſunt iudices: quanquam non defuturi ſunt qui Lucilij iſtud vſurpent:

Lucil. Sat.

Perſium non curo legere, Lælium Decimum volo.

Satyrographus ille ſiquidem dicere ſolebat, vt refert Orator Princeps, ea quæ ſcriberet neque ab indoctiſſimis, neque à doctiſſimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe quàm ipſe noſſet qui ſcripſiſſet: Sic & lectorum longè acutiorum iudicium reformidans, aiebat, Tarentinis ſe & Conſentinis, & Siculis ſcribere. De extraneis nunc videndum, ac primùm, vulgus & imperitam plebeculam vt à lectione, ita à iudicio penitus reijciendam eſſe, quiſquis Muſas & pudicas & virgines eſſe percupiat, ſine vlla dubitatione cenſebit. Apud Liuium, *Vulgus in certaminibus ludicris, deteriori & infirmiori fauet.* Et ſæpiſſimè quidem, apud plebeïos homines præponderant *violenta moderatis, plura paucioribus, iucunda ſeriis*, vt cum B. Ambroſio loquar. Et iſti planè digni quos oblectent Lybici libri de erroribus & peregrinationibus Hannonis Carthaginenſis, vt habet prouerbium Græcorum; quibus affines eſſe dixerim Lamias, turres & pectines Solis, quos pueris narrant Africanæ nutrices, vt refert Tertullianus, Athenæo referente. Stratonicus cùm Polydas ſuperbiret, eo quod Philotas ipſius Diſcipulus Timothæum Muſicum præſtantiſſimũ cantu ſuperaſſet, dixit Timothæum νόμους,

Cicer. 2. de Orat. & 1. de Leg.

Liu. li. 42.

S. Ambr. li. 1. ep. 3.

Tertull. aduerſus Valent. Athenæus li. 8. c. 11.

id est, Sapientum decreta & sanctiones consectari, Philotam verò ψηφίσματα, i. plebiscita, quæ optimis sanctionibus sæpius derogant. Quis igitur populum iudicem patiatur nostrorum scriptorum, qui de vnoquoq; nostrûm non nisi vel odio, vel affectu pronuntiare solet, imo ne iudex quidem habendus est: cùm enim ad eum prouocatur istud *à Iudice ad Coronam* prouocari dixit Seneca. Narrat Plinius Nepos Pomponium scriptorem Tragœdiarum si quid familiarior amicus tollendum censeret, ipse retinendum arbitraretur, dicere solitum, *Ad populum prouoco.* Tantum ille populo dabat quod planè iniquum esse Plinius ipse existimat. Iure igitur exclamat Horatius: *Senec. 1. de Ira, c. 12. Plin. li. 7. ep. 17.*

Odi profanum vulgus, & arceo. Ita Virgilius: *Horat. l. 3. Ode 1.*

Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo. *Virgil. Catalect.*

Neque enim ad vulgi captum scribere debemus. Quod & appositè monuisse videtur Horatius idem,

Neque te vt miretur turba, labores. *Horat. Art. Poët.*

Eam ob causam alij nobis sunt quærẽdi Iudices, qui & peritè & candidè de nostris iudicent. Peritè dixi, vt nemo de nostris scriptis iudicium ferat, nisi qui eius scientiæ, ad quam nostra spectant, cognitionẽ habeat. Aristoteli Philosophorũ præstantissimo, iudicium de rebus quæ ad hominum societatem spectant, nonnisi vel à cognitione, vel ab vsu petendum esse constat. Elegans de ea re dissertatio est apud Maxim. Tyrium. Trita est omnium sermone sententia, quam pluribus explicat B. Hieronymus ex vtroque Fabio, Pictore & Quintiliano: *Fœlices essent artes si de illis soli artifices iudicarent, Poëtam non potest nosse nisi qui versum potest struere: Philosophos non intelligit, nisi qui scit dogmatum varietates.* Itaque Theologi de Theologis, Iurisconsulti de Iurisconsultis, Medici de Medicis iudicent. Planè ridi- *Arist. li. 3. Polit. c. 7. Maxim. Tyr. disser. 39. S. Hieron. epist. 26. ad Pammach.*

culum videri debet si Grammaticus Theologum agat, aut si quis Theologica *oculis Grammaticis*, vt loquitur Seneca, legat & examinet. Illud certè æquo animo ferendum non videtur, si quis nostra obtrectandi & reprehendẽdi studio legat. *Nemo nostrûm non peccat, homines sumus, non Dij*, aiebat ille. Seneca, quanquam Catonianæ regulæ addictus: *Peccauimus*, inquit, *omnes, alij grauia, alij leuiora, alij ex destinato, alij fortè impulsi; Vt omnia remissionis genera breuiter amplectar, homo sum*, aiebat Plinius Nepos; & eo facilius veniam consequi merebitur, qui ingrauescente ætate & deuexa senectute, vt Seneca loquitur, quoniam ita necessum est: *In antiqua studia, & ad meliores annos respicere cogitur*, quemadmodum à M. Seneca proditum est. Ac vno nomine quoniam vnicuiq; scriptori exerrare procliuè est, sic vicissim boni consulat si sui lapsus amicè moneatur, neque hunc emendare cunctetur, vel tergiuersetur. Meminerit aureę istius sententię B. Augustini: *Dicti mali, vel stulti, vel incommodi pœnitere cordatorum est*. Liuor interim non aliter quàm Silenus ille apud Iulianum Apostatam in Cæsaribus, vniuersim cunctos arrodit & vellicat. Seneca Pater, Suasor. 2. Ne Grammaticorum quidem calumnia ab omnib. magnis ingeniis submouenda. Generosè Phœdrus de suo libello istud scripsit: *Hunc obtrectare si volet malignitas, imitari dum non possit, obtrectet licet*. Verè Symmachus: *Mediocribus*, inquit, *scriptis amicorum benignitas scit fauere, alienorum inuidia nescit ignoscere?* Etiam illustrioribus quibusque scriptoribus Momi illi minime parcunt, & cum imi subsellii viris componunt. Sed *purpura ad purpuram examinanda est*, vt ait Vopiscus. Ea res Ouidio ansam non immeritò conquerendi dedisse videtur:

Candor in hoc æuo res intermortua penè.

Seneca ep. 108.
Senec. 1. de Clem. c. 6.
Plin. lib. 5. ep. 3.
Sen. præf. Controu.
B. August. ep. 7.
Phœdrus lib. 4. fin.
Symmac. lib. 5. ep. 83.
Vopiscus Aurel.
Ouid. de Ponto, li. 2. Eleg. 5.

Moneant nos Censores id genus, ac citra odium, si tantisper aberrauimus, si à via deflexímus, benignè rectum iter demonstrent, amica obiurgatio plurimum apud placidas mentes valere solet, increpatio stomachi plena ingrata penitus, siquidem conuitiandi magis quàm docendi studium præ se ferre videatur. Quàm ingenuè & candidè B. Ambrosius: *Ego eorum beneficio annuero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moueri.* Quàm blandè Marcellus, qui sub Theodosio Magno, de Medicina Poëmatium scripsit: *S. Ambr. epist. 47.* *Marcell. de Medic.*

Quisque tamen nostrum hoc studium dignabére, quæso
Præstes iudicium purum, mentemque benignam.

Quamuis capitones istos & plus æquo obstinaciores, non possim non damnare, qui quanquam suorum erratorum peramanter moniti, aut præ pudore, imperitè, siue ineptè à se scripta emendare non audent, aut singulari peruicacia se peccasse pernegant, quique iuxta Accij dictum, *Nisi probrum omnia alia indelicta æstimant;* quorum audacia nullis & veritatis & rationum momentis superari potest. Et nescio an præter ordinem aliquid tentandum sit: *Accius Helen.*

Cùm tamen ista filix nullo mansuescat aratro. *Persius Satyr. 4.*

vt Persij imitatione istud exprimam. Ac eo magis vbi tantillũ pietas religioq; Diuini Numinis violetur. Tum enim aptius nullum coërcendæ istius impietatis exemplum desumi potest quàm ex illa narratione Taciti de igne, apud Iuhonum ciuitatem è terra edito, *Qui cùm extingui non posset, non si imbres caderent, non si fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur, donec inopia remedij, & ira cladis, agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis, propius suggressi, ictu fustium aliisq; verberibus, vt feras, absterrebant, postremo tegmina corpori direpta iniiciunt, quanto magis profana & vsu polluta, tanto magis oppressura ignes.* *Tacit. l. 13.*

CAP. XIII.

Censura.

SEd tandem quid lectores & iudices nostrorum scriptorum in iis reprehensione dignum existiment expendamus, quod triplicis generis esse arbitror, aut enim materiæ quæ tractatur, aut dispositionis, aut styli peccatum est. Dignitas materiæ parem expostulat tractationem inquiunt illi; itaque si quid prætermissum fuerit, etiam quamtumuis exiguum, totum quidquid sit repudiandum censent. Vbi scriptor pro ingenij sui solertia, & fœlicitate omnem adhibuerit operam in illa materia eiusque singulis partibus indagandis & explorandis, ac nihilominus quidpiam illum latuerit, planè venia dignus censendus est. Audiant illi Senecam, *Multa seculis tunc futuris cum memoria nostri exoluerit reseruantur.* Et alio loco: *Veniet tempus quo ista quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris æui diligentia.* Quod ex Plotino Platonico comprobat Theodoretus: Manilius id affirmat cum ait,

Senec. lib. 7. quæst. natur. c. 31.
Senec. eodem lib. c. 25.
Theodor. lib. 6. curat.

Semper enim ex alijs alias proseminat vsus.

Artes autem intelligit. Non aliter Gratio primi homines:

Grat. Cyneg.
Manil. lib. 1.

Contiguas didicere ex artibus artes.

Proferere. Eodem pacto Lactantius, *Iam plura prioribus seculis incognita necessitas, & vsus inuenit.* Varronis sententię omnino standum esse arbitror: *Nemo omnia potest scire.* Sed vnum hoc me malè habet, quod Censores isti cum antiquitas venerationi potius esse debeat quàm reprehēsioni, ab ea tamen sugillanda minimè abstineant. Cephisidorus Isocratis discipulus aiebat, reperiri posse vnum vel alterum

Varro 2. de re rust. c. 1.
Athenæ. lib. 3. c. 34.

dictum, quod à summis Poëtis vel Sophistis parum rectè sit pronuntiatum. Placet istud Senecæ, *Ingenia summorum virorum non leuiter tractanda & examinanda*, & vno nomine, *veteres cum excusatione audiendi sunt*, aiebat Seneca ipse. In recentioribus perstringendis, non pauci plus æquo sibi indulgent, & quo audaciores existunt, eò magis in alienis carpendis sibi licere putant, ac si valeant aliquando

Senec. ep. 33.

Senec. lib. 6. quest. nat. c. 5.

Victo leges imponere Cœlo,

vt loquitur Cornelius Seuerus. Neque tamen excusatione digni sunt habendi qui cum nobilem quandam & amplam ad scribendum materiam sibi proposuerint, adeò ieiunè & exiliter in ea pertractanda versati sunt, vt sibi satis esse putarent, si elegantes orationis flosculos, & quasi meras nugas potius quàm solidæ eruditionis quidquam adhiberent. Illi similes mihi videntur aui cuipiam, quæ à Græcis κέπφος vocatur, hæc vilis admodum & nullius pretij, è mari volitans & spumas edens, quæ corpore quidem plumosa, sed carne strigosa, & quasi ossea, dum parturit clamore littora implet: Addunt & hoc de nonnullis qui vt lectoribus, seu minus peritis, seu nimium credulis, fucum facilius faciant, operum elegantes titulos excogitant. Dicam cum Seneca, *Frons ipsa dat locum fabulæ, & ad malam spem inuitat*; & vt ait Lucilius,

Cornel. Seuer. Æthna.

Senec. lib. de vita Beata.

Principio exitu dignus exodiumque sequetur.

Symmachus quam-bellè, *Sine argumento rerum, loquacitas morosa displicet*. Sed plerisque Græcorum is mos est, auctore Plinio Nepote, vt illis sit pro copia volubilitas. Asianus ille tumor Attico sale siccandus est, vt aiebãt veteres. Ac propterea lectores ipsi ex horum scriptorum lectione fructum vberrimum sperare nec possunt, nec debent. Ita vicissim eos reprehensioni minus obnoxios dixerim, qui

Symmac. lib. 10. epist. 51.

Plin. lib. 5. epist. 20.

rerum magis quàm verborum solliciti, quamquam propositam materiam pro dignitate, vt par est, minimè pertractent, omnem tamen industriam suam omnémque ingenij sui conatum adhibuisse satis apertè testantur:

In magnis voluisse sat est

Propert. eleg. 10. ait Propertius. Ita Plinius Auunculus ad Vespasianum *Plin. Præfat. hist.* Augustum, *Etiam non assecutis voluisse abundè pulchrum atque magnificum est.* *Saluian. Præfat.* Saluianus noster eodem modo, *Mens boni studij ac pij voti, etiamsi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.* Quin etiam si quis in huius operis parte aliqua, velut loco confragoso cespitauerit, libenter ei condonandum puto. *Senec. lib. 6. quæst. nat. c. 28.* Apud Senecam, *Non est facilè inter magna non desipere.* De materia leui, nec alioqui magni momenti non valde laborandum arbitror. *Lucil. Satyr.* Dicam cum Lucilio,

Nemo hic vindicias, neque Sacra, aut Numina retur.

Ouid. 2. de Pont. Eleg. 5. Merito itaque Ouidius,

Dum tamen in rebus tentamus carmina paruis,
Materiæ gracili sufficit ingenium.

Nunc operis distributio dispositioque explicanda est, *Caßiod. lib. 5. epist. 16.* equidem rectè Cassiodorus, *Præclarè cogitata, si non benè agantur, ingrata sunt.* Ita est in iis quæ nos & scribimus & publicamus. Apta & concinna collocatio eorum quæ tractantur, quàm bellè cedit, quàm facilè ex animo lectoris tædium omne fastidiumque dispellit. *Arrian. lib. 1. c. 24.* Epictetus apud Arrianum, nihil ineptius esse docet, cùm quis Poëta in Tragœdia, viles humilioresque fortunæ homines inducit, quandoquidem soli Reges, Principes & Magnates in ea locum habere debeant. *Horat. Art. Poët.* Quod antea Horatius monuerat. Sic qui citra rei propositæ grauitatem & decorum, multa perturbatè, cõfusè & demissè obtrudunt, adeò vt ista tam benè

cum

cum re subiecta cohæreant, quàm crepidæ clauus trabalis; Parerga perpetua voluisse scribere, quis non existimet? vnoquoque momento à subiectâ materiâ digrediuntur, atque hoc vnum conari, vt ab operis mole & magnitudine commendentur. Senecæ, *Vulgo magna pro bonis sunt*, Sed vulgò, sed imperitis. Scio Aristophanem Grammaticum ex Archilochi Iambis eum qui longissimus esset tantum probasse. Noui istud Plinij Iunioris, *M. Tullij oratio optima fertur esse quæ maxima*; subditque & *Hercule vt aliæ bonæ res, ita bonus liber, melior est quisque quo maior*. Verum huiusce controuersiæ non alium legerim arbitrum quàm Plinium ipsum, dum ita pronuntiat: *Primum ego officium scriptoris existimo, vt Titulum suum legat atque identidem interroget se, quid cœperit scribere, sciatque si materiæ immoratur non esse longum, longissimum si aliquid accersit atque attrahit*. Martialis ad eam rem accommodatè,

Senec. epist. 118.

Plin. lib. 1. epist. 20.

Martial. lib. 7. Epig. 77.

Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis,
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

Orationis alia ratio videri potest, quæ niuibus hybernis similis esse debeat, si Plinio Nepoti credimus, id est, *Crebra, assidua, & larga sit, in qua præuaricatio est transire dicenda, præuaricatio etiam cursim, & breuiter attingere quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda; Nam plerisque longiore tractu vis quædam & pondus accedit*. Hæc quidem in solis orationibus locum habere minimè arbitror, cùm ista vel maximè in iis operibus, vbi cum aliquo aduersario depugnandum est, desiderentur: Quàm præstat in cæteris lectorem prolixitatem desiderare potius, quàm tædium profiteri. Symmachus mihi auctor, *Honos est ingenij cum desideratur vbertas: Odi in paruo corpore longa velamina, illa vestis decenter induitur quæ non trahit puluerem, nec in humum*

Plin. lib. 1. epist. 20.

Symmac. lib. 3. epist. 10.

Symmac. eo lib. epist. 57. demissa calcatur. Ille idem alio loco: *Vt desideranti prolixitas grata est, ita displicere non poterit breuitas occupato.* Placet & vel maximè istud eiusdem: *Odi parsimoniam verborum bonorum.* Ita se res habet, vt cum quidpiam scribimus quod in lucem aspectumque omnium veniat, non tantum rei subiectæ, sed & lectorum aliquam habeamus rationem, maximè eruditorũ, nam de imperitis & fungini generis hominibus quis cordatus scriptor cogitabit? Rectè Martialis,

Symmac. lib. 1. epist. 39.

Martial. lib. 2. Epigram. 86.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum
Scribat carmina circulis Palæmon,
Me raris iuuat auribus placere.

Martial. lib. 4. Epigram. 29.

Istud ad suum gustum edixit Martialis idem,

Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.

Nec minus certè ad sinceram existimationem faciet, hæc concisa scribendi ratio operisque conuenienter scripti breuitas, quàm laciniosa quæuis & ineptè morosa dissertatatio. Sic Cornelius Celsus,

Epigram. lib. 2.

Nec minus est nobis per pauca volumina famæ,
Quàm quos nulla satis bibliotheca capit.

Plin. lib. 9. epist. 29.

Senec. præf. lib. 3. contr.

Mihi semper plurimum arrisit istud Plinij Nepotis, *Vt satius est vnum aliquid insigniter facere, quàm plurima mediocriter, si non poßis vnum aliquid insigniter. Magna ingenia,* aiebat M. Seneca, *nunquam plus quàm in vno eminuerunt opere,* Sed quod istius modi fuerit, vt in eo condendo nihil laboris, diligẽtiæ & doctrinæ pretermitti debuit. Deinde qui mediocri ingenio præditus fuerit, pro industriæ suæ modulo, sui similibus duntaxat sibi satisfaciendum esse cogitabit. Ecquid maius vel pręstantius ab eo reposcas? *Exilis ingenij,* aiebat B. Cyprian. *angusta mediocritas tenues ad-*

modum fruges parit, multis ad copiam fœcundi cespitis culmis ingrauescit. Ad rectam scribendarum rerum collocationem tandem redeo, & qui diuina atque cœlestia in litteras referre cupiunt, Synesij & eruditissimi Philosophi, ita sanctissimi Episcopi sententiam sibi ob oculos ponant. A diuinatione, vt ipse loquitur, μαντεία, ego afflatum quendam diuinum intelligo, sententiam sæpe præparari, dictionem accommodari, interdum vniuersam verborum structuram redundantem, & votum nouitate turgentem, à veteri loquendi norma degenerantem castigari dixit. Sed *vbi vult spiritus spirat.* Nemo in hac parte etiam ob vitæ sanctimoniam plus æquo sibi blandiatur: *Nihil est inepta hominum persuasione falsius*, aiebat veterum aliquis. Postremum superest reprehensionis caput, de stylo nimirum. Maxima quæque & grandia non nisi grauissimo dicendi genere explicari debent. *Synes. lib. de Insom.*

Sed magnæ Numina Romæ

Non ita cantari debent, vt ouile Menalcæ, *Calpurn. Egl. 4.*

quemadmodum cecinit Calpurnius. Et quid aliud vocem, demissum & humilem sermonem explicandæ rei præstantissimæ adhibitum, quàm *pannum in purpura positum?* vt loquitur Næuius. Veruntamen vnicuique rei quam tractamus accommodata oratio vsurpari debet. Sunt enim Theologica, & quæ de rebus diuinis agunt, quorũ sunt voces propriæ & peculiaris stylus. In iis, quod de Philosophorum scriptis dixit Seneca, *Pressa omnia & rei aptata adhibenda sunt:* Theologi *non efferat se oratio, ne longius quàm destinauerit, trahat, inelaborata sequatur,* Theologus *quantũ velit, & plus significet quã loquatur. Hoc maioris rei inditium est, apparet animum quoque nihil habere superuacui, nihil tumidi.* Addo etiam quod de Philosophi sermone alio *Senec. epist. 59.*

loco dixit & aptissimè ad Theologum scriptorē referam; *Non ieiuna esse & arida velim, quæ de rebus* tam *magnis*, & planè Theologicis *dicentur. Neque enim* Theologia *ingenio renuntiat, multum tamen operæ impendi verbis non oportet:* Sit *sermo illaboratus propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur, quod loquimur sentiamus.* Scholasticæ Theologiæ argutias quo stylo explices? homines delicatuli, has non minus derident, quàm mulierum voces præficarum, & quemadmodū M. Cato Philosophos, sic isti Theologos Scholasticos, *Mera mortuaria glossaria* appellare non dubitant. Sed si veteres Romani Saliorum carmina & Pontificum Annales, religionis ergò, quantumuis ignotis, peregrinis & barbaris dictionibus refertos, retinuerunt, quidni ad doctrinæ Christianæ illustrationem non parum conducentes istius Theologiæ voces vsurpabimus? Quanquam si illas paulo asperiores & rudiores aliquis emolliat & blandioribus ac lenioribus Latinis exprimat, non minimam à nostris Scholasticæ studiosis gratiam inibit. Primus, ni fallor, Paulus Cortesius Scolasticam Theologiam à Latini sermonis puritate & proprietate minimè abhorrere docuit, scriptis ante annos centum, eleganti stylo, quatuor sententiarum libris. Interea verò, si quis Theologus, quæ ad mores pertinet, Theologiā explicet, aut conciones scribat, multò liberior stylus illi conceditur: tum enim, vt ista Senecæ vsurpem, *Ex eadem materia suis quemque studijs apta colligere perspiciemus. In eodē prato*, inquit Stoïcus ipse Romanus, *bos herbā quærit, canis leporē, ciconia lacertū:* Hinc Theologiæ cādidatus, hinc Philosophiæ deditus, hinc Philologus, hinc Grāmaticus, alius alio curam suam mittit. Sed meipsum comprimo, si enim per singulas disciplinas nostra eiuscemodi excurreret oratio, contra in-

Senec. epist. 75.

Agell. lib. 18. cap. 7.

Senec. epist. 108.

ſtitutam breuitatem non leuiter peccare viderer. Vnum tamen addere liceat, apud Theologos maximum eſſe diſcrimen inter conciones ſcriptas, & eas quæ habentur ad populum, non ſecus atque inter prorſam & vorſam orationem; quæ ſoluta oratione dicuntur, non abſque negligentia audiuntur, minuſque percutiunt, vbi acceſſere numeri & egregium ſenſum adſtrinxere certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. Non aliter concio ſcripta & pronuntiata, ipſa licet omni verborum lepore & lenociniis ac mirifico apparatu exculta legatur, languidius incurrit in animum, ac viua vox multo magis afficit, quemadmodum veteres rectiſſimè iudicarunt: de qua re pluribus in perfecti Concionatoris idæa dicendum foret. Neque verò illud meritò debet omitti, quod ſæpius id quod eſt obuium & vulgare, nullo elocutionis nitore dignum iudicamus. Verùm, vt ex Salluſtio refert Seneca, *Nihil magis cum cura dicendum, quàm quod in manibus eſt.* Totum hoc eleganti Plinij Nepotis loco concludere liceat, vt vnuſquiſque qui lucubrationes ſuas publici iuris facere cogitat, iſtud Plinij ſibi dictum putet: *Cogita quàm ſit magnnm dare aliquid in manus hominum, nec perſuadere mihi poſſum, non & cum multis, & ſæpe tractandum, quod placere & ſemper & omnibus cupias.*

Sen. li. 4. de Benef. c. 1.

Plin. lib. 4. epiſt. 17.



IOANNES PETRVS ROSSETVS Doct. Theolog. Parif.

BENEDICTO KERVILLÆO Theologo Parifienfi, S. P.



POSTREMIS tuis litteris beaſti me, ſuauiſſime Keruillæe, dum te ex ancipiti & periculoſo morbo euaſiſſe ſcribis. Audio te Lutetiam cogitare, an huiuſmodi itinere nuper reſtituta valetudo plus roboris firmitatiſq; conſecutura ſit neſcio, auſim tamen polliceri, animo te longê melius habiturum. Cogita quàm iucundiſſimus futurus ſit conſpectus tuus amicis omnibus, & iis præſertim qui vnà tecum in circo Theologico varias & multiplices certationes, decurſioneſve abſoluerunt. Qui ioci, qui riſus, & poſt hos pietatis, eruditionis, grauitatis, ac moderationis pleniſſimi congreſſus. Video te iam ipſos percontari, quid in ſacro ordine noſtro Theologico non ita pridem memoratu dignum geſtum ſit. Omnia enumerare qui vellem? Noſti qui nos oppugnent, nec vnius generis. Domeſtico diſſidio, & veluti febre ex interuallo recurrente, noſtram Facultatem imminui, & reſcies & dolebis, ſat ſcio, externis non tam dolis & inſidiis, quàm apertis armis peti, id tibi, non ſine maximo animi mœrore, pluſquam par ſit, perſpicuum fiet. Sed ſine tuum ab hac moleſta &

ingrata cogitatione animum auocem, & ride mecum, nostram Facultatem Theologicam carere nomine. Corpus dici non placet quibusdam. Quidni? Vnius ordinis istius Parisiensis tot tantosque Doctores existere, fumus illorum oculis. Quàm lubenter *Capitulum* vocarent, quatenus ex sententia Iuris Pontificij peritorum tres *Capitulum* facere dicuntur, quin & familiam, quum tres efficiant, vt Iurisconsulti affirmant ad mentem legis, *Neratius Priscus, ff. de verb. signif.* Ita Poëta Romanus ad Pontum Euxinum, lib. Fast. 4.

Tota domus læta est, hoc est, materq; paterq;
Nataque; tres illi tota fuêre domus.

Tres Ecclesiam facere dicuntur Tertulliano lib. de Baptismo. Sed de hac Septimij Florentis sententia amplius deliberandum censeo, vt cum Iurisconsultis loquar. Etiam tres *Monasterium* faciunt, ait Leo sapiens Imperator, Nouella 14. Addam & iuxta prouerbium vulgi, tres mulieres nundinas exhibere. Sed vt ipsi aliquantum se sapere demonstrent, leniter in nos sæuient, nec tam exiguo numero, vt pote ternario, omnes nostræ Facultatis Doctores comprehendi volent, quindecim numerari saltem concedent. Incredibilis misericordia. Etiam *quindecim homines populus est* (seu δῆμον, seu κώμην interpreteris, ex Aristotele de Arte Poëtica) *totidem serui familia, totidem vincti ergastulum*, vt prodit ille Madaurensis. Eo quidem numero duntaxat totius nostri ordinis Doctores contineri, si in votis habeant, etiam *Collegij* nomen huic adsignari non valde repugnabunt, nisi forsan ex sententia Neratij Prisci Iurisconsulti, qui tres *Collegium* efficere dixit, loco superius allato. Sed à *Corporis* appellatione quid est quod tantoperè abhorrent? *Corporis* & *Vniuersitatis* vocabula pro

eodem Iuriſconſulti vſurpare amant, poſterius hoc deli-catulis iſtis ſtomachum mouere nullus dubito. Verùm cur *Corporis* nomen recuſent, dum *Collegij* vltro conce-dunt, non video. Hæc paſſim leges copulare videmus, *ff. lib.* 47. *tit.* 22. qui eſt *de Collegijs & Corporibus*. Idem Ba-ſilicorum lib. 8. titulus eſt, περὶ συστημάτων καὶ σωματείων, & contextus ipſe, ἑταιρείας, συστήματα καὶ σωμάτια ſimul me-morat, ac ſi horum trium vna eademque ſit necnon com-munis notio. Quanquam Scholiaſtes Græcus ad titulum 32. Βασιλικῶν, tenuiorum ἑταιρείας, quæ in Eccleſiis fiant, κράματα vulgò appellari teſtetur. Et quidem titulus ille 32. Βασιλικῶν edente & interprete Cujatio Iuriſconſultorum noſtri æui principe, habet epigraphem eiuſmodi de *Colle-giis, Sodalitiis & Corporibus*, qui alioquin in libris Βασιλι-κῶν, Leunclauij deſideratur. Interim ἑταιρεῖαι, quæ Dioni lib. 48. nominantur, & nos *Sodalitia*, ſiue populari voce, *Fratrias* dicimus, vide prauo ſenſu vſurpari Concilio Cal-cedonenſi, cap. 18. vbi φράτρεια non aliter prohibetur, quàm quod ſit ex interpretatione Zonaræ & Balſamonis, διαβούλιον κακότελες, conſilium & conuenticulum ad quid-uis improbè moliendum & agendum inſtitutum. Ad no-ſtras voces *Corporis* & *Collegij* redeo, & quę artificum non-nullorum *Collegia*, in Pandectis vocantur, in Codice, *Corpora* dici video. Addo & in Codice Theodoſiano, lib. 14. tit. 2. Vrbis æternæ ſeu Romæ, varia *Corpora* homi-num vniuerſim dici, quæ aliàs *Collegiorum* nomine cen-ſentur. Idem legere eſt Codicis Iuſtinianæi lib. 3. tit. 23. Præterea eiuſdem libri tit. 38. *Corpora communia*, quæ nun-cupantur Cod. Theodoſ. lib. 12. tit. 1. *Collegia ſingularum vrbium* appellantur, niſi quis malit illa de artificum *Cor-poribus* explicare, quorum meminit etiam Lampridius in

Alexand.

Alexand. Seuero. Eodem insuper libro 14. Cod. Theodos. *Corpora Caudicariorum, Catabolensium, Pistorum, Centonariorum, Fabrorum, Dendrofororum, Saccoriorum* habes expressa, quemadmodum *Fabricensium Corpus*, Nouell. titulo 11. Quin si nostrum Ordinem *Collegium* dici malint quàm *Corpus*, discant *Collegiatos* & *Corporatos* promiscuo nomine exprimi vtroque Codice. Forsan pro non obscura erga nos simultate, *Corporum* Artificum exemplo, Facultatem nostram *Corpus* appellari vltrò patientur, ac si non pluris facienda, nec maiori habenda in pretio, quàm vel *Pistorum, vel Suariorum Corpus.* Belli homines qui aut ignorant, aut dissimulant, lege Constantij Augusti, *Pistorum Corpus*, Reipublicæ necessarium videri. Et idcirco fouendum. Cod. Theodos. lib. 14. titulo 2. necnon Gratiani, optimi Imperatoris, lege prohibitum, ne *Corpus suariorum siue porcinariorum* sordidis vnquam muneribus subiaceat, quandoquidem laborem populi Romani commodis exhibeat. Theologicum nostrum ordinem minimè Reipublicæ Christianæ necessarium existere si dixerint, audio iam Prætorem illos ad agnatos & gentiles amandare. Denique res ipsas quas ex instituto & conditione tractamus, sordidas esse, nemo, nisi cui vena secanda sit, pronuntiabit. *Collegium* itaque si tam pertinaciter appellari voluerint, potius quàm quiduis aliud, nostræ Facultatis honori hoc modo probè consultum, nescio quo in eam odio excæcati, non satis aduertunt. *Collegium Decurionum* legant in Pandectis, *ff. lib. 50. tit. 2. de Decurionibus*, ac discant Decuriones velut minores Senatores habitos fuisse, quemadmodum statuit Maio-

rianus Augustus, Nouella de Curialibus, vbi *Curialium* cœtum, antiquitatis iudicio rectè Senatum minorem appellari affirmat. Videbis de ea re itidem Cassiodorum lib. 9. variarum, in Edicto Athalarici. Quinetiam *Collegium Senatus*, siue *Senatorum* nominatur Senatus ipse qui amplissimus & clarissimus ordo, Cod. Theodos. lib. 12. tit. 1. de Decurionibus. Si nostrorum Theologorum Collegium, *Senatum Theologicum* dixero, quàm vereor ne expuant quasi cuiusdam fascini auerruncandi gratia. Mitto quæ apud veteres scriptores Ciceronem, Liuium, Valerium Maximum, Suetonium, Agellium, Macrobium, *Coll gia* & illustrium hominum (sicuti & magistratuum commemorantur, etiam Consulum, quanquam duorum duntaxat, *Collegium* Paterculo dictum, vis vno verbo absoluam. Vbi nostri tam ineptam intellexerunt sententiam, ad Logicen prouocarunt, cuius vix nomen nosse istius opinionis auctores, rectissimè nostri iudicarant. Ecquis enim est tantisper in Dialecticis versatus, qui nesciat generis nomen ipsi speciei attribui? in iure, *Collegium* species, *Corpus* tanquam genus censetur. Itaque Facultas Theologica, siue Collegium Theologorum, *Corporis* velut generis sui nomenclaturam sortiatur necessum est. Si qui aliter sentiant, tu, ni fallor, superstitiosos & Barones meritò appellaueris, quos, vt ille Menæchmus Sosicles apud Plautum, iubebis piari porcis sacris sinceris, & eum præsertim qui hoc excogitato commento, insignem suam prodidit inscitiam, & forsan tunc temporis nodo Herculeo, cui nimium-quantum obnoxius est, deuinctus cùm esset, illum fugit & memoria & ratio. Hæc cùm ad me Lutetiâ scripta fuissent,

tibi ad Regiam illam Metropolim profecturo, pro iure veteris amicitiæ quamprimum significanda esse duxi. Quis verò sit hoc tempore rerum nostrarum status, non est quod scire valde expetas. Scio & gaudeo te apud Aremoricos tuos iucundissimo otio & publica tranquillitate frui. Ego cùm ad meos Albenses me recepissem, & Viuarioni non inglorius degerem, Sectarij isti, omnium mortalium profligatissimi & postremissimi, excitata plusquam Schythica tempestate, de illo suauissimæ quietis statu, & excelso rerum diuinarum explorandarum fastigio deturbarunt nos,

—— Parcè puréque putantes
Viuere cum patria, nunc sumus in rutuba.

Vale, & me tui amantissimum iuxta præceptum Hecatonis amare perge. Viuarione. Calend. April. CIↃ. DC. XXV.



APOLOGIA SMITHEA, SEV De Ecclesiæ Benignitate:

AD CAMILLVM MONTENSEM ANIMADVERSIO.



CVM postremis tuis literis de mea salute nimis anxium & sollicitum te videam, non aliter hac molestia leuatum iri existimaui, quàm si prospera nauigatione vsum me tibi significarem. Eo certè ingenio te natum semper agnoui, vt maritimum iter nimium quantum & reformidares & exhorresceres. Crebrò istud Cestij pij oggerebas : *Nihil est periculosius quàm instructa etiam nauigia, parua materia seiungit fato.* Profectio fœliciter cessit, nec aliter reditus. Hoc tibi facilè persuasero si totius itineris mei Britannici rationem non iam particulatim, sed summatim exponam. Amœnam regionem quę mihi occurrit, deprehendi, & ver perpetuum hîc sedem collocasse facilè crederem, ni aliquando

Seneca Controu. 1. lib. 7.

—— *Fremeret sæua cum grandine vernus*
Iuppiter. ——

Iuuenal. Sat. 5.

Clementissimum & humanissimum Regem vbiuis locorum prædicari audio , Reginæ bonitas & facilitas apud eos iam in prouerbium abiit, & Britanniæ delitias vocant;

vtinam quod illorum est singulare votum, multiplici prole beatam breui detur celebrare. Magnam partem qui apud eos nobili & bono genere nati sunt, etiam ingenio nobiles, qui præsertim vel melioribus literis exculti, vel peregrinationibus perpoliti. Cæteri suapte culpa degeneres abeunt, genus ingenio improbant, vulgus vbi vbi sit semper vulgus est. Nihil mihi tam diuidiæ fuit quàm cernere Britannos lege Sacrorum inter se dissidentes, sed vnum hoc incredibile cordolium, etiam inter Christianos Catholicos, qui hîc clancularij existunt scissuras esse. Forte fortuna in horum vnum incidi, à quo cum satis anxiè tanti dissidij causas inquirerem, à piæ recordationis Reuerendissimi Bishopij Episcopi μακαρίτου carcere Romano, telam exorsus, ad hunc vsque diem narrationem pertexuit. Ille vbertim flens, quamquam non longè absim ab eo genere hominum quod Siccoculum appellant, tamen effecit vt vnam atque alteram lachrymam oculi mei expuerent. Scio te auidè historiam illam à me expectare, non desunt apud eos qui ista oculata fide describãt. Quod postremo loco narrauit, hoc te rescire opere pretium visum est. Episcopus, qui illis à Sancta Sede Apostolica præfectus, pro salute Regis, deinde pro fœlici partu Reginæ grauidæ, preces Christianis Catholicis indixit. Qui vtrumque damnarent reperti sunt, etiam quibus necessum sit nihil eorum quæ in Ecclesia Catholica, aut scripta, aut acta sunt, ignorare. Postremum nulla omnino reprehensione dignum videtur, nec enim nouas precandi formulas Episcopus iste excogitauit, sed velut post Diocletianea tempora, bello, quà personis, quà sacris libris Diuinorum mysteriorum indicto, vtcumque pacato, prisci libelli officiales & rituales Dioceseon Britanniæ reperti

ſunt, in quibus preces eiuſmodi deſignantur, quibus Maiores illorum, Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanę addictiſſimi vſi ſunt. Qui hæc reprehendenda iudicet, non abſimilis ſeni Veronenſi,

Claudian. Epigr.

Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora rubra lacum.

Nec enim, arbitror, alias preces, ſiue probatas, ſeu vſitatas exiſtimat quàm quæ in Liturgico ſuo libello reperiuntur, ſuámque vnicam nouit Diocœſim, ſuoſque peculiares caſtus,

Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.

At quod primum eſt, videlicet ab Epiſcopo ſuis pro Regis ſalute orare imperatum, nullo modo ferendum eſſe dictitant, cùm Princeps ab Eccleſia Catholica Apoſtolica & Romana plane alienus ſit, atque adeo profanus. Reprehenſores iſtos miror, vel ſacras literas minimè perlegiſſe, aut eaſdem cogitatè diſſimulare. Deinde veteris Eccleſiæ morem vſumque omnino ignorare. Iſta ſparſim à Theologis noſtri æui, non paucis occupata, animaduerſa, vna veluti tabella tibi repreſentabo, addamque nonnulla ab iis omiſſa. A veteri Teſtamento initium ducam. Hieremiæ 29. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël omni tráſmigrationi quam tranſtuli de Hieruſalem in Babylonem. Quærite pacem ciuitatis ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Ita qui cum Rege Iechonia in Babyloniam captiui abducti fuerant, ad Sacerdotes & reliquos Iudæos, qui remanſerant in Hieruſalem, ad hunc modum ſcripſerunt. Baruch. 1. *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Balthazar filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies Cœli ſuper terram, & vt det Dominus virtutem nobis & illuminet oculos no-*

ſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub vmbra Balthazar filij eius, & ſeruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in cōſpectu eorum. Machabæorum liber primus, cap. 7. vt & Ioſephus lib. 12. cap. 17. & lib. 2. contra Appionem, narrant Sacerdotes populi Iudaïci ſignificaſſe Nicanori, à Rege Demetrio miſſo, & demonſtraſſe holocauſtomata quæ offerebantur pro ipſo Rege. Eiuſdem libri cap. 12. Ionathas, epiſtola ad Lacedæmonios ſcripta, quo pacto pro iis orarent ſic indicat: *Nos in omni tempore ſine intermiſſione in diebus ſolemnibus, & cæteris quibus oportet, memores ſumus veſtri in ſacrificijs quæ offerimus, & in obſeruationibus, ſicut fas eſt, & decet meminiſſe fratrum.* Philo, de legatione ad C. Cæſarem Caligulam, affirmat Iudæos tres ſolemnes precationes in illius gratiam inſtituiſſe. Primò cum mortuo Tiberio Imperium ſuſcepit. Deinde pro eius ſalute, cùm in morbum grauiſſimum incidiſſet. Tertiò & poſtremò pro voto victoriæ tempore belli Germanici. Nemo eſt qui neſciat Nabuchodonoſor Regem eiuſque filium Balthazar ac vno nomine Aſſyrios omnes Idololatras, & à veri Dei cognitione penitus abhorrentes extitiſſe, necnon de Nicanore Demetrij legato ipſiſq; Lacedęmoniis idem ſentiendum. Caligulam eo impietatis deueniſſe hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores produnt, vt pro Deo haberi & coli voluerit. Attamen pro iis apud Iudæos publicas orationes atque adeo ſacrificia oblata fuiſſe ex Sacra Scriptura hactenus intellexiſti. Sed quid in nouo Teſtamento de ea re præceptum ſit videamus. Apoſtolicam ac proinde Diuinam doctrinam eam accepimus, pro infidelibus orandum eſſe, & quidem publicè, nec enim priuatim id præſtare vllus ſani capitis dubitabit. Gentium Apoſtolum itaque audiamus, ad Timotheum,

1. c. 2. ita scribentem: *Obsecro, igitur, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Locus hic Apostolicus ad id quo de agimus constituendum tanti ponderis est atque momenti, vt non cursim, sed paulo fusius explicandus veniat. Omnium Patrum huius loci interpretum, cùm Gręcorum, tùm Latinorum, is est consensus vt doceant Apostolum velle Christianos pro omnibus hominibus, cuiuscumque conditionis & instituti sint, orare etiam in publicis ipsorum conuentibus & orationibus. S. Chrysostom. & cęteri qui illum secuti sunt Gręci interpretes aptissimè istud adnotant. Quid est quod Apostolus, pro Regibus, primo loco, secundum dignitatis ordinem orandum esse dixit, ne inquiunt quispiam suspicaretur assentari voluisse Apostolum Principibus ipsis cum eos primo loco nominasset. Deinde alius, quod pro omnibus orandum edicit omnium nomine solos fideles siue Christianos intelligendos esse existimare posset: etiam infideles atque adeo Imperatores, qui tum erant à Christiana religione abhorrentes, imo hostes acerbissimi, ex sequentibus Apostoli verbis comprehendi apertissimè contendunt. Quo enim spectant ista, vt quietam & tranquillam vitam agamus, nisi quod innuat Apostolus, pro Imperatoribus istis, tunc temporis & aliquot postea seculis infidelibus, orationes ad Deum allegari debere, quandoquidem in illorum salute securitas nostra consistat, quæ ratio à communi vtilitate, cuius Christiani sunt participes, petita est. At

Deus

Deus pro publico & cōmuni omnium bono atque commodo Principatus, seu Regna & Imperia instituit. Vnde perspicuè colligitur eos qui pro Regibus infidelibus orandum publicè negant, non modo Apostolicæ doctrinæ aduersari, verum etiam in Diuinam prouidentiam, imperiorum authorem, publicamque salutem & vtilitatem peccare. Hinc altera ex ordine iustitiæ ab eodem S. Chrysostomo subiicitur ratio, quod cum ipsi Reges seu Imperatores bella gerant, atque adeo arma tractent & in castris versentur, vt nos in otio & tranquillitate degamus, æquitati consentaneum est, vt nos pro periclitantibus & nostri causa labores, & belli discrimina subeuntibus vicissim preces effundamus. Etiam naturalis ratio istud dictare videtur, nec aliter mutuum auxilium constare posset, quo nos indigere certum est. Est & alia ratio ex eodem sanctissimo Episcopo obseruanda. Ita pro Principibus & iis qui in sublimitate positi sunt, expedit orare, quemadmodum & iisdem obedire. At eiusdem Apostoli præcepto, Rom. 13. Christiani necessitate subditi esse debent Principi suo, quisquis ille sit, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quis igitur cui vel minimus conscientiæ sensus relictus sit, pro Rege etiam infideli publicè orandum esse dubitabit? Sed hæc quæ sequuntur omnem omnino dubitationem tollere videntur: *Hoc enim bonum est*, ait Apostolus, *& acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ista ergo insignis iniuria Christo fit ab eo qui pro infideli Principe publicè orandum neget. Ratio etiam tum seu charitatem, seu cuiusque Principis personam spectes, ex eo loco validissima desumitur. Pro

Regibus etiam infidelibus orare, & quidem publicè ita est bonum & acceptum coram Iesu Christo Saluatore, quemadmodum vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. At Principes etsi infideles non excluduntur è numero eorum quos Deus vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc docent Sacra eloquia locis innumeris, ad cœlum nemini ab bonam frugem redeunti aditum esse interclusum, Ecclesiam piam esse matrem. Elegans ista B. Leonis Magni, epistola 91. ad Theodorum Foro-Iuliensem Episcopum sententia: *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nulla patitur veniæ moras conuersio.* Quis igitur sanæ mentis affirmare ausit pro iis infidelibus publicè orãdum non esse, nisi etiam Christianos Catholicos, publicæ orationis causa conuenientes, communi charitatis sensu carere, atque vniuersam illam de inimicis diligendis Christi legem tunc temporis repudiare dictitet, quod qui senserit Morboniam relegandus mihi videtur. Scio quod de nominatim excommunicatis, & notoriis percussoribus nunc scribant Theologi, sed de ea re hoc loco minimè agitur. Præclara huius loci explicati cõclusio ab eodem B. Chrysostomo repetenda est: Hoc enim bonum, inquit Apostolus, & acceptum est coram Saluatore nostro Deo. Quid illud est? Orare pro omnibus, hoc suscipit Deus, hoc iubet: Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Imitare Deum tuum, si omnes ille vult saluos fieri, meritò pro omnibus oportet orare. Si omnes ille saluos fieri cupit, illius & tu voluntati morem gerere debes; quod si velis eadem, vt par est, sine dubio pro iis orabis quippe volentium est orare. Vides vt omni ex parte cuiusque Christianorum animum inducat Apo-

ſtolus ad orandum etiam pro Gentilibus ipſis, nec non pro hæreticis. B. Auguſtinus epiſtola 59. ad Paulinum, quæſt. 5. alludere videtur ad hanc B. Chryſoſtomi explicationem de oratione pro omnibus etiam Regibus infidelibus facienda, cùm Deus velit omnes homines ſaluos fieri, *Ne quiſquam*, inquit, *ſicut ſe habet humanæ cogitationis infirmitas, exiſtimaret non eſſe iſta facienda pro his à quibus perſecutionem patiebatur Eccleſia, cum membra Chriſti ex omni eſſent hominum genere colligenda.* Ille ipſe S. Auguſtinus ſolens ſuo more, hoc eſt, Diuino ingenij acumine, ſermone 63. de Diuerſis, cap. 9. proferens hunc locum B. Pauli, ex epiſtola 1. ad Timothæum, ita diſſerit: *Quid dicit Hieremias Iudæis tranſmigrantibus de his Babylonijs? Quia in pace ipſorum erit, inquit, pax veſtra. Cùm ergo tranſmigraret etiam per Chriſtum & Apoſtolos Iſraël in Babyloniam, hoc eſt, Euangelium veniret ad Gentes, quid dicit Apoſtolus, quaſi ex voce tunc Hieremiæ? Obſecro primum omnium fieri deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & ijs qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt quietam & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & caſtitate; nondum erant Reges Chriſtiani, & orabat pro eis. Orans ergo Iſraël in Babylonia, exauditus eſt. Exauditæ ſunt voces Eccleſiæ, facti ſunt Chriſtiani, & videtis impleri quod figuraliter dictum eſt, In eorum pace erit pax veſtra.* Methodicam illam huius loci explicationem apud B. Thomam, in Commentario Epiſtolarum Paulinarum, prætermittere mihi religio eſt. Ait itaque Apoſtolum velle orationes fieri pro omnibus hominibus, quia oratio ſit interpres deſiderij noſtri; orãdo enim petimus quod deſideramus, charitas autem poſtulat quod deſideremus bonum omnibus ad quos ſe extendit. Et vt iſta ad Infideles quo-

que pertinere dicantur, profert ex veteri Testamento loca superius allata, Baruch. 1. & Hieremiæ 29. Subiungit & istud, ad versum illum, hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo. Rationem adsignat Apostolus cur orandum sit pro omnibus hominibus, eamque petitam ex operis specie, quia quando aliquid est secundum se bonum, illud debemus facere, sed pro aliis (quales enumerantur ab Apostolo) orare secundum se bonum est, quia est actus charitatis, itidem ex parte Dei illud bonum existere indicat Apostolus, & insuper à charitate istud proficiscitur. Hæc omnia B. Thomam ex SS. Patribus, in quorum lectione plurimum versatus erat, delibasse, ex istorum collatione facile aduertere licet. Sed quod hactenus à me expositum est pro Diuinorum oraculorum auctoritate, istud indubitatæ fidei esse censebis; at censores illos hæc omnia abnuere dices, imò de priuatis orationibus intelligenda esse illos affirmare contendes. Vsum itaque & praxim veteris Ecclesiæ, velut Canonem certissimum consulendum arbitror. Apud priscam illam Ecclesiam in publicis Christianorum cœtibus, atque adeo in ipsa Liturgia Sacra, solemnes preces pro quibusvis hominum generibus, qua fidelibus, qua infidelibus, oblatas fuisse demonstrari nullo negotio potest. S. Iustinus Martyr, Apologia 2. describit quid rerum ageretur apud Christianos, dum die Solis, seu Dominica, in cœtum conueniunt ad preces communes & supplicationes, tum enim orant pro seipsis, pro illuminato seu recens baptisato, si quis sit, deinde pro aliis vbique Gentium omnibus. Postea SS. Eucharistiæ consecrationem & distributionem, ac cæteras deniqueLiturgiæ partes commemorat. Athenagoras, in legatione pro Christianis, sic eius rei

meminit. Quid iustius, inquit, quod orant impetrent, quàm qui pro imperio vestro vota precesque ad Deum profundunt, vt filius patri (M. Antonino Philosopho, L. Ælio Vero Imperatoribus scripta dissertatio) sicut æquissimum est, succedat, & vt idipsum imperium cunctis populis sub ditionem vestram confluentibus accessum capiat & incrementũ? Hoc autem & è re vestra fuerit, vt nos quietam & tranquillam vitam transigamus, quo ipsi vicissim omnia iussa vestra promptè exequamur. Tertullianus vnus omnium peruicacissimo cuiq; vel harum rerum imperitissimo, abundè satisfacere videtur. Sic enim Apologet. c. 39. *Ædam iam nunc ipse negotia Christianæ factionis, vt qui mala refutauerim, bona ostendam. Corpus sumus, de conscientia Religionis, & disciplinæ veritate, & spei fœdere. Coïmus in cœtum & aggregationem, vt ad Deum, quasi facta manu, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Cap. 30. *Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.* Capite sequenti ostendit Christianos id præstare Diuino præcepto: Idem ad Scapulam, *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius; sed quomodo præcepit Deus, pura prece.* Paulò post: *Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.* Celsus apud Origenem, libro in illum octauo, carpebat Christianos quod pro Imperatore arma non ferrent, quasi militiam detrectarent. Respondet Origenes, Christianos ferre auxilium Imperatori, non humanum, sed Diuinum, iuxta Apostoli præ-

ceptum, citatque locum B. Pauli, 1. Timoth. 2. de quo hactenus. In actis passionis B. Cypriani, cuius Pontius illius Diaconus meminit, ita beatissimus ipse Episcopus Proconsuli interroganti respondet: *Nullos Deos noui nisi vnum & verum, qui fecit cœlum & terram, & quæ in eo sunt: huic Deo nos Christiani deseruimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, & pro salute populi, & pro statu Imperatorum vestrorum.* In alia passione eiusdem B. Cypriani, ex antiquis codicibus, habetur, *Pro incolumitate ipsorum Imperatorum.* Apertius multò & ad quæstionem accommodatius, Arnobius, libro quarto: *Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur Magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione.* S. Cyprianus ad Demetrianum: *Pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis, vel temperandis aduersis rogamus semper & preces fundimus, & pro pace ac salute vestra, propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter atque instanter oramus.* Dionysius Alexandrinus Episcopus, sanctitatis fama insignis, apud Eusebium historiæ Ecclesiast. lib. 7. c. 10. Ab Æmiliano Præside & eo Pagano admonitus, vt Gentilium superstitionem amplecteretur, repudiata Christiana religione; respondit Dionysius: *Nos vnum illum Deum omnium opificem, qui etiam pientissimis Augustis Valeriano & Galieno imperium hoc commendauit, colimus & adoramus, illumque indesinenter pro imperio eorum vt immotum permaneat oramus.* Constitutionum, quę Apostolis tribuuntur, (de quarum fide scis quid mecum sentias) attamen veteris Ecclesiæ centones planè aureos hîc haberi mecum semper agnouisti, lib. 2. c. 5. & lib. 8. c. 10.

in ipsa Missæ actione Pontifex ad altaré stans, orat, disertis verbis, pro Rege, & pro iis qui sunt in sublimitate constituti, proque omni exercitu, vt per illos pacificè viuamus. Si vnus de ea re audiendus est B. Chrysostomus, totum quod quęritur confectum est, in hunc B. Pauli locum ita scribit: *Quid sibi vult quod ait Apostolus, primum omnium fieri obsecrationes, &c. in obsequio scilicet quotidiano, perpetuoque Diuinæ religionis ritu.* Atque id nouerunt fideles, quomodo diebus singulis, mane & vespere, orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni mundo & Regibus, & omnibus qui in sublimitate positi sunt, obsecrationes ab Ecclesia fiant. Subiungit paulò post. Quoniam consequens esse cernebat Apostolus, vt Christiani animus ad ista torpesceret, neque huiusmodi admitteret monita, siquidem pro Gentili, Sacramentorum tempore, preces oporteret offerri, vide quod postea adiunxit, vt ex consideratione communis vtilitatis, admonitionem libentius faciliusque susciperent; vt quietam, inquit, & tranquillam degamus vitam. At conditio hæc non solis Christianis, qui postea sub Imperatoribus Christianis vixerunt, necessaria fuit, quin multò magis iis qui initio nascentis Ecclesiæ extiterunt, cùm fidei & religioni Christianæ disseminandæ atque propagandæ eo tempore id maximè conducere videbatur. Istud verò in primis obseruandum est quod ait aureum illud os, Apostolicum istud præceptum perfici *in obsequio quotidiano & perpetuo Diuinæ religionis ritu*. Et apud Oecumenium, tempore mysteriorum, quæ sunt Missæ periphrases, vt demonstrant nostri æui doctiores locorum controuersorum aduersus Sectarios scriptores. Istam formulam veteris Ecclesiæ, *quod norunt fideles*, ad SS. Eucharistiam potissimum

pertinere nemo tantisper in SS. Patrum scriptis versatus dubitare potest. Ecquid igitur aliud istud est quàm in celebratione Diuinæ Eucharistiæ, atque in Missa pro Infidelibus orare? Verùm B. Augustinum Latinorum Patrum, pro ingenij fœlicitate & subtilitate, facilè principem audiant isti. Epistola 59. ad Paulinum, quæst. 5. post citatum B. Pauli locum, quo de agitur: *Multa quippe hinc dici possent quæ improbanda non sunt, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; Orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.* Eo alludit S. Ambrosius, lib. 4. de Sacramentis, c. 4. explicans voces illas Paulinas, *Obsecrationes, orationes*, &c. *Nam per reliqua omnia*, inquit, *quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris, vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi.* Cœlestinus Pontifex Romanus, epistola 1. ad Episcopos Galliæ: *Obsecrationum Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud Diuinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia, postulant & precantur vt Infidelibus donetur fides, vt Idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt Hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscãt, vt Schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ*

pœnitentię remedium conferatur. Eadem habet Prosper Aquitanicus, lib. 1. de vocatione Gentium, c. 12. proferens locum prædictum Apostoli ad Timothęum: *Præcipit Apostolus,* inquit, *imò per Apostolum Dominus qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium Sacerdotum, & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo vbique Ecclesia Dei, non solùm pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus Infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus Idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudæis, quorum cœcitati lumen Euangelij non refulget, pro Hæreticis & Schismaticis, qui ab vnitate fidei & charitatis alieni sunt.* Haymo explicans locum nostrum Paulinum, ista profert: *B. Apostolus dirigens hæc verba Timothæo, in illo tradidit omnibus Episcopis & Presbyteris, omniq; Ecclesiæ formam quomodo deberent Missarum solemnia celebrare, & pro omnibus hominibus orare. Quam formam vel exemplum omnis Ecclesia modò retinet.* Omitto Liturgias SS. Basilij & Chrysostomi, in quibus, precibus conceptis, pro Regibus & Magistratibus oratur. Attamen quid responsuri Censores illi sint, præsentio, horum SS. Patrum tempore, Imperatores Christianos extitisse; sed verbum vnum, quid rei contigerit inter Valentem Imperatorem hæreticum Arrianum, & B. Basilium, qui insanientis istius hominis furorem diuinitùs represserit, Ecclesiastica narrat historia: Nihilominus S. Basilij Liturgiam, Valente imperante, in vsu fuisse nulla sui parte mutilam, tam mihi certum est, quàm B. Basilium huius Liturgiæ auctorem esse. Si quid

ponderis, si quid roboris quæ à me hactenus prolata sunt, ex SS. Patribus, obtinere vel credis, vel opinaris, quod nunc à me postremo loco exscribendum est iam aduersarios manum tollere coget, ni in perpetuo veterno cubare videri velint. In veteri Ecclesia Missam Cathecumenorum vsitatam fuisse, ipsi fateantur necessum, cui non modò Cathecumeni, sed etiam Gentiles atque hæretici interesse poterant, & ea parte Liturgiæ Sacræ pro iis preces fiebant. Canon 84. Concilij Carthaginensis 4. *Vt Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam Cathecumenorum.* Repetitum hoc Concilio Valentino Hispanico, c. 1. *Inter cætera hoc censuimus obseruandum, vt sacro-sancta Euangelia ante munerum illationem, vel Missam Cathecumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermonem Sacerdotis non solùm fideles, sed etiam Cathecumeni ac pœnitentes, & omnes qui ex diuerso sunt*, (Burchardus *hæreticos* exprimit) *audire licitum habeant.* Hæc ratio non tam iugulum aduersarij petit, quàm ipsum penitus conficit. Est igitur, mi Camille, quod mireris Britannos Christianos Catholicos paulò asperius appellatos, quod preces publicas ediderint pro salute Regis sui, alioquin ab Ecclesia Catholica Apostolica & Romana, vt apparet, alieni, cùm Sacra Scriptura, & veteris Ecclesiæ mos receptus illos insontes pronuntiarunt. Quidni etiam in reprehensoribus illis summam rerum Ecclesiasticarum antiquitatis inscitiam deprehendas, cuius rei rationem si à me expostules, facilè tibi, ne diutius hæreas, expediam. Quorum consilio Britannorum factum tam malè acceptum fuit præsertim cogitandum est. Seculi nostri ea est infœlicitas, vt

quidquid ad fidem religionemve tantisper spectare videatur, totum Theologis Scholasticis, vt vocant, discutiendum atque dijudicandum committatur, quibus, paucis admodum demptis, antiquæ & Apostolicæ Ecclesiæ castus ritusque veteres tam sunt ignoti, quàm Thomæ Mori Britanni Vtopia, quique veram, sinceram simplicemque Scholasticam Theologiam, qualem nobis Albertus Magnus, Alexander Hallensis, & qui in eo instituto familiam ducit B. Thomas, nobilissimus Aquinas, exhibuerunt, nescio quibus pigmentis fucoque commentitio deformarunt, vt iam non illa superiorum temporum nuda & suapte pulchritudine venusta virgo Theologia Scholastica conspiciatur, sed potius ementita Iuno à Ioue adornata, & Ixioni proposita, quæ meram nubem exhibeat. Meministi quàm stomachosè & quidem pluries de ea re mecum egeris, argutias illas adeo frequentes & multiplices tam iniquo animo ferebas, vt te non iam Theologiam, sed puram ac germanam Sophisticen agnoscere diceres; qualem sub nomine Dialecticę mirum in modum expressit L. Septimius Florens: *Artificem struendi & destruendi versipellem, sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam, contentione molestam, etiam sibi ipsi omnia retractantem ne quid omnino tractauerit.* Quorsum enim continua illa & perpetua distinctiuncularum series, ac vnius ex altera fœcundissima soboles, quam atomorum Democriti procreatio. Annon istud antiqui scriptoris crebrò vsurpasti: *Maximum vitium subtilitatis esse nimis se ostendere.* Contrà verò, *vtilissimam esse dissimulatam subtilitatem, quæ habitu lateat, effectu appareat. Ita planè ridiculum disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare.* Aptissimè meo iudicio: siquidem illo auctore, qui Vesuuij

Senec. præfat. Contr.

Senec. epist. 117.

FFf ij

Plin.lib.18. c.24. incendio periit: *Quæ nimia est, cœca videtur subtilitas.* Sepiam piscem verè illam imitari dixeris, cui persimilem faciunt Aristotelem scriptores nonnulli. Hinc Stagirismon dixit B. Gregorius Nazianzenus. Ex tripode dictum puta, *Nihil iniquius esse his qui nusquam putant esse subtilitatem nisi vbi nihil est præter subtilitatem, & quidem*
Sen.ep.106. *summa subtilitate nihil agitur*, aiebat ille. *Laterunculis ludunt, in superuacuis etenim subtilitas istius generis teritur; Auditores non vitæ studiosè instituendæ, nec pietati, sed scholæ discunt.* Ecquis enim fructus sincerus solidusque ex iis minutiis ad veræ minimeque fucatæ Theologiæ studiosos peruenire potest, nisi vt in perpetuo altercandi & dispu-
Hesich. Illustr. Suidas. tandi studio versentur, similes Alexino Elæo, qui idcirco Ελεγξῖνος, id est, argutator seu altercator cognominatus; aut Pelusiotis illis, in Casio monte, qui naturali arte nodos plectebant, plicas plicis connectentes. Hæc sunt quæ illos subtiles delectent ἁμματα, seu scholia, videlicet sophismatum argumenta, obuersa inuicem vice spinarum, quas ventus conuoluerit inter se terere, paribus vtrimque aculeis, simili penetratione, mutuo vulnere, vt describit lepidus Afer: Homines id genus non absimiles dixero Accursiis, Bartholis, Baldis, Alexandris, Salicetis, Deciis, quos veræ & sinceræ Iurisprudentiæ non rarò meras tenebras offudisse Cujacius noster præceptor dictitabat. Belli Censores rerum Ecclesiasticarum, qui Grammaticis sæpius ludibrium debeant, quibus barbarismi veneres sunt & dicendi lepores. Sino tandem illos tantum obtusi iudicij quantum acuti ingenij, sine spe prædæ in scopulo isto morari & reapse morari. Grauioris in Britannos Catholi-
D. 9.tit.2. Cod.1. tit. 22.l.6. cos censuræ habes & Consultores & Iudices: *Medicus ægrotum imperitè secans, lege Aquilia, tenetur. Iudex nullo adhibito*

assessore, cuius prudentiam sibi putet necessariam, aduersus generales constitutiones pronuntiare non debet, ait lex. *Quid si assessoris imprudentia factum est, vt ius aliter dictum sit quam oportuit, non debet hoc Magistratui officere, sed ipsi assessori*, vt nos leges docent. Vide annon Britannis iure optimo competat actio de damno aduersus adsessores, seu adsertores, vt aliis placet, vno nomine Consiliarios huius animaduersionis. Neque tamen Iudices ipsos culpa vacare dixero. Si enim, vt habet lex, *Iudex quilibet nullum scriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, quæ generali iuri, vel vtilitati publicæ aduersa esse videatur, proferri minimè pati debeat*. Quid de illa censura iudicabis quę contra Christi & Apostoli præceptum, contra vniuersum antiquæ Ecclesię morem & praxim, contra communem omnium Britannorum Catholicorum, quos alioquin iugulandos & mactandos, si ipsa retineatur, certissimè offert, vtilitatem, lata est, quanto æquius, rectius, Ecclesię & Religioni Catholicę Apostolicę & Romanę vtilius, fructuosius, legem hanc valere. Quod iussit vetuitve Prætor contrario imperio tollere & repetere, licet de sententiis contrà. Addo & Nicolai Papæ I. ad Michaëlem Imp. Bizantinum grauissimam edictionem: *Sententiam Romanæ Sedis non negamus posse in melius commutari, cùm aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, vel temporum, seu grauium necessitatum, dispensatoriè quiddam ordinare decreuerit: Quoniam & egregium Apostolum Paulum quædam fecisse dispensatoriè legimus, quæ postea reprobasse dignoscitur.*

D.2.tit.2. l.2.

Cod.lib 1. tit.22.l.6.

FINIS.

APPROBATIO.

NOs subsignati Doctores Sacræ Facultatis Theologię Parisiensis, testamur perlegisse librum secundum Selectorum scriptum à M. N. IOANNE FILESACO, etiam Doctore eiusdem Facultatis, in quo nihil deprehendimus, quod aduersetur Fidei & Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ: In cuius rei fidem nostrum apposuimus chirographum. Lutetiæ Parisiorum sextâ Nouembris 1630.

Fr. M. DOLES, *Gardianus Minorum.*

Fr. MAVRICIVS BRACHET, *apud Prædicatores Theologiæ Professor.*

SVMMA PRIVILEGII.

REgio Priuilegio cautum est, ne quis præter consensum IOANNIS FILESACI, Doctoris Theologi Parisiensis, intra decennium imprimat, aut diuendat duos Selectorum libros ab ipso conscriptos, sub pœnis contentis in illo diplomate Regio, dato Lutetiæ, die 7. Decembris 1618. subsignato DV FOS. Huius principalis beneficij vsum & copiam dictus IOANNES FILESACVS Theol. Paris. MATHVRINO DV PVIS Bibliopolæ Parisiensi, quoad secundum SELECTORVM librum concedit. Actum Lutetiæ, die 20. Ianuarij 1631.

Errata ſic corrige.

Pag. 2. lin. 16. leg. ὀλιγοχρόνια. pag. 37. lin. 13. leg. angulo. pag. 38. lin. 22. leg. fruſta. pag. 52. lin. 7. leg. fors. pag. 55. lin. 14. leg. prouehere-tur. pag. 56. lin. 24. leg. ex luxuria. pag. 125. lin. 11. leg. Μυστηείου. pag. 131. lin. 4. leg. libros. p. 133. lin. 29. leg. gladiator. p. 149 lin. 21. leg. λόγους. p. 153. lin. vlt. leg. στήκετε. p. 154. lin. 2. leg. ὥρα τῆς ἀναφίερας. p. 176. lin. 22. leg. χερνιβόν. p. 189. lin. 3. leg. eraſerunt. p. 201. leg. ῥυθμοῖς. p. 217. lin. 13. leg. inguen. p. 233. lin. 16. leg. metus. p. 290. lin. 1. leg. arceſſere. ibid. lin. 20. leg. iniunctum. p. 300. lin. 25. leg. legitimam. p. 309. lin. 25. leg. te-trico. p. 320. lin. 21. leg. parentem. p. 337. lin. 4. leg. viti perſimile. p. 338. lin. 23. leg. lib. de anima. p. 345. lin. 19. leg. tot libri. p. 348. lin. 27. leg. hominum. p. 356. lin. 14. leg. ſplendorem. p. 365. lin. 16. leg. poëſeos. ibid. lin. 30. leg. lepida. p. 368. lin. 19. leg. rigidiſſimus. ibid. lin. 28. leg. Cleone. p. 370. lin. 7. leg. diſſerit. p. 381. lin. 30. leg. ſuggillanda.